UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus praesidiis obtineri ab unoqueque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

urn:nbn:de:hbz:466:1-54487

Visual Library

fr. 3176.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIUS NECESSARII PARS PRIMA.

Ubi agitur

DE

COGNITIONE DEI:

Quanti nimirum momenti illa sit, & quibus præsidiis obtineri ab unoquoque hominum possit.

Collegii Societatis A Jesu paderani. 1726.

P. BENEDICTO ROGACCIO,
è Societate JESU,

Italicè primò edita, pòst ab Authore latinè reddita, & nunc luci publicæ data.

Cum Licentia Superiorum.

PRAGÆ, Typis Universitatis Carolo-Ferdinandeæ in Collegio Societatis JEsu ad S. Clementem Anno 1721.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nosse enim te consummata justitia est: & scire justitiam tuam, & virtutem tuam radix est immortalitatis. Sap. 15.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

Præpositus Generalis Societatis

JESU.

CUm Librum, cui titulus: *Unius Necessarii Pars prima*, Authore P. Benedicto Rogaccio Societatis nostræ Sacerdote, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint. & in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ità videbitur: cujus rei gratiâ has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 23. Septembris 1716.

Michaël Angelus Tamburinus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Sacri Palatii Magistro.

N. Cardinalis Caracciolus
Provic.

Die 27. Februarii 1717.

IMPRIMATUR

EXtra urbem servatis servandis. Datum Romæ ex ædibus nostris in Palatio Quirinali.

Gregorius Selleri, Ordin.
Prædicatorum S. P. A.
Magister.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Præfatio.

ECce tibi, amice Lector, primam partem operis; cujus materiâ certè nihil esse fructuosius, & majoris potest momenti: ut proinde hujus meriti commendatione, quod ex altitudine sua obscuritatis habet plusquam excusare, & compensare valeat. Neque offendi quemquam par est, quòd, nonnulla ejus mysteria probaturus, argumentis utar è schola petitis, minúsque ad vulgi captum appositis. Nam cùm magìs ob-

via in promptu non essent, iis sanè utendum mihi erat, vel nullis: nulla verò afferre alienum videbatur à communi scriptorum officio. Hi siquidem, quod de se profitetur magnus Gentium Doctor, *Sapientibus, & insipientibus debitores sunt*: ac propterea, ceu deessent suo muneri, si, primis placituri, minùs se accommodarent posteriorum imbecillitati; ità neque idem satìs implerent, si, horum respectu, nulla in re illis gratificandum putarent. Cùm itaque rationali hominum naturæ perjucundum accidat, rerum, quas proponi sibi audit, præcipuè ubi paulò abstrusiores eæ sunt,

sunt, rationes accipere; exigebat profectò, quod suscepi, scriptoris munus, nè hac ego honestissima voluptate intelligentiores Lectorum fraudarem: sed veritatum omnibus promiscuè congruentium pabulo aliquod itidem necessariarum probationum condimentum, quo capaciores tenerentur, adjungerem. Præsertim verò quòd, si hæ rudiorum intelligentiam vel omnino effugissent, nihil tamen iis indè provenire incommodi poterat: in eadem remansuris nimirum, qua pridem laborabant, inscitia: plenissimámque insuper libertatem retinentibus, quidquid in libro è re sua minùs

sit, aliis, quibus usui, & oblectamento esse potest, usquequaque intactum relinquendi. Næ morosum plùs nimiò, & difficilem ferri se prodit, qui ad convivium unà cum compluribus aliis vocatus queritur, illius copiam ultra capacitatem, & vires sui stomachi esse. Si nihil ei deest, cur supersse aliquid in aliorum opportunitatem nolit? si nequaquam ipsi uni structum est epulum; cur unus esse illius norma, & modus debeat? Sumat, quod sibi arridet, quódque ad suam valetudinem facit: & reliquo ferculorum paratu diversi gustûs, & vegetioris appetentiæ socios

frui

frui ſinat. Cæterùm nolim, credas, quæſitam DEI ſcientiam in hiſce contineri paginis, non ſecùs ac gemmam ſuo in ſcriniolo, ínque ſua pretioſum liquorem ampulla: adeò ut has perlegere idem ſit, atque illam plenè exhaurire. Si res ità ſe haberet; ô fortunatum, nullóque non ſuperiorem pretio meum librum! ſed inæſtimabilis adeò theſaurus nequit eſſe humani partus laboris: nec aliud meus facit liber, nisì commonſtrare, ubi, & quo tramite nanciſci tantum bonum fas ſit. Excipe illum igitur, non quaſi habiturus in ejus doctrinis, ſed quaſi earum indicio reperturus

quæsitam summi Veri, ac Boni scientiam: neque ideo satìs tibi fore ad cælestis hujusce thesauri acquisitionem existimans, si, quæ hìc proponuntur, illius assequendi rationes accuratè perlegeris; sed omni potiùs studio iis uti contendens. Hoc enim operosum, & solers studium nî accedat; illas didicisse, & in numerato habere nihilo ad DEI cognitionem tibi proderit magìs, quàm ad intelligendum quemcunque terminum prosit mera, & deses viæ illuc ducentis notitia.

(o)

IN-

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Quàm sciendi appetens natura hominum sit: déque quatuor conditionibus, quas præcipuè in rebus noscendis requirit. p 1.

CAPUT II

Conditiones prædictas in DEI scientia simul omnes, & excellentißimo singulas modo inveniri: quámque ideo hæc appetenda præ cæteris omnibus sit. p. 11.

CAPUT III.

Colligitur ex hactenus dictis, quàm ardens, & commune in hominibus esse deceat cognoscendi DEI studium. p. 33.

CAPUT IV.

Ostenditur, DEI scientiam nulli non possibilem, & facilem paratu esse, dummodo idoneis ad eam obtinendam instrumentis utatur: & tria hujusmodi instrumenta afferuntur. p 54.

CAPUT V.

De primo divinæ scientiæ instrumento, quod est humilis, enixa, & confidens divini luminis imploratio. p. 63.

CA-

CAPUT VI.

De secundo instrumento, quod est cordis munditia. p. 82.

CAPUT VII.

De tertio instrumento, quod est consideratio: déque duplici considerandi DEUM *modo, considerandi nempe in rebus creatis, & considerandi in se ipso.* p. 105.

CAPUT VIII.

Quàm luculenter universæ res creatæ DEUM *esse suum authorem testentur: quámque promptum unicuique sit, per duo eruta hinc consectaria, ad sublimem illius intelligentiam eniti.* p. 118.

CAPUT IX.

Declarantur prædicta duo consectaria, & ratio conscendendi per ea ad supremi Conditoris notitiam. p. 129.

CAPUT X.

Praxis fructuosa, & cuique facilis, conscendendi à rebus creatis ad earum Procreatoris notitiam, per primum ex duobus consectariis jam dictis. p. 140.

CAPUT XI.

Similis alia conscendendi ad DEUM *praxis, per consectarium secundo loco propositum.* p. 160.

CA-

CAPUT XII.

De consideratione DEI in se ipso, inque excelsissimis naturæ suæ dotibus, ad rationis, & fidei lumen spectatis: quæ materia & in penitiorem divini objecti notitiam se considerantes inducit: & à nobis deinceps in tota hac nostri operis parte tractabitur. Quam in ea explicanda secuturi viam simus: quémque modum ab unoquoque in ea considerandi oporteat servari. p. 177.

CAPUT XIII.

DEUM, utpote primam omnium causam, à semet ipso, pérque necessitatem in natura sua insitam habere, ut sit, atque existat. p. 211.

CAPUT XIV.

DEum esse absolutissimè æternum. p. 263.

CAPUT XV.

DEUM esse in omni perfectionis genere absolutissimè, simplicissiméque infinitum. p. 307.

CAPUT XVI.

DEUM, ratione infinitatis suæ, creatis quibuslibet mentibus incomprehensibilem esse. p. 369.

CAPUT XVII.

DEUM esse omnino immutabilem in perfe-

fectißimo, ſimpliciſſimóque ſuo eſſe. p. 424.

CAPUT XVIII.

Quàm excellenter commemoratæ hactenus DEI perfectiones ſingulari comprehendantur eo nomine: Ego ſum, qui ſum, *quod ipſemet ſibi attribuit: déque duobus aliis nominibus, quæ & ipſa proprio magis jure eidem conveniunt, nempe* Bonum, & Omne. p. 472.

CAPUT XIX.

De immenſitate DEI, nempe illius intima, & neceſſaria in quibuſcunque poßibilibus locis præſentia. p. 508.

CAPUT XX.

De infinita DEI ſcientia. p. 546.

CAPUT XXI.

De infinita DEI virtute, & potentia. p. 601.

CAPUT XXII.

De ampliſſimo, & ſummo dominii jure, quod DEUS in omnes creatas res obtinet. p. 635.

CAPUT XXIII.

De ineffabili charitate, & beneficentia DEI erga nos, ſecundùm ſuam longitudinem, latitudinémque dimenſa. p. 688.

C A-

CAPUT XXIV.

De eadem charitate, & beneficentia Dei erga nos, secundùm reliquas duas dimensiones, altitudinem nimirum, & profunditatem. p. 728.

CAPUT XXV.

Demonstrata hactenus divinæ bonitatis immensitas, adversùs nonnullas quà ignorantiæ, qua temeritatis cavillationes, defenditur. p. 785.

CAPUT XXVI.

Alia objectio refellitur, ex æternitate infernorum cruciatuum desumpta. p. 829.

CAPUT XXVII.

Ad planiorem divinæ pulchritudinis intelligentiam, præmittuntur generales quædam de natura pulchri notiones: ultráque pulchritudinem sensibus notam, aliam quoque reperiri merè spiritualem, statuitur. p. 849.

CAPUT XXVIII.

Ex eo, quòd DEUS prima causa, & idea totius pulchri possibilis sit, éque excellentissimis quatuor divinæ illius pulchritudinis proprietatibus, quàm hæc sit in illo admiranda, singularis, & quamcunque aliam infinitè supergrediens, ostenditur. p. 886.

CA-

CAPUT XXIX.

Eadem divinæ pulchritudinis excellentia demonstratur ab effectis: ab incomparabili scilicet gaudio, & amore, quo spectatores suos afficit: concluditúrque, quanti momenti sit, altè impressam, & consignatam in mente illius speciem habere. p. 926.

CAPUT XXX.

De intima, vivida, & actuosa DEI cognitione, quæ ex prædictis illius perfectionibus rite consideratis in animo provenit. Quàm facilè quilibet hoc pacto illam consequi valeat: quæve sint artes ad eam, postquam comparata fuerit, conservandam, & augendam idoneæ. p. 969.

DE

COGNITIONE DEI

CAPUT I.

Quàm sciendi appetens natura hominum sit, déque quatuor conditionibus, quas præcipuè in rebus noscendis requirit.

INsitam à natura homini esse aviditatem sciendi, manifestiùs patet, quàm ut Aristotelis testimonio egeat, suos hinc Metaphysicorum libros exorsi. *Quid porrò?* inquit Seneca: (*de otio Sap. c. 32.*) *Hoc non erit probatum, si se unusquisque consuluerit quantam cupiditatem habeat ignota noscendi? Navigant quidam, & labores peregrinationis longissimæ una mercede perpetiuntur cognoscendi aliquid abditum, remotúmque: Hæc res ad spectaculum popu-*

los contrahit : hæc cogit præcluſa rimari , ſecreta exquirere , antiquitates evolvere , mores barbarorum audire gentium. Curioſum nobis natura ingenium dedit. Ità profectò : tam noſter, quàm communis aliorum ſenſus humanâ quavis authoritate luculentiùs id probat. Cùm nemo occurrat , vel natione adeò barbarus , vel ingenio tam hebes , qui rerum novarum auditione non admodum delectetur : quíque , ſi liberalibus diſciplinis dare operam prohibitus fuerit ; earum tamen gnaros non ſuſpiciat , felicésque & dignos invidiâ arbitretur. Ulláne alienior à ſtudiis eſt , quàm puerorum ætas ? Et tamen quàm ſæpè hos videas , fabuloſis narrationibus adeò intentos vacare , ut nullâ interim , non ſuorum modò luſuum , ſed vel cibi capiendi curâ tangantur ? Ulláne craſſior , quàm ruſticorum , & opilionum , indoles ? Et tamen quotuſquiſque horum eſt , qui de naturæ arcanis , vel Religionis myſteriis , aliiſque hujuſcemodi rebus , minùs ſibi notis , ſed ſcitu dignis , & ſuo captui accommodatis diſſerentes non percupidè audiat ? Quibus verò capacior doctrinarum mens contigit ; ùt illos videmus in litteras totos ſe abdere ? ùt jucundè indagatis , repertiſque notionibus paſci ? ùt novis uſque & novis inexplebili deſiderio inhiare ? ùt præ harum ex-

pe-

pectatione, & illarum dulcedine improbos pertinacis ſtudii labores minimè advertere? ùt demum ſuam hujuſmodi occupationem quibuslibet ludis, ſpectaculis, otiíque oblectamentis præferre, & cum Lactantio profiteri. *Nullum eſſe ſuaviorem animæ cibum, quàm cognitionem Veritatis.* (*L. 1. c. 1.*)

2. Et jure illī quidem. Si enim nemo id bonum negligit, unde ſibi plurimum perfectionis excellentiæque inter cæteros mortales accedit; quinam fieri poterit, ut rerum præſtantium cognitionem quiſquam neglectui habeat, unde ſecundùm nobiliſſimam ſui partem homo perficitur, altiúſque, quàm quibuslibet cæteris ſeu naturæ, ſeu fortunæ ornamentis, rudi vulgo præeminet? ſi nihil charius nobis eſt, quàm vivere, vitæque ideò facultatibus fungi? Quídni chariſſimum ſit, intelligendi facultatem exercere, in cujus uſu, actúque propria hominis vita conſiſtit? Certè mens illud eſt decus, quo præcipuè ad noſtrum Conditorem accedimus: quóque fieri D. Thomas docet, (*1. p. q. 93. a. 2.*) ut in nobis non qualiſcunque, ceu in naturis ratione carentibus, ſimilitudo, ſed vera etiam imago DEI eluceat. Unde etiam, licèt corporis ſenſus maximè amemus; nemo tamen unus inter homines fuerit, qui, eò neceſſita-

tis adactus, ut vel intelligentia, vel exteriori quovis sensu, ipsisque adeò oculis carendum sibi sit, non hos sibi eripi, quàm illa spoliari mallet. Si ergo propensi adeò sumus, ad innatas sensuum appetitiones explendas, tantúmque ideo delectationis in videndo, audiendo, olfaciendo, & gustando experimur; quidni ad explenda nostræ mentis desideria tantò propensiores simus; quantò hanc illis chariorem habemus? Aut quidni plus voluptatis ex discendo, sciendóque, quàm ex quovis corporearum facultatum usu, hauriemus? Ah nimium quàm rapax humani cordis illicium promissio ea est: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Idque adeò probè intelligens hostis tartareus, ad primos generis nostri parentes in fraudem inducendos; *non divitias*, ùt observatum à D. Laurentio Justiniano est, (*Fasc. Amor. c. 10.*) *non fugitivos honores, non sæculi lenocinia, aut corporis voluptates, seu filiorum propagines pollicitus est:* Sed, quod fore efficacius prævidebat, quóque scelesti sui consilii compos evasit, *Divinitatis honorem, boni ac mali scientiam spopondit*: Tristi omnibus sæculis argumento hinc relicto, validissimi instinctûs, quo ad sciendum, natura hominis fertur.

3. Quamvìs tamen cujuslibet veritatis per-

ce-

ceptiò magneticâ quadam vi noſtros ad ſe animos rapiat; non ideo pari ardore atque ſtuſtio in earum ſingulas ferimur: ſed tantò in unamquamque propenſiùs; quanto illa, propriæ alicujus dotis ſuæ gratiâ, quæri dignior videtur: quia nimirum vel objecti nobilitate excellat; vel extraordinariæ miræque novitatis prærogativâ commendetur; vel nos propiùs attingat; vel neceſſaria, & apprimè utilis cognita ſit.

4. Peculiari igitur propenſione animi ad pernoſcenda eximiæ nobilitatis objecta incitamur. Cùm enim mens noſtra, ſecundùm celebre Philoſophi effatum, *cognoſcendo fiat omnia*, (L. 3 *de Ani.*) quæ foris intuetur, quodam quaſi penicillo in ſe repræſentans, atque exprimens; fieri minimè poteſt; quin, ſi illuſtria & præclara illa ſint, eorum aſſimilatione illuſtretur: pictæ inſtar tabulæ, quæ ſi aliquod noſtræ Religionis myſterium, putà corporati Numinis nativitatem, aut mortem exhibeat; novam ex ea ſpeciem ſacræ rei dignitatem trahit, religioſéque aſſervatur, & venerationi eſt intuentibus. Quapropter, ceu quælibet tabula, ſi ſenſûs, rationísque eſſet compos; multò mallet auguſtam, dignámque aris, & publico cultu ſanctiſſimæ DEI Parentis ſpeciem induere; quàm in probro-

ſam, nec ſinè abominatione intuendam Veneris alicujus, aut Frines imaginem conformari; ſic noſtra mens quoque ſatiùs multò habet, objectorum præſtantium, quàm ignobilium, éque trivio in ſe formam exprimere. Atque hinc illa exoritur, adeò ubique communis, magnos Reges, virósque famâ inſignes ſpectandi cupiditas: quæ non modò denſa populi agmina, quacunque illi tranſeant, conglobare; ſed diſſitarum quoque regionum incolas, ad eos propiùs noſcitandos, excire conſuevit. Quemadmodum veterem illam Auſtri Reginam Hieroſolymitanum ſuſcepiſſe iter accepimus, (3. *Reg. c.* 10.) non alia de cauſa, nisi ut Salomonis ſapientiam, & gloriam ſuismet oculis, auribúsque uſurparet: nec defuiſſe Livii temporibus, qui ex ultima Hiſpania Romam properârit, ſolo intuendi tam egregii Scriptoris ſtudio permotus: Uſque adeò, inquit D. Hieroymus, (*Ep.* 103. *ad Paulin.*) *quos ad ſui contemplationem Roma non traxerat; unius hominis fama perduxit*: novúmque id videre licuit miraculum, *ut tantam urbem ingreſſi, aliud extra urbem quærerent.* Hinc etiam, quod ſcitè animadverſum ab Ariſtotele eſt (*L.* 1. *de Part. Anim. c.* 5.) quamvìs in veri evidentiâ, ſuo tanquam in centro noſter ſciendi appetitus qui-

quieſcat; obſcuram nihilominus atque tenuem rerum cœleſtium notitiam, vel perfectæ inferiorum naturarum comprehenſioni anteferimus. Clara verò & exacta ſupremi illius mundi, ſiderúmque in eo radiantium cognitio tantum ſui deſiderium in animis ſapientum excitat, ut Eudoxus Philoſophus, dummodo fas ſibi eſſet, ſolis orbem conſcendere, arcanáſque illius proprietates cominus perveſtigare, non abnueret, inter optatos perceptarum veritatum fulgores, ceu novus quidam, & præſtantioris flammæ amator papilio, penitùs mox exuri, abſumíque: (*Plut. de falſa Epic. jucund.*) dignus, quem verè id profeſſum credamus: cùm Plinius, longè ignobilioris curioſitatis causâ, nempe ut Veſuvium propiùs exploraret, illius ſe vaporibus præfocandum objecerit. (*Pl. Ep. 16. Lib. 6.*)

5. Nec minùs ad ſui inquiſitionem objecta nos alliciunt, ſi novi quidpiam, miríque, & à vulgi captu remoti contineant. Hæc ſiquidem dos tantò jucundiorem eorum cognitionem facit; quantò jucundius aucupi foret Phœnicem, unicum toto in orbe ſui generis fœtum; quàm quidquid multiplicium, & promiſcuarum volucrum eſt, retibus ſuis comprehendiſſe. Quanquam quid ego, jucundam inprimis accidere objectorum hujuſ-

modi comprehenſionem, dixi. Meliùs, magisque ex eorum merito dixiſſem, miram quamdam, vel in iis veſtigandis aucupandiſque percipi jucunditatem: præſertim verò, ubi ſubluſtre aliquod reconditæ veritatis jubar, & quaſi crepuſculum apparere incipit: móxque ipſa ſenſim pleniùs ſuis ſeſe è latibulis pergit evolvere. Ità cenſuit, ſcripſitque in hæc verba Orator Philoſophus. (*Cic. 4. Acad. Qu.*) *Indagatio ipſa rerum maximarum, tum etiam occultiſſimarum habet delectationem, ſi verò aliquid occurrat, quod veriſimile videatur, humaniſſima completur animus voluptate.* Quamobrem nîl miri eſt, Pythagoram, pro felici geometricæ cujuſdam demonſtrationis invento, hecatomben Muſis ſacrâſſe: (*Laërt. L. 8.*) famoſúmque Archimedem, cùm in balneo lavanti diu nequidquam quæſita arcani perdifficilis veritas derepente affulſiſſet; tantâ indè cumulatum fuiſſe lætitiâ; ut amentis, ebriíque inſtar, nudus è balneo proſilierit, (*Plut. de falſa Epic. Jucun.*) Inveni, clamans, inveni. Neque ſpecioſior videri jam poteſt, quàm verior, illa Julii Cæſaris apud Lucanum ſententia, tanti ſibi eſſe, dummodo ad ignotum eatenus Nili caput certò pervenire liceat, ſecundiſſimos, & quàm maximè tunc calentes Pharſalici belli curſus abrumpe-

pere: *Spes sit mihi certa videndi Niliacos fontes; bellum civile relinquam.* (*Lib.* 10.)

6. Illud quoque natura hominis fert, ut ea scire avidiùs optemus, quæ majorem nobiscum affinitatem habent. Cùm nemo ferè unus sit, qui inter antiquitatis monumenta, non ea potissimùm scrutari gaudeat, quæ ad suam pertinent seu gentem, seu patriam: quémque in rerum physicarum studio non apprimè delectet cognoscere, quæ humani corporis, animíque sunt propria. Testimonio sit Socrates, qui, animadvertens, quantò ad nos magìs faciat vitiorum, & virtutum, quàm elementorum, siderúmque scientia, in celebre illud dictum erupit: (*Lact. L. 3. c.* 10. & *Cic.* 2. *Tusc.*) *Quæ supra nos, nihil ad nos:* Physicáque, & Astrologiâ suas sibi habere res jussis, totum indè ad moralem disciplinam se transtulit. Nè multa: quæ præcipuè diligimus, ea cognoscere impensiùs studemus. Cùm igitur sua quisque, quàm aliena, plùs diligat; eorum item notitiam studiosiùs quærat, & chariorem habeat, necesse est.

7. Denique ingens ad quidlibet addiscendum illecebra est, quæ ex illius perceptione derivatur, utilitas. Alchimia documento esse potest, incertissima artium, imò nè ars quidem, sed fallacissimæ vanitatis profes-

ſio : & tamen , ob promiſſi ſpem lucri, à tam multis, tantóque cum ardore, & impendio quæſita. Quæ, ſi certo ſolidarum præceptionum calle ad propoſitum finem ſpectatores ſuos duceret ; pronum æſtimatu eſt, quinam pro ea conſequenda ſuſciperentur labores & ſumptus: útque illuc ſubitò verſis, ceu ad unicam ſapientiam, humani totius generis ſtudiis, reliqua omnia vacarent minùs quæſtuoſarum artium gymnaſia.

8. Quævis igitur prædictarum conditionum magnam vim habet, noſtram ad ſe mentem trahendi : tantóque vehementiùs eam trahit; quantò magìs ſuo in genere excellit. Quod ſi objectum extaret, in quo univerſæ hujuſcemodi dotes, & quælibet ſecundùm maximam ſui generis perfectionem concurrerent; tunc enimverò alliciendi efficacitas modum omnem excederet, appetitio penè in neceſſitatem migraret: nemóque unus eſſet, quin objecti adeò ſingularis, & quibuslibet cæterorum prærogativis tam eximiè referti, notitiam cupidiſſimè exquireret. At ubinam tale objectum reperire fas erit? nuſquam ſanè extra DEUM. Cætera ſiquidem, quantò ſecundùm naturæ dignitatem plùs eminent, atque à ſenſibus, & communi hominum intellectu longiùs recedunt; tantò plerum-

rumque ad nos minùs ſpectant, minorémque afferunt cognoſcentibus fructum. At DEUS, præter ſummam naturæ excellentiam, & admirabilitatem, intimiori etiam, quàm quodvis ens aliud, neceſſitudine nobiſcum jungitur: cognitúſque, majori, quàm quem ulla alia ex ſcientia referre fas ſit, bonorum proventu nos ditat. ſingulas age partes intueri accuratiùs libeat.

CAPUT II.

Conditiones prædictas in Dei ſcientiâ ſimul omnes, & excellentiſſimo ſingulas modo inveniri: quamque ideò hæc appetenda præ cæteris omnibus ſit.

UT à nobilitatis prærogativa initium ducamus; revocari à nemine in dubium poteſt, quin hæc DEI ſcientiam quàm maximè exornet. Nam neque aliunde, quàm ex objectis, plùs, minúsve præſtantibus, ſuam ſolent ſcientiæ majorem, minorémve dignitatem nanciſci; nec ulla inter has omnes occurrit, quæ objectum tam ſublime propoſitum ſibi habeat, quàm quod ipſa intuetur: quæque ideo illam ja-

jactare doctrinarum magnificentiam possit, quam ipsa, exordio unâ se digno, auditoribus suis pollicetur: (*Prov. c. 8.*) *In summis excelsisque verticibus stans*, déque illo quasi suggestu universis mortalibus prædicans, *Ad vos, O viri! clamito. Audite: quoniom de rebus magnis locutura sum.* Quare Annæus Seneca tantum nobilitatis discrimen inter ipsam, & humanam quamvis scientiam agnovit; quantum inter diversa earum objecta intercurrit. (*Præf. L. I. Nat. Qu.*) *Tantum inter duas interest; quantum inter DEum & hominem.* Et Doctor Angelicus nîl dubitavit, supremam humanæ mentis perfectionem, ad quam veluti ad suum finem, scientiæ omnes collineant, in ea una statuere. *Ultima perfectio intellectûs est Divina Veritas: aliæ veritates perficiunt intellectum, in ordine ad Veritatem Divinam.* (*2. 2. qu. 180. a. 4. ad 4.*)

2. Quæ cum ità sint; jam cuivis planissimè apparet, quantum novæ dignitatis consequatur mens, quæ huic vacat scientiæ: altissimis usque sensibus gravida, nobilissimis assiduè imaginibus picta, præstantissimisque veritatibus ruminandis semper intenta. *Nè vile aliquid putares, quale consueviſti cogitare, cùm verba humana soleres audire; audi, quid cogites: In principio erat Verbum.* (*Aug. Tr. 1. in Joann.*) O cogitationes heroicas, humanis superiores,

&

& Divinâ mente dignissimas. *Hæc inspicere, hæc discere, his incumbere* (cum citato nuper Seneca dicam) *Nónne transilire est mortalitatem suam, & in meliorem transcribi sortem?* Aliud, multóque pluris faciendum hoc est; quàm siderum cursus animo persequi, cælestium orbium spatia metiri, elementorum, ac constantium ex iis corporum naturas pervestigare: res scilicet è pingui materia concretas, certis definitas limitibus, nec DEO tantum inferiores, à quo condita sunt; sed ipso etiam homine, qui eas contemplatur. Hoc est, ceu D. Basilius loquitur, (*de Laud. Vit. Sol.*) *elevare se super se.* Hoc, cum Apostolo profiteri, (*ad Philip. 3.* (*Conversatio nostra in cælis est.* Hoc denique, supremam DEI essentiam, quantùm à creata imagine exprimi potest, in se ipso repræsentare. Siquidem ex D. Thomæ doctrinâ, (*L. 3. cont. Gent. c. 25.*) *DEO maximè assimilatur creatura intellectualis, per hoc, quòd intellectualis est. In genere autem hujus similitudinis magìs assimilatur DEO secundùm quòd intelligit actu, quàm secundùm quòd intelligit habitu, vel potentiâ. Et in hoc, quòd intelligit actu, maximè assimilatur, secundùm quòd intelligit DEum. Nam ipse DEUS, intelligendo se, intelligit omnia alia.* Ubinam ergo illi sunt profani homines, qui, in argumentum generosæ indo-

dolis, nihil se, nisi excelsum spirare, & volvere animo crepant? Age, in medium depromant magnificas illas cogitationes, & rerum sublimium species, quarum conceptu tumida eorum capita consueverunt distendi. Quænam demum eæ sunt? Nempe Principum gratia, populorum plausus, primarii Magistratus, urbium Præfecturæ, titulorum splendor, dignitatum insignia. *O curvæ in terras animæ, & cælestium inanes!* (*Pers. Sat.* 1.) Itáne de his cogitationibus, tanquam præclaris & eximiis gloriari mentem deceat primæ, æternique veri contemplandi gratiâ productam? itáne hujusmodi cogitationes iis mereantur secundùm dignitatem coæquari, quas pia & simplex muliercula, divinas perfectiones secum ruminans, animo concipit? nec potiùs multo his humiliores habendæ sint; quàm præ curis Regum propriis, humiles videantur agasonum de jumentis, & stabulis curæ? Pudeat illos, veram germanámque animi nobilitatem non modò assecutos nondum esse; sed neque compertam habere: inaníque suo fastu depositò, tandem aliquando percipiant, quemadmodum reperiri nullum potest DEO altiùs objectum; sic neque ullam excelsiorem posse dici mentem, quàm quæ circa objectum tam sublime occupatur: sola

ideo

ideo inter cæteras omnes gloriandi jus habens de nobilitatis præstantia secundùm facultatem, quæ à DEO ipsi tribuitur, in iis apud Jeremiam verbis, (*c. 9.*) *Non glorietur sapiens in sapientia sua: & non glorietur fortis in fortitudine sua: & non glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, scire & nosse me, quia ego sum Dominus.*

3. Nobilissima ergo inter omnes, propter summam objecti sui dignitatem, scientia DEI est. Sed neque minùs peregrina & eximia, ob inusitatas, abstrusissimásque veritates, quas suis professoribus detegit. Attollentes quippe oculorum aciem ad contemplationem supremi, infinitique illius Entis, novum alterum ingredi nobis mundum videmur: ubi ad singulos gressus alia nobis, atque alia se objiciunt perfectionum, decorúmque miracula, usque adeò à nostratibus objectis diversa, omnémque adeò modum ac morem eorum, quæ pridem noveramus, excedentia; ut, ad illa quomodolibet intellectu apprehendenda, necesse nobis sit, veteris dialecticæ oblivisci, consuetas omnes humanarum rerum species missas facere, & novam quodammodo mentem induere. Nam quid, amabò, tam inauditum, tam singulare, tam ab omni usu & exemplo remotum; quàm Ens, sinè ul-

la

la existentiæ suæ causa, sinè ullo sui ævi principio, sinè ullo perfectionis suæ limite: immensum, sed citra multiplicitatem partium: sempiternum, sed citra successionem temporum: liberrimum, nec tamen mutabile: principium omnis motûs, & tamen moveri prorsus nescium: quod sit omnia, & ab omnibus simul differat: quod omnium varietatem bonorum in se colligat, & unum nihilominus, simpliciſſimúmque sit bonum: quod ipsum per se suus sibi sit locus, suum agendi instrumentum, suæ divitiæ, suum regnum, sua beatitudo, sua omnia? Ubinam, rogo, alibi pleniorem materiam invenire humana admiratio, ubinam suaviori pabulo expleri nostrarum mentium curiositas possit? *Quid hac voluptate jucundius?* Liceat mihi cum D. Hieronymo concludere. (*Ep.* 155.) *Qui cibi, quæ mella sunt dulciora, quàm DEI scire prudentiam, & in abdita ejus intrare?* Nec, quia contemplantis mens, inter novitates tam multas, támque admirandas, confusa hæreat, desperétque, non modo illas omnes comprehendere, sed vel ad unius caput quantocunque suo nisu pertingere; minorem ideo ex earum indagatione voluptatem percipit. Vel exiguissimum nempe illud, quod ex tantis rebus assequitur, multò plus admirabilitatis, magnificentiæque ha-

habet; quàm integra & plena naturalium quarumcunque veritatum comprehensio. illúdque tantò ampliùs, quod in nondum emensa, nec unquam permeabili ulteriorum spatiorum infinitate, latet simul, & lucet; hac ipsa de causa, quòd omnem humanæ investigationis vim, & scientiæ amplitudinem transilire cognoscitur; intuentis animum dulci quodam stupore suspensum, atque attonitum detinet. *De rebus altissimis etiam parvâ & debili consideratione posse aliquid inspicere, jucundissimum est* (*L. 1. contra Gent. c. 8.*) Verba sunt Doctoris Angelici, non à sua minùs experientia, quàm à communi ratione ad ità sentiendum, & scribendum impulsi. Præterquam quòd tantæ immensitatis objectum, ceu repetitâ, vel productiori speculatione clariùs semper, atque uberiùs dignoscitur; ità usque novam inexhaustæ voluptatis materiem pergit speculanti suppeditare. Certè plus bonorum alicui in promptu esse, quàm quod exhauriri ab eo penitùs queat, adeò illius felicitati, & delectationi minimè officit; ut tota divitiarum æstimatio, & jucunditas in hac una supra usum affluentia consistat: nec quisquam Apicius, vel ejusmodi alius ciborum gurges, hilariter minùs epulo accubuit, ubi eduliorum copia quantumcunque sui stomachi, suæ-

que saturitatis modum excederet; quàm alteri, ubi dimensa ex naturæ usu omnia, nihílque superfuturum jam expletæ aviditati suæ foret.

4. Perge jam, videamus, num DEUS, ceu quibuslibet aliis objectis, secundùm commemoratas duas dotes, nimirum naturæ excellentiam, & decorum admirabilitatem, præeminet; sic, secundùm quoque tertiam, nempe innatam nobiscum affinitatem, iisdem mereatur præferri. Atqui meridianâ luce clariùs id patet: cùm quæcunque nomina, unde aliquid nos propiùs attingit; in eo simul, & propriissimè omnia conveniant. Tria, ni fallor, hæc sunt: vel quòd illa res, scilicet nativam nobiscum necessitudinem habeat; vel quòd nostris usibus peculiariter serviat; vel quòd singulare aliquod nostrum bonum contineat. Quodnam igitur ex prædictis nominibus usquam alibi æquè excellens, & proprium reperiri, ac in DEO, potest? Congruit primò illi, esse nostrum omnium parentem, & multò quidem potiori jure, quàm cuivis parentum mortalium: tum quia nihil hi nobis, præter corpus caducum, extimam, & vilissimam nostri partem, dederunt: imò nè corpus quidem, sed corporis duntaxat rudimentum, & informem materiam, cùm igna-

ri

ri omnino essent illud rite disponendi, & per convenientes sibi numeros, atque partes formandi: tum quia hoc ipsum qualecunque beneficium temerè nobis, fortuitóque præstiterunt, sinè ulla videlicet, seu distincta nostri cognitione, seu voluntate, nos potiùs, quàm quemcunque alium mortalem gignendi. At cælestis Genitor peculiari, æternóque decreto nosmet præ innumeris aliis, quos nostri locò velle poterat, ad vitæ hujus, atque lucis usuram elegit: mox divinæ artis suæ manum sub materna viscera immittens, indigestam, quæ ibi claudebatur, nostri corporis massam suos in artus distinxit: immortalémque illi spiritum, à quo vitam haberet, ínque hominis specie constitueretur, infudit. Quare ipsum præ quovis alio habere in parentis loco debemus, & cum Isaia illi dicere, (*c. 65.*) *Tu pater noster es, & Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos.* Præterea, primo hoc munere haud quaquam contentus, in singula nobis momenta providentissimi tutoris ritu adest, producens, & conservans ea, quorum indigemus, cúmque causis secundis, tanquam princeps author, continuè agens, quæcunque in nostros usus illæ agunt: quemadmodum pariter assiduâ præsentíque ope ad quoscunque nostros actus vitales nos adju-

vat. Adeò ut magis ille dicendus sit nos nutrire, quàm cibi, queis vescimur: magis nos sustentare, quàm terra, cui innitimur: magis nos defendere à tempestatum injuriis, quàm tecta, quæ incolimus: magis fingere nostras voces, quàm lingua, cujus ministerio promuntur: magis demum conferre ad nostros videndi, audiendi, intelligendi, volendi, & quoscunque alios actus, motúsque, quàm ipsimet sensus, & corporis, animæque facultates, quæ naturalia eorum sunt instrumenta: ceu ille, in quo præcipuè, magísque, quàm in nobismet ipsis, (*Act. 17.*) *Vivimus, movemur, & sumus.* Postremò dubium esse nemini potest, quin ipse ultimus ille finis sit, cujus gratiâ procreati sumus, & in cujus assecutione supremum nostrum bonum, nostráque omnis beatitudo consistit. Quapropter stupidissimus, humanóque omni sensu carens existimari mereretur, qui nîl pensi haberet noscere objectum adeò sibi intimum, secúmque tam penitùs quovis genere affinitatis conjunctum.

5. Imò ex hoc ipso nomine, quòd DEus noster ultimus finis sit, argui jure optimo potest, illius cognitionem, præterquam quòd peculiari ratione ad nos spectat; utilissimam item omnium maximéque necessariam nobis esse.

esse. Cùm enim nihil perinde nostra intersit; nostrum finem ultimùm consequi; ceu ad hunc consequendum nullà alia nos magìs, quàm illius, cognitio adjuvat; sic nulla item alia nobis opportunior, magísque necessaria esse potest. Quod quamvìs extra omnem controversiam sit; quia tamen ad divinæ scientiæ commendationem plurimùm valet; operæ pretium fore arbitror, distinctiùs paulò agere de validissimis ad ultimum finem obtinendum præsidiis, quibus illa nos instruit. Et multa eorum quidem consideranti se objiciunt: sed brevitatis ergo ad duo illa contraxisse sufficiet: ad amorem videlicet summi Boni, atque despicientiam inferiorum bonorum, quæ fallaci sua specie ab illo nos avocant: effectus sanè ambos, quàm permagni ad æternam salutem momenti; tam divinæ proprios scientiæ: cui proinde multò justius, quàm humanæ Philosophiæ illud congruit Tullianum elogium, *O vitæ Philosophia dux, O virtutis indagatrix vitiorúmque expultrix, quid non modò nos, sed & vita hominum sinè te esse potuisset?* (*Tusc. 5.*)

6. Utque à posteriore ordiar; nónne apertè intuemur, quemadmodum, sole exorto, nocturnus quivis siderum fulgor evanescit; sic, ad boni valde eximii conspectum,

deficere vulgarium æstimationem bonorum? Innumera sunt exempla, quæ unusquisque sibi possit effingere, si ad honores, divitias, ædificia, oblectamenta, & seu corporis, seu animi decora mentem reflectat. In singulis quibusque generibus, quod admirationi modò erat, ubi alterum duplo majoris excellentiæ occurrat, dimidiâ pristinæ æstimationis parte decrescit: síque tertium centuplo præclarius ex adverso appareat; nullius pretii jam est, próque vili & gregario despicitur. Fac ergo, alicujus intelligentiæ multo, & vivido in lumine affulgeat infinita DEI perfectio, pulchritudo, & majestas: numquid ille, tam eximium & incomparabile objectum præ oculis habens, magnum quidquam existimare in humanis rebus poterit? Minimè quidem: sed, in immensi exuperantissimíque illius boni admiratione defixus, quidquid imo hoc in orbe splendidi & magnifici apparet, nè obtutu quidem dignabitur: aut, si fortè intuetur; tale spectanti videbitur, quale videretur, si è supremo cæli vertice illud aspiceret, atomo scilicet, vel pulvisculo minus. *In excelsis habitabit*, (*Isai. 33.*) *Regem in decore suo videbunt oculi ejus: cernent terram de longè*: Ipsíque etiam eveniet, quod Gentium Apostolo evenisse legimus, cùm inter conversionis

nis ſuæ initia, Chriſti Domini viſione dignatus, ad reliqua omnia cæcus illicò evaſit, (*Act. 9*) *Apertíſque oculis nihil videbat*: Quódque Apocalypſeos ſcriptori, Joanni, cujus ab oculis, cùm DEum in cæleſti ſuo ſolio eminentem contemplaretur, tota ſubitò evanuit creatarum uniuerſitas rerum: (*c. 20.*) *Vidi thronum magnum, & ſedentem ſuper eum, à cujus conſpectu fugit terra, & cælum.* Vel Democriti illi, atque Anaxagoræ, quorum mens ultra naturæ limites non aſſurgebat, ex mera nihilominus mundanæ totius molis conſideratione quamdam concipiebant, ut Platonis phraſi utar, (*6. de Rep.*) *Cogitationum magnificentiam*, animi nempe altitudinem, quidquid in terrenis rebus vulgus miratur, pro humili exiguóque aſpernantem. Quocirca inter alios Philoſophiæ naturalis effectus, hunc itidem M. Tullius recenſet, quòd, exaggeratis ſplendidíſque illius ſpeciebus imbuti, (*Acad. Qu. 4.*) *Erigimur, elatiores fieri videmur, humana deſpicimus, cogitantêsque ſupera & cæleſtia, hæc noſtra, ùt exigua, contemnimus.* Et Plato, cujus paulò antè meminimus, horum quempiam deſcribens, cælum animo peragrare, & cum ideis colloqui ſolitum; quales indè hauriat de Regum potentia, & poſſeſſionibus divitum ſenſus, ſic exprimit: (*in Thæet.*) *Etenim, cùm ty-*

tyrannum, aut Regem laudari sentit; unumquemdam pastorem ovium, vel bubulcum extolli existimat, quòd abundè mulgeat. Cùm verò agrorum decem millia jugerum, vel plura etiam prædicari audit, quasi magnum quid ab eorum Domino possideatur; exigua quædam audire se putat: quippe qui universum orbem terræ spectare sit solitus. Si ergo mera visibilis mundi contemplatio omne adeò in horum sapientum animo deprimebat rerum humanarum pretium; quantò illud magis in Christianorum sapientum animis deprimet intelligibilis alterius mundi, DEI nimirum cognitio, præ quo tota conditarum rerum universitas nihil dici majus potest, quàm (*Sap.* 11.) *Momentum stateræ, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram?* Ex Trismegisto audire libeat: cui solius humanæ rationis jubar sat fuit, ut luculentissima hujusce veritatis testimonia relinqueret, tum in Pimandri capite nono, ubi ait: *Homo DEO devotus, quamprimùm divinam prægustaverit visionem, oblivioni reliqua omnia tradit*; tum in proximè subsequenti, ubi adjungit: *qui id intelligit, nihil cogitare amplius potest.* Quin imò ex locupletiori alio, & idoneo magis teste addiscere id libeat, sanctissimo nempe Gentium Doctore, qui supernaturali luce illustratus, pro concepta indè supremi sui authoris notitia, quid-

quid

quidquid terrenorum decorum est, non contemptui duntaxat, sed abominationi etiam profitetur se habere: *Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam JEsu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror, ut stercora.* (*Ad Philip. 3.*)

7. Neque minùs proprium Divinæ scientiæ est, excellentissimi objecti sui amorem producere. Quemadmodum enim ignis, quantacunque vi polleat, minimè hanc valet in absentes, ac remotos exprimere, quantoque fit corporibus propior, tantò majorem ea calefaciendi habilitatem nanciscitur; sic & bonum, quantæcunque magnitudinis sit, nullo sui sensu inflammare animos potest, quibus per cognitionem præsens non fuerit: quantúmque hæc interior præsentia & propinquitas crescit; tantò major indè consequitur amoris producendi efficacitas. Imò tam impossibile est, quidquam amari, citra ejus notitiam; ut Doctor Angelicus hinc conficiat, necesse omnino esse, ut Spiritus sanctus non à Divino solùm Genitore, sed à Filio etiam procedat. Siquidem cùm filius procedat. (*1. p. qu. 36. a. 2.*) *per modum intellectûs, ùt Verbum*, & Spiritus sanctus, *per modum voluntatis, ùt amor; necesse est, ut amor à verbo procedat. Non enim aliquid amamus, nisi secundùm quod conceptione men-*

tis apprehendimus. Quid refert igitur, Deum ignem esse immensæ virtutis, totíque hominum generi vitalibus charitatis suæ flammis absumendo parem: *(Deut. 4.) DEus noster ignis consumens est?* Tota hæc illius ardoris immensitas nè scintillulam quidem amoris excitare in animo poterit, qui congruenti cognitione illius careat. Nimis arcta est cognatio caloris cum luce: nimis certa, & perpetua naturæ lex, ut affectio ab intelligentia dependeat. Quanta mentis illustratio est, tanta esse solet voluntatis incensio: & prout clarè, vel obscurè bonum cognoscitur; ità etiam seu flagranter, seu frigidè amatur. Qui Divinam Charitatem concipere amat; Divinam sibi Sapientiam desponset. Una hæc potest tantam sobolem parere. Síque id mihi non creditur: ipsi saltem credatur, sua inter spectatissima decora primum hoc venditanti, (*Eccli.* 24.) *Ego Mater pulchræ dilectionis.* Paucis, quod in cælo est aperta DEI visio, hoc in terris pro suo dici modulo potest ænigmatica ejusdem cognitio. Ceu quippe ab ea superis; ità ab hac nobis perfecta charitas provenit: plenissimus scilicet bonorum omnium cumulus, & quidquid rationali animæ licet, seu perfectionis in præsenti vita acquirere, seu beatitudinis possidere in futura. *Unde per contemplationem Divinæ*

Ve-

Veritatis. Concludit hìc D. Thomas, (*2. 2. qu. 80. a. 4.*) *Fit nobis quædam beatitudinis inchoatio, quæ hinc incipit, ut continuetur in futuro* : Suam confirmans ſententiam ipſiuſmet Ariſtotelis authoritate, *qui in contemplatione optimi intelligibilis ponit ultimam hominis felicitatem.*

8. Sed quamvìs commemorata hactenus emolumenta ſat perſpicuè demonſtrent Divinæ utilitatem ſcientiæ; adhuc tamen liquidiùs certiúſque fas erit agnoſcere, quanti ea ſit in rem noſtram momenti, ſi pernicioſiſſima obſerventur effecta, ex privatione illius conſequentia. Etenim undenam illa oriri dixerimus tot errorum, ſcelerúmque contagia, quæ per orbem latè univerſum graſſantur, & innumeris humanum genus cladibus vaſtant? Unde illam adeò abnormem, & ubique ſpectari obviam judiciorum, noxia utilibus anteferentium, perverſitatem, perduellium rationi cupiditatum licentiam, morum omni genere improbitatis corruptorum, fœditatem, divini humaníque juris perturbationem, & ultima quævis flagitia perpetrandi impudentiam? Non longo circuitu & labore opus eſt ad reperiendam tot exitiorum originem. Uno illam verbo S. Bernardus deſignat, (*Serm. 38. in Cant.*) *De ignorantia DEI univerſæ malitiæ conſummatio venit.* Ità profectò hæc radix unica pe-

pestiferorum illiusmodi germinum est : hæc scaturigo , unde in orbis perniciem tantum exundat vitiorum , malorúmque diluvium. Nimis rara , atque tenuis est inter homines summi boni cognitio. DEUS plerisque ità est , ac si prorsus non esset : adeò nihil de illo cogitant , adeò ignari illius vivunt. Et quid mirum deinde , si aut illum nescientes , ab eo procul devient ; aut ab eo deviantes , in quævis præcipitia & abrupta miserrimè corruant? *Non est veritas , non est scientia DEI in terra* , justissimè Oseas quæritur : (*c. 4.*) Et quid inde ? nimirum , quod protinus idem subtexit , *Maledictum , & homicidium , & furtum , & adulterium inundaverunt.* Qualis , seu purus , & perspicax , seu malè affectus , & cæcutiens interior hominis oculus fuerit ; talem etiam totum hominem fore Divina Sapientia pronuntiat. *Luc.* 11.) *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex ; totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit ; etiam corpus tenebrosum erit.* Cùm Regium Vatem audieris , Christi Domini hostibus mentis cæcitatem imprecari , (*Ps. 68.*) *Obscurentur oculi eorum , nè videant* ; expecta additurum continuò, *Et dorsum eorum semper incurva.* Imò nè expecta quidem , sed enuntiatum jam satìs in priore versiculo puta : cùm , teste S. Augustino , neque-

queat à posteriori execratione immunis esse, qui prima sit confixus. nec errectos habere humeros, cujus oculi videndi usu careant. *Quia, cùm cessaverint superna cognoscere; necesse est, ut de inferioribus cogitent.* Quod supremis temporibus in majori mundo continget; nullo non tempere videmus in minori contingere. Quemadmodum ibi *Sol obscurabitur*: (*Matt. c. 24.*) illiúsque obscuritati universalis cæterarum rerum omnium perturbatio succedet, *Et luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur*: Ità & hìc, si divinus Sol cognitionis suæ jubar menti subduxerit; horribilis quædam in tota hominis vita, universisque actionibus, & animi facultatibus vastitas & confusio subsequitur: adeò ut vel ipsa defeciisse simul videatur naturalis ratio, quæ, instar lunæ, ac stellarum, compensare aliquatenus jacturam diurnæ lampadis poterat. Animadversum scitè est ab antiquo Scriptore, (*Lucian. de non cred. cal.*) Ferales tragœdiarum nodos necti plerumque ab ignorantia solere. Sed enim multò id certiùs animadvertere nobis fas est in quibuslibet animarum tragœdiis. Cùm nemo damnatorum ad inferos sit, cujus tristissima, æternúmque lugenda catastrophe ex DEI ignoratione sua primordia non duxerit:

pro-

prout ipsimet ad unum omnes fatentur, seri accusatores transactæ olim apud superos vitæ, horrendóque illo è barathro, in quod sua illos cæcitas præcipitavit, miserabili cum ejulatu clamitantes, (*Sap. 5.*) *Ergo erravimus à via veritatis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Ah non unus, non unus est Pharao, surdus ad imperia, quia cæcus ad notitiam cælestis sui Domini. Superba & contumax illa ejus responsio, (*Exod. 5.*) *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus? Nescio Dominum, & Israël non dimittam*, à quo non impiorum saltem practicè repeti audiatur? *Nescio Dominum*, ait vindictæ appetens: & ideo injurias condonare hostibus nolo. *Nescio Dominum*, ait voluptatum helluo: ideóque refrænare interdictas libidines nolo. *Nescio Dominum*, auri idololatra inquit, ideóque abstinere ab injustis quæstibus nolo. *Nescio Dominum*, clamant in summa omnes, qui vitio quopiam irretiti tenentur: atque hoc in causa est, cur tam parvi illum pendant, & quotidianis criminibus, atque offensis irritare nîl dubitent. Si enim infinita illius merita, pro eo ac par est, comperta haberent; nè majori cum reverentia, & obsequio tantæ illi Majestati servirent. *Si cognovissent; nunquam gloriæ Dominum crucifixissent.* (*1. ad Cor. 2.*) Atque huc procul dubio spectabant illæ

D.

D. Ignatii Parentis mei voces, cùm extra se animo raptus, & corpore à terra sublimis, inter admirationem Divinæ Magnitudinis, quæ tunc se illi intuendam præbebat, mœroremque de neglectu, in quo eadem apud plerosque hominum est, audiebatur ex imis præcordiis repetere, (*Bart. in vita L. 1. n. 27.*) *Ah DEUS! si te homines nossent?* Ah maximè DEUS, primum principium, & ultime omnium finis, cur tam rara, atque exigua tui, tanti Boni, notitia inter mortales est?

9. Quocirca, veluti antiquus ille Laco, (*Plut. in Apophth.*) cùm irrito diu conatu laborâsset, exanime cadaver ità supra pedes statuere; ut, iis per se innixum, viventis, atque erecti habitum retineret; necesse est (tandem subjecit) magnum hìc quidpiam deesse; sic ex summa ad rectè vivendum inhabilitate; quæ in animabus DEI scientiâ destitutis se prodit, arguere & nos meritò possumus, quàm necessario, utilique instrumento illæ careant: colligendo ad extremum, si supremi illius Veri atque Boni ignoratio totius perversitatis fons est; fieri neutiquam posse, quin ejusdem cognitio totius sit probitatis fundamentum & caput. Neque id colligentes, quidquam illi novæ laudis impertiemur, quæque ipsius excellentibus meritis persoluta multò pridem

haud

haud fuerit. Cùm non modò Trifmegiftus talem eam nobis exhibeat, fcribens, (*Pim.* 10.) *Hæc unica eft falus homini, cognitio DEI, hæc ad Olympum afcenfio: ex hoc uno anima bona*, fed in facris quoque Literis fimilium titulorum magnificentiâ exornetur, tum à fapientiæ Scriptore, qui eam (*Sap.* 15.) *conſummatam juſtitiam, & radicem immortalitatis* nuncupat, tum ab ipfo DEI Filio, qui, æternum Genitorem fuum alloquens, in ea profitetur veram immortalémque hominis vitam conſiſtere: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum DEum verum, & , quem miſiſti, JEſum Chriſtum.* (*Joan.* 17.)

10. Et ſanè, O te Lector! beatum, ſi ad quærendam tanti momenti, atque pretii ſcientiam toto pectore incumbas, ulteriùs in ea ſemper proficere, atque ulteriùs contendens, quoad ſplendidiſſimam, &, quantum fieri poteſt, maximè eximiam incomprehenſibilis illius objecti ſpeciem menti tuæ impreſſeris: adeò ut quævis DEI recordatio, vel mentio ad permovendum tibi ſubitò animum, & intimo quodam reverentiæ, admirationis, atque amoris ſenſu complendum ſufficiat. Quàm novos & optabiles indè fructus percipies? quantâ Divinorum munerum affluentiâ ditaberis? quàm dulci cum ſtupore te aſpicies, intrà breve temporis ſpatium

fe-

feliciter adeò immutatum? tantò nimirum meliorem te ipso, à terrenis puriorem affectibus, tranquilliorem à perturbationibus animi, & ad omnia interioris vitæ exercitia paratiorem & compositum magis? nullum finem faciens celebrandi faustissimum diem, quo cæleſti huic Philoſophiæ incœpisti vacare, déque ipsa profitendi, quod Hebræus ille olim profitebatur sapiens: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. Et lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia: & ignorabam, quoniam horum omnium mater est.* (*Sap.* 7.)

CAPUT III.

Colligitur ex hactenus dictis, quàm ardens, & commune in hominibus esse deceat cognoscendi DEI studium.

Concluſio, quam hujus capitis titulus præfert, ex duorum præeuntium doctrina planè adeò & per se subsequitur: ut supervacuum videretur, in ea ulteriùs demonstranda immorari, nisi necessarium id faceret mira quædam in plerisque hominum vecordia, & stu-

piditas: qui, quanquam & sciendi avidissimi suâpte naturâ sint; & objectum in DEO habeant, præ omnibus aliis sciri digniſſimum; credi tamen vix potest, quàm negligenti, remissóque animo sint, ad illius sibi comparandam scientiam: adeò ut de nulla re alia minùs cogitent, nullius investigandæ, addiscendæque minorem præferant curam: síque fortè mentionem de illo inferri audierint, loco perpotandi siticulosa aure cæleste illud nectar, præque nimia delectatione exclamandi, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo?* nullo dictorum sensu afficiantur: sed perinde quasi peregrino quopiam sermone verba fierent, vel non audientium, vel non percipientium vultu adsint, oscitabundi interim præ fastidio, jámque huc os, jam illuc torquentes, & intrà se mussitantes, *Nauseat anima nostra super cibo isto leviſſimo.* At undenam, quæso, hic interioris palati stupor, ad pabulum tam salubre, tam jucundum, tam nobile, cúmque nostro rationali appetitu tam congruens? Ii certè nos sumus, quos nulla capit satietas percontandi, audiendíque de magnorum Regum negotiis, consiliis, atque eventis, tanquam de rebus, ob personarum excellentiam, indagatu, & scitu maximè dignis. Atqui nonne DEUS Princeps est, immenso in-

intervallo mortalium quorumvis Regum majestatem exuperans, & cui naturali necessitate ità subditi sumus; ut per gratuitam Baptismi adoptionem, illius quoque filii evaserimus? Cur ergo nullâ tangimur curâ pernoscendi, quoad liceat, illius naturæ eminentiam, perfectionum decora, imperii laxitatem, regiminis rationem, operum magnitudinem? Si dulcedo res novas cominus explorandi animum stimulet; nullum iter videtur longum, nullæ graves impensæ, nullum non tolerabile incommodum. Valere ultro Patriam jubemus, nullis metuimus objectare seu maritimis, seu terrestribus periculis caput, plures nostrâ sponte pererramus regiones, quàm adversis cogentibus fatis, Homericus Ulysses lustraverit. Et tamen quidquid variarum notionum toto illo discursu quæsitum fuerit, nihil ferè aliud potest vocari, quàm sterile curiositatis, generosæ quidem, sed inutilis pabulum. Quare igitur per intelligibilem Divinæ immensitatis mundum spatiari mentis gressibus piget: qua in peregrinatione & multò minus exhauritur laboris; & veritatum passim occurrentium admirabilis novitas, præter oblectationem longè suavissimam, inæstimabiles simul fructus animo parit? Utcunque proletarium & ignobile objectum aliquod sit,

cujuſmodi pleraque negotiorum ad rem familiarem ſpectantium pars eſt; ſi tamen ignorari abſque gravi rationum noſtrarum detrimento nequeat, vix ullus vel deſidioſæ adeò, vel ſuperbæ indolis fuerit, quin de illo ſolicitè inquirat, accuratéque, & ad plenum edoceri laboret. At numquid vel dubitare poſſumus, quin ultimi finis noſtri aſſecutio, plùs omnibus aliis rebus & curis noſtrâ interſit; vel non ſatìs jam vidimus, ad felicem tanti negotii exitum nihil majori præſidio nobis eſſe, quàm ſummi Boni ſcientiam, nihil majori impedimento, quàm ejuſdem inſcitiam? Quare ergo de cauſa illius cognoſcendi ſtudium, in quo ſummæ utilitati par reſpondet nobilitas, minimè nobis curæ eſt, oblivioni & neglectui traditur? Trahunt nos ad ſui inveſtigationem objecta terrena, quamvìs nonnisì una quapiam ex prærogativis ſuprà allatis commendentur: & non trahet illud ſupremum ac cæleſte objectum, in cujus commendationem eæ omnes conſpirant? Studiosè aucupamur ſcientias, quæ vel mediocrem nobilitatis præſtantiam, vel tantillæ admirabilitatis ſpeciem, vel remotam nobiſcum cognationem, vel exiguam noſtris uſibus ſerviendi virtutem præſeferunt: nihílque de ſcientia DEI laboramus, quæ totam, quantacunque eſſe poteſt, ſingu-

la-

larum hujuſcemodi dotium perfectionem una complectitur? Quidnam hìc reſponderi poteſt? aut quæ non dicam vera, ſed veriſimilis ratio tam abſurdæ novitatis, ſtudiorúmque adeò inter ſeſe diſſidentium afferri?

2. Ah nimiùm, plúſque nimio iſthæc agendi ratio contumelioſa DEO eſt. Fingamus, age, Sabam illam, quæ ſuo è regno Hieroſolymam contendiſſe in ſacris Literis traditur, toto, quod ibi egit, tempore, alia omnia ſolicitè inquirentem, unius Salomonis agnoſcendi omnino incurioſam fuiſſe, adeò ut illo nè obiter quidem viſo, ſuas ad ſedes redierit. An non per hujuſcemodi incuriam palmari affectus contumeliâ glorioſiſſimus ille Princeps fuiſſet? Fuiſſet haud dubiè: cùm, qui præ omnibus aliis regiæ ſuæ urbis ſpectaculis merebatur requiri, externæque curioſitatis ad ſe oculos rapere; unus contra eſſet neglectuî habitus, unus nullo obtutu dignus habitus. Quidni ergo ſimilem DEO injuriam facere dicendus ſit, qui in hoc univerſitatis theatro, ſingulas quaſque rerum obviarum ſpecies curioſo indagatu perluſtrans, unum ipſum omnium authorem, & creata quævis decora excellentiori longè modo in ſe continentem, faſtidit reſpicere, neglectúmque, & inobſervatum à tergo relinquit? (*Matt. 12.*) *Ecce pluſ-*

quam Salomon hic. Præterea, cùm ex DEI munere habeamus, ut ſimus, neque brutum pecus, ſed intelligendi & ratiocinandi capaces ſimus; quodnam tenuius grati animi ſpecimen beneficentiſſimo Conditori exhibere poſſumus, quàm ſi ſtudeamus eum noſſe? Hoc certè ſtudium vectigal illud eſt, quod à D. Eucherio monemur DEO eſſe inprimis ſolvendum. (*Ep. ad Valer.*) *Primum in lucem editi hominis officium eſt ſuum cognoſcere authorem, cognitúmque ſuſpicere.* Atque hæc proinde prima eſſe deberet ſingulorum hominum cura, ſtatim ac ratione uti incipiunt: ceu clariſſimo Eccleſiæ lumini D. Thomæ Aquinati, prima fertur fuiſſe: qui, vel puerulus, & Grammaticæ duntaxat auditor, (*Hiſt. Caſt.* 1. *p.* L. 3. *c.* 10.) nihil cupidiùs ſciſcitari à Magiſtro ſolebat, quàm, quid eſſet DEUS, neſciens expleri audiendo, nullúmque finem faciens ruminandi, & mirandi ſecum, quæ audierat. Quàm ingratum igitur ſuo authori ſe prodit, qui neque hujus generis cultum, quamvis & facillimum, & ante omnes alios debitum incomparabilibus illius meritis reddit.

3. Excuſari tamen aliquatenus poſſet, ac culpabilis minùs videri hic tam juſti officii neglectus, ſi ſaltem ad rei noſtræ amplificationem nonnihil conferret. Sed enimverò

tam

tam apertè id falsi convincitur, imò tam perspicua contrarii veritas patet; ut non modò nulla ex parte hinc decrescat, verùm multò adhuc major fiat culpa. Nam, cùm infinita adeò DEI dignitas sit; ut ejus notitiam, vel quantovis cum nostrarum rationum dispendio deberemus quærere; nè à gravissimi quidem dispendii nostri metu ad eam quærendam impellimur. Et verò obscuráne, & levia sunt damna, quæ ex illius ignoratione nobis proveniunt? In primis nemo mihi vel mediocriter prudens negaverit, mentem nostram, quemadmodum veritatem pro peculiari suo fine, ideóque pro peculiari etiam bono suo habet; sic ab omni veritate, cujus notitiam assequatur, aliquod perfectionis incrementum recipere, & tantò illud ab unaquaque amplius; quantò hæc fuerit suâpte naturâ excellentior. Porrò inter primam veritatem, quæ DEUS est, & reliquas omnes, quæ creatum aliquid menti offerunt, nulla potest comparatio circa naturalem excellentiam institui. Illa Regina est; hæ ancillarum turba: illa ultimus finis; hæ instrumenta consequendo fini utilia: illa pabulum immensæ ubertatis, quódque mentis non solùm appetitui sufficiat, verùm etiam satietati superfit; hæ tenuis quædam degustatio, quæ aviditatem

sciendi irritet potiùs, quàm expleat. Ut proinde D. Augustinus, animadverso, quantùm illa una his simul universis præcellat; nil dubitet, miserum, qui reliqua præter DEUM omnia, felicémque, qui unum ex omnibus DEUM norit, vocare. (*L. 5. Conf. c. 4.*) *Infelix homo, qui scit illa omnia, te autem nescit: beatus autem, qui te scit, etiamsi illa nesciat.* His itaque extra controversiam positis, quonam pacto existimari potest non pessimè is sibi consulere, qui, cùm locupletare mentem suam queat, primi illius diviníque Veri scientiâ, *infinito* nimirum, ceu in sacris Literis nuncupatur, (*Sap. 7.*) *thesauro*; infarcire illam potiùs supervacuis, & vulgaribus creatarum rerum notionibus studet? Nónne multò id detrimentosius quilibet dixerit; quàm si mercator, cui Peruvianæ auri fodinæ paterent, & plenissima adesset facultas onerariæ suæ pretiosis earum gazis complendæ, tanto, támque facili lucro posthabito, cumulare illam luto, aut lapidibus mallet?

4. Adde huc, quòd, cùm nati nos simus, haudquaquam *solis & cæli videndi gratiâ*, (*Lact. L. 3. c. 9.*) ceu de se Anaxagoras profitebatur, sed ut ipsum coram intueamur solis, atque cæli Effectorem; quemadmodum in mortali hoc exilio nil patimur tristius, quàm quod à bea-

beatissima illius visione prohibemur; sic nostram hujuscemodi ærumnam nullo alio pacto graviorem nobis possumus reddere, quàm si, quem intueri palàm nequimus, neque in remota, obscuráque cognitione habemus præsentem. Hinc siquidem, ceu nimbosam per noctem omni extincto, quà siderum jubare, funestæ adeò mentis cæcitas oritur; ut quævis divinarum rerum paulò intelligentior anima existimatura illam sit vel morte pejorem. Si enim animabus hujusmodi prolixæ mortis genus videtur, longè ab aspectu summi Boni atque pulchri in terris vivere, tametsi ejus præsentiam, contemplandis interea illius imaginibus, sibi aliquatenus suppleant; quidni tristioris, ac geminæ mortis locò eorum vitam ducent, qui communem illum divinæ visionis defectum, tanquam si parvi aliquid, & facilè tolerabilis mali esset, nè hoc quidem supplemento, & solatio sibi studeant lenire? Aut quomodo non perhorrescent ad solam considerationem tam miseri statûs: nullum facientes admirandi finem; & vix sibi persuadentes, reperiri aliquem, qui à vera sui animi vita adeò usquequaque disjunctus, vivere aut velit, aut possit? Vel Seneca, solo humanæ rationis ductu eò processit; ut diceret, deficiente homini rerum divinarum intelli-

gentiâ, omne eidem vivendi pretium deficere: síque hoc fructu carendum sibi esset; nihil causæ futurum, quare natum se vellet. *Nisi ad hæc admitterer; non fuerat operæ pretium nasci. Detrahe hoc inæstimabile bonum; non est vita tanti* (*Præf. L. 1. Nat. Qu.*)

5. Adde præterea, quòd DEI scientia ità divinæ visionis supplementum aliquod, & quasi compensatio quædam in præsenti vita est; ut præcipuum quoque sit instrumentum ad eandem in futura immortalitate obtinendam. agnoscentes siquidem, quàm incomparabilis sit supremi illius Boni magnitudo, & præstantia nihil experimur facilius, quàm ardens illius desiderium concipere, præque illo mortaliaquævis bona aspernari. Unde consequi deinde solet facilitas, tum fortiter repellendi, quæ ab illo nos avocant, vitiorum illecebras; tum alacriter capessendi Christianæ sanctitatis semitas, quæ ad illius acquisitionem nos ducunt. Cùm è contrario, si æterni solis, divinæque illius scientiæ lux animo desit; (*Is. 59.*) *Palpemus quasi cæci, impingamus meridie, quasi in tenebris*: Nec pedem attollere, & promovere gressum queamus, sinè manifesto discrimine deflectendi à salutis via, ínque errores fœdissimos, ac scelerum præcipitia ruendi.

6. Et

6. Et quiſquam porrò erit, qui, hæc rite perpendens, etiamnum pati, ac fovere in animo pergat inſcitiam, uſque adeò cùm honori divino, tum propriæ utilitati adverſantem? Ah, nisi omne penitùs rationis jubar, omnis DEI reſpectus, omne boni noſtri ſtudium in nobis defecit; excutiamus aliquando animos à torporis tam indigni, támque noxii veterno: neque ignotum eſſe nobis patiamur diutiùs ſupremum, æternúmque illud Verum, cujus contemplandi gratiâ procreati ſumus: quo nullum vel nobilius, vel delectabilius, vel ſalubrius mentis pabulum reperire uſquam alibi poſſumus, cujúſque in perceptione omnis poſita eſt animorum noſtrorum perfectio, & felicitas: ſed, animadvertentes potiùs, quàm & ipſum mereatur aſſiduè à nobis ſpectari, & nobis expediat in eo ſpectando aſſiduos hærere; decernamus jam nunc, ipſum deinceps habere pro ſingulari, & præcipua noſtrorum ſtudiorum materia: neque ideò permittere, ut terrena ulla ſeu oblectamenta, ſeu negotia nos avocent, quo minùs certum aliquod diebus ſingulis tempus in meditatione, & lectione, ad ipſius ſcientiam neceſſaria, expendamus. Juſtum quippe eſt; ut, ſecundùm legem à D. Eucherio propoſitam, (*Ep. ad Val.*) *primas apud nos curas, quæ pri-*

prima habentur, *obtineant*, & minoris pretii ac momenti ſtudia omnium potiſſimo haud gravanter decedant. Quod ſi aliæ rerum humanarum curæ tumultuari auderent, muſſantes, plus juſto à nova ſcientia ſibi temporis ſurripi; reſpondere hujus nomine illarum querimoniis poterimus, quod Alexander olim Macedo civitati cuidam, dimidiam agri ſui partem illius imperio offerenti, reſpondit: non ità videlicet ſeſe animo comparatum illò acceſſiſſe, ut parti acquieſceret, quàm indigenæ ſibi ultrò offerrent, ſed ut hi potiùs pro lucro haberent, quod à ſe iis relinqueretur. (*Sen. Ep. 53.*) *Eo propoſito veni in Aſiam, non ut acciperem, quod dediſſetis, ſed ut id haberetis, quod reliquiſſem.* Tantóque juſtiùs hoc reſponſi genere contra earum oblocutiones uti nobis licebit; quantò æquiori jure divina Sapientia totum ſibi vendicare tempus, atque ſtudium hominis poteſt; quàm totam ſibi uſurpare Alexander Aſiæ ditionem poſſet: quantóque minus arrogantiæ præſeferebant ii cives, partem aliquam ei concedendo, qui poterat per vim totum auferre, quàm terrena præſeferrent negotia, renuendo vel partem ei cedere, quæ legitima totius domina eſt. Reſpondeamus ergo indignabundis, ſéque juſto arctiùs circumſcribi dolentibus. Quænam veſtra iſthæc

hæc sunt lamenta, occupationes humanæ ? nimium divina Sapientia sibi temporis sumit. Injustè de illa quereremini, vel si sumeret totum. At parum propterea ex eo nobis supereſt. Perinde quasi plus deberetur : aut quasi hoc ipsum parum jure illa potiùs, quàm gratuita largitate vobis relinqueret. Si tantisper disquirere vobiscum instituatis, quidnam vos quídve divina sit Sapientia ? næ fateri ultrò cogemini, illam dominam, vos illius famulitium, illam finem, vos nonnisi mera instrumenta illius esse. Et justum videri nobis potest, ut Domini potiùs ad famulorum opportunitates ; quàm hi ad illorum usus se accommodent ? Nec palàm perspicitis, quàm præpostera, & naturæ institutis omnino contraria res foret, si instrumenta, loco recipiendi leges à fine ; illi potius præscriberent, quid, quomodo, & quamdiu agat ? Ah desistite, si quid rationis, pudorísque vobis supereſt, desistite, moneo, à postulationis tam absurdæ insolentiâ : nec exigui muneris locò ducatis, hanc accipere quantamcunque temporis partem, quæ cælestis Philosophiæ usibus supereſt : persuasum habentes, neque hanc ipsam vestri juris respectu atque gratiâ vobis concedi, sed quia illi minùs est necessaria : cui si toto opus esset ; totum etiam sinè cujusquam in-

injuria assignari posset, imò & deberet. In summa, velitis, nolitis; ferenda vobis conditio est, quàm ipsius nomine Seneca edixit: *Non sum id tempus acceptura, quod vobis supe fuerit: sed id habebitis quod ipsa erogavero.* (Ep. 53.)

7. Sic, inquam, respondeamus negotiolis ad res humanas, & præsentem vitam spectantibus: hâncque servemus libertatem præferendi eorum cuilibet divinæ studium Scientiæ. Quod ut alacriùs faciamus; operæ pretium erit respicere, quantâ contentione ad cæleste hoc studium sancti quique Viri incubuerint: ut nobilissimam hujusmodi occupationem nullis non præhabuerint oblectamentis atque curis mortalibus: ut totos ei dies, & bene magnam noctium partem suavissimè impenderent: ut neque, in iis obeundis, quæ maximè necessaria sunt vitæ officiis, ab ea prosequenda cessarent, perinde quasi unica hæc eorum requies. & vita esset: ut singuli denique proprios sibi feciſſe, & agendo exprimere viderentur illos de divina Philosophia Hebræi sapientis magnificos sensus. (*Sap. 7.*) *Invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ: & præposui illam regnis, & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illis. Quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum*

in

in conſpectu illius. Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Proderit, ùt ajebam, hos eorum tam ardentes, atque aſſiduos conatus reſpicere. Palàm quippe in exempli tam illuſtris luce intuebimur, quàm dedeceat, grave nobis videri, vel exiguam noſtri ſtudii, atque temporis partem in cæleſtis illius mercis pretium expendere; pro qua comparanda univerſam ii vitam, ſuáſque omnes curas, & vires bene expenſas putaverunt.

8. Neque minùs validum calcar, ad noſtram incitandam ſolertiam fors erunt profanorum ſapientum exempla. Quis enim pro dignitate explicet, quanto illi ardore atque niſu rerum naturalium ſcientiam quæſierint? En ibi Carneadem, qui neque menſis accumbens ſuas contemplationes abrumpebat: (*Val. Max. L. 8. c. 7.*) adeò in iis tota mente occupatus; ut obliviſceretur, ad cibos capiendos manum protendere. En Cleanthem, qui, coactus à paupertate mercenariis laboribus ſibi victum parare; invenit nihilominus, quod Philoſophiæ etiam parandæ impertiri tempus poſſet; (*Plut. de vit. Fæn.*) Noctibus quidem truſatilī molæ verſandæ, pérque diem indagandæ veritati operam navans. En Euclidem Megarenſem, tantâ Socratis audiendi cupī-

pidine incensum; ut quamvis capitale suis civibus foret Athenas intrare; (*Gel. L. 6. c 10.*) illuc tamen è patria, discendi studio periculi metum vincens, pluries itaret. En demum, nè longior sim, Archimedem, cui neque omnis direptæ ab hostibus patriæ tumultus, neque districtus supra caput ensis à geometricis suis studiis avocare mentem potuit: quoad; inter ea trucidatus, *Sanguine suo artis suæ lineamenta confudit*: (*Val. Max. L. 8. c. 6.*) plùs penè dolens inchoatæ speculationis, quàm ipsius vitæ sibi filum abrumpi. Quidnam, quæso, ad hæc dicimus? *Si tanti vitrum; quanti margaritum?* (*Tertul. ad Mart. c. 4.*) Si vulgaris naturalium doctrinarum, vitri nempe ignobilis, splendor tanto in pretio apud Sapientes hos fuit, dignúsque iis visus est, quem humanis quibusque rebus præferrent, & nullo non laborum impendio sibi licitandum censerent; quàm extremo esset nobis pudori, minoris æstimare, & segniori studio quærere inæstimabilem gemmam illius cælestis scientiæ, ad quam reliquæ omnes, veluti ad finem suum referuntur, cujusque ceu objectum, sic & pretii mensura DEUS est?

9. Sed duo interim genera mihi videor audire, qui rationibus inter se oppositis suam sacræ hujus Scientiæ comparandæ incuriam ex-

excusatum eant. Excusant se alteri, eò quòd DEI interior cognitio res sit nimium abstrusa, suóque captu major, & quam non nisi lynceo mentis acumine à natura instructis consequi liceat. Excusant contra alterì, quia illam consecuti jam sint: utpote qui probè noverunt, DEUM esse primum omnium principium, atque ultimum finem, æternum, immensum, omnipotentem, infinitè perfectum, & quidquid præterea de illo credendum orthodoxa Religio proponit. Atque ità, cùm utrique sibi invicem contradicant; utrique tamen simul adversùs inculcatum hìc à nobis noscitandi DEI studium conspirant: tanquam studium rei, vel nunquam obtinendæ, vel jam dudum obtentæ; minim'que ideo vel sufficiens, vel necessarium. Quæ si verè ab iis jactarentur, frustrà hoc ego argumentum mihi suscepissem tractandum, nihílque esset causæ, cur ultrà in eo vellem oleum & operam perdere. Sed enimverò tam non inutilis labor meus est; quàm inanes nulliúsque momenti eorum rationes. Utque à posteriorum prætextu refellendo ordiar; vel si nullum aliunde indicium extaret, quo probaretur parùm illos intelligentes DEI esse; ex hoc ipso manifestum fieret, quòd eum satìs à se intelligi prædicant: cùm, quantò quisque ulteriùs progreditur in

ſupremæ illius naturæ notitia ; tantò etiam clariùs perſpiciat infinitam, quæ ibi emetienda uſque ſupereſt, ſpatiorum amplitudinem. Si libet cognoſcere, inquit ſanctus Pontifex Leo, parúmne, an multum in cæleſti hac ſcientia quiſpiam profecerit, nè aliud ab eo exquirendum putetis ; nisì qualem, demiſſamne, an exaggeratam, de ſuo ibi profectu opinionem in mente habeat: pro certo ſtatuentes, neminem in hujuſmodi ſtudio poſteriorem eſſe, quàm qui illud emenſus ſibi totum videtur: neminem ampliores proceſſus feciſſe, quàm qui à meta ſe longiſſimè abeſſe, víxque egreſſum è carceribus putat. (*Serm. 9. de Nativ.*) *Nemo ad cognitionem veritatis magìs propinquat, quàm qui intelligit, in rebus divinis, etſi multùm proficiat, ſemper ſibi ſupereſſe, quod quærat.* Quorſum mihi igitur jactitant, divinas ſe omnes prærogativas, & proprietates in numerato habere? Perinde quaſi ad exactam objectorum tam ſublimium intelligentiam nihil ultrà opus foret, quàm nuda poſſe reddere, & utcunque explicare illorum vocabula. Glorientur potiùs, intimam eorum ſignificationem ſecundùm omnes ſuos numeros, & quàm clariſſimè fieri poteſt, perſpectam ſe habere. tunc enim fatebor, nullo ipſis circa DEI ſcientiam ulteriori ſtudio opus eſſe, utpote ad

ſum-

ſummam illius arcem provectis. At, ſi gloriatio hujuſcemodi vim & præſtantiam creatæ cujuslibet mentis ſupergreditur, déque ineffabilibus iis prærogativis nunquam ſciri tantum poteſt, quin immensò plus ſciendum ſuperſit; cur in qualicunque illarum notitia acquieſcunt, nec novis uſque, & novis conatibus amplificare, & perficere hanc ſtudent? Næ præclare nobiſcum ageretur, ſi tota vis grandium eorum nominum, æterni, neceſſariò exiſtentis, à nullo procreati, immenſi, infiniti, paucis ità verbis includi, atque exprimi poſſet, ut perinde eſſet eorum definitionem ſcire, ac ea omnino comprehendere. Labyrinthi ſinè ullo exitu, maria ſinè ullis litoribus ſunt: ubi creata quævis, vel Angelorum, nedum hominum, mens invenire ſemper poteſt, quò ulteriùs ſe extendat, quídque novi condiſcat: ſed nullo unquam vel æternitatis totius tempore omnimodam immenſiſſimi ſui objecti ſcientiam nanciſci: imò neque tantùm in ea promovere, quin, poſt quantoſcunque proceſſus, incipienti ſimilis ſit, ínque ipſo ſtudii ſui limine ac veſtibulo videatur conſiſtere. *Cùm conſummaverit homo: tunc incipiet.* (*Eccli.* 18.) Fateor quidem, divinam Eſſentiam, pro ſua abſolutiſſima ſimplicitate, non poſſe aliquatenus cognoſci, ali-

quatenus ignorari, sed, ceu partibus omnino carentem, à nostra intellectione vel minimè, vel totam attingi. Nego tamen, quod errorum magister Eunomius, adversùs certissima cùm orthodoxæ fidei, tum humanæ ipsius Philosophiæ placita, indè eruebat; perinde esse quomodolibet illam mente attingi, & omnino comprehendi. Neque enim ad plenam objecti comprehensionem sat est, illud totum agnoscere, nisi etiam cum tota, quæ ipsi congruit, claritate agnoscatur. Cujusmodi claritas (prout suo tempore ac loco monstrabitur) in nulla DEI cognitione inveniri potest, nisi in ea, qua ipsemet sese intelligit. Quapropter, ceu nemini ad summam hanc aspirare illius cognoscendi perfectionem licet; ità convenientissimum unicuique est, laborare & conniti, ut, quos maximos potest, divino adjutus lumine, in ea faciat progressus. Atque hoc illud est studium, quod ego omnibus, seu docti, seu rudes, seu ingenioši, seu hebetes sint, persuadere contendo, cujusque indigentem nemo se inficiari, nisi arrogantissimus, potest: indefessum videlicet studium, altiùs intrà mentem defigendi, clariorémque in dies efficiendi, & vividam magis qualemcunque illam DEI notitiam, quam, ex communi Christianæ fidei institutione, hau-

stam

ſtam in ſuis animis gerunt. *Dicente enim Prophetâ: Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus ſemper; nemini præſumendum eſt, quòd totum quod quærit, invenerit, nè deſinat propinquare, qui ceſſavit accedere. Nam qui ſe ad id, quò tendit, perveniſſe præſumit; non quæſita reperit, ſed in inquiſitione deficit.* (*S. Leo Serm.* 11. *de Paſſ. &* 8. *de Nativ.*)

10. Reliquum eſſet, ut, iis confutatis, qui per falſam animi præſumptionem ſat plenâ DEI ſcientiâ inſtructos ſe venditant; alios jam refellere aggrederer, qui per nimiam timiditatem, & ſocordiam DEI ſcientiæ ſe minimè idoneos queruntur: útque ad illorum arrogantiam deprimendam oſtendi, neminem reperiri tam excellentis ingenii, doctrinæque hominem, qui à plena DEI cognitione non longiſſimè abſit; ſic, ad jacentes horum animos juſtâ confidentia erigendos, oſtenderem, neminem quoque exiſtere tam indoctum, atque hebetem, qui in eadem multùm progredi nequeat. Sed commodiùs in ſequenti capite id fiet.

CAPUT IV.

Ostenditur, DEI scientiam nulli non possibilem, imò & facilem paratu esse, dummodo idoneis ad eam obtinendam instrumentis utatur, & tria hujuscemodi instrumenta afferuntur.

NEquaquam mihi animus est, suas ingenio laudes in præsentiarum detrahere, tanquam si egregiæ illius qualitates, vigor, acumen, claritudo, & sublimitas nulli adjumento sint, ad penitùs introspicienda rerum divinarum arcana. Cùm adeò explorata naturalis hujusce instrumenti in eam rem opportunitas sit; ut insignes Theologi doceant, (*Scot. in* 4. *Dist.* 10. *qu.* 6. *Durand. Cajet. & alii.*) vel in cælesti Patria, ex geminis mentibus pari lumine gloriæ perfusis, ab ea, quæ præstantioris ingenii sit, DEUM meliùs videri. Neque item contendo, nîl eodem conferre literarum studia, & doctrinæ opulentiam. Cùm in superiori capite affirmarim, naturales scientias divinæ Sapientiæ usibus famulari, nec alium creatæ cujuslibet veritatis finem esse, nisi ut nostros animos ad supremi, æterníque Veri notitiam de-

deducat. Illud unicè ſtatuo, & aſſero, prædicta inſtrumenta, quantocunque ad DEI aſſequendam cognitionem uſui hominibus ſint; non tamen adeò neceſſaria illis eſſe, ut vel plumbei quiſque ingenii, & literarum omnino inſcius eam facilè aſſequi nequeat.

2. Nec verò ſentire aliter poterit, quiſquis juſtam de Providentia DEI ſpeciem in animo habet. Cùm enim adeò illi curæ ſemper fuerit, à nobis cognoſci; ut hac de cauſa & rationis nos participes finxerit; & noſtros ante oculos ſpectabilia tot propoſuerit ſuarum perfectionum ſimulacra, quot mundus rerum ſpecies complectitur; quonam pacto non ſibi diſcors in operando; & finis ac propoſiti ſui immemor videretur, ſi nonnisi pauciſſimis facultatem ſe agnoſcendi impertiret? Præſertim verò cùm ejus notitia, ceu ſuprà jam vidimus, ex iis inſtrumentis ſit, quibus ad rectè vivendum, æternámque ideò conſequendam animarum ſalutem quàm maximè egemus: ut proinde credi minimè poſſit, factum ab eo eſſe privilegium, & decus paucorum, quod tam utile, & neceſſarium univerſo generi erat. Enimverò, ſi rationes, quibus in humano genere gubernando utitur, attendere libeat; hanc eſſe, quàm quæ maximè, ratam & ſtabilem illius regimi-

nis legem tam in gratiæ, quàm in naturæ ordine, támque circa corporis, quàm circa animæ usus, videbimus; ut, quantò major cujusque rei est necessitas, tantò ejusdem parabilior, & volenti promptior sit copia. Observat id S. Thomas (*p. 3. q. 63. a. 3.*) in Baptismate, quo quia nullum ex omnibus Sacramentis æternæ saluti obtinendæ necessarium est magìs; nullum quoque, seu materia, seu minister spectetur, faciliùs à cupiente haberi, & suscipi potest. Neque secùs observare idem in aëre, inque luce fas est: rebus, quarum usu nemo carere citra vel exitium, vel gravissimum incommodum potest: ideóque tam promiscuis, & cujusvis arbitrio ità expositis, ut ad hanc percipiendam satìs sit palpebras non demittere; hauriendíque illius gratiâ nihil amplìus requiratur, quàm labra diducere: *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* (*Ps.* 118.) Et arbitrabimur in sola sui agnitione ab hoc DEUM tam solenni & perpetuo sui regiminis ritu voluisse discedere: permittendo, ut plerisque hominum difficillima, imò etiam impossibilis paratu esset, quæ tanti erat momenti adeóque necessaria universis? Creatæ hujus lucis spectandæ causâ idoneam oculorum aciem non modò unicuique hominum, sed vel culicibus, & vermiculis tribuit: & ad contemplandum suum Esse, lucem inocciduam, lucem immensi ful-

go-

goris, lucem, è cujus aſpectu immortalis vita, & beatitudo hominis pendet, nonnisi paucis quibuſdam præſtantioris notæ mentibus habiles pupillas tribuerit?

3. Credat id ſanè, cui libet (argumentandi partes Triſmegiſtus hìc excipit) Ego quidem tam factu impoſſibile arbitror; quàm fieri non poteſt, ut bonitas in occulto eſſe amet. (*Pim.* 10.) *Proprium quippe boni, ſe notum præſtare.* Quocirca: cùm à nemine dubitari poſſit, quin DEUS ſummum bonum ſit; nemini quoque dubium eſſe poteſt, quin cuilibet noſcitandum ultrò ſe præbeat; (*Ib. c* 5.) *patentiſſimus omnium, menti perſpicuus, oculis præſens.* Ità ille, quamvìs nulla veræ fidei luce illuſtratus: Nec alia eſt ſive Lactantii, ſive D. Cypriani ſententia. Quorum prior diſertè profitetur, ad veram cæleſtémque ſapientiam comparandam, *non mercede, non libris, non lucubrationibus opus eſſe* (*Lib.* 3. *c* 26.) ſubdens protinus, *Gratis iſta fiunt, facilè, citò. Pateant modò aures, & pectus ſapientiam ſitiat; DEI fons uberrimus, atque pleniſſimus patet cunctis: & hoc cæleſte lumen univerſis oritur, quicunque oculos habent.* Alter verò adeò præcluſã eſſe nemini cognitionem DEI cenſet; ut impoſſibilem eſſe, præterquam volentibus, illius ignorationem affirmet: colligens hinc, quanta ſit perverſitas, claudenti-

um divinæ luci oculos, nè eam, undique circumfusam, cogantur videre. (*De van. Idol.*) *Atque hæc est summa delicti, nolle cognoscere, quem ignorare non possis.* Sed enimverò terrena fileant oracula, ubi cæleste insonat: neque attendatur hominum dictis, ubi palàm loquitur DEUS. *Clara est sapientia* (en ipsissima illius verba, Hebræi Amanuensis sui calamo ad totius ævi posteritatem transmissa) *Sap. 6.*) *Clara est sapientia, & facilè videtur ab his, qui diligunt illam. Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit. Assidentem enim illam foribus suis inveniet.* Quid de hoc nobis testimonio videtur? ullúmne desiderari potest significantius atque expressius? Constituatur, age, ex adverso propositionis meæ. Quidnam ego ibi affirmo, quod repetitum hìc audire non liceat? Imò quantò hìc facilior, quàm affirmata ibi à me fuerit, divina sapientia exhibetur: nihilo scilicet minùs diurna ipsa luce omnibus patens, se séque ultrò intuendam obtrudens? Et, post testificationem tam certam, superesse adhuc poterit, qui divinæ scientiæ dare operam timeat, tanquam rei nimis arduæ, communémque captum excedenti, & quam assequi supra vires suas sit? Non poterit certè: sed, nisi spiritum veritatis, contraria omnino do-

docentem, damnare falsi audet, cogetur fateri, cælestis illius scientiæ assecutionem tam in promptu cuique hominum esse; quàm in promptu cuique est, seriò illam velle.

4. Quanquam, etsi nulla aliundè veritatis hujus argumenta, & testimonia suppeterent; satis tamen ad persuadendam eam foret plurimorum exemplum, quos, vulgare ingenium sortitos, neque ullis excultos disciplinis, ad insignem DEI scientiam perveniisse novimus, ità ut profiteri cum Regio Vate possent, (*Ps. 70.*) *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini.* Cum è contrario non Ethnici solùm sapientes cæcorum ritu opinati de illo sint, & instar delirantium locuti, alii ejus immensitatem intrà certa loci spatia coarctantes; alii legibus fati omnipotentiam subdentes; alii omnem illi eripientes nostrarum rerum providentiam; non illi modò, inquam, inter infidelitatis suæ tenebras à germana illius cognitione crassè adeò turpitérque aberraverint; verùm etiam è Christianis Theologis multi; quamvis & sincerâ orthodoxæ Fidei luce colluſtrati, & perspicaciſſimâ mentis acie instructi; nihilo tamen minùs post pleramque ævi partem in scholis atque studiis contritam, à DEO, quantùm, & prout par est, cognoscendo longissimè absint: utpote qui

qui arcana ejus myſteria diſputandi potiſſimùm, & docendi gratiâ perveſtigantes, non etiam laborant, ex iiſdem colligere, intiméque aſſequi, quàm incomparabilis illius præſtantia, & amabilitas ſit: ſed totam hanc partem interioris myſticæque Theologiæ ſtudioſis relinquunt. Unde mox fit, ut divinas perfectiones diſertè illi quidem explicare, earúmque tum rationes ignaris aperire, tum veritatem contra fidei hoſtes tueri valeant; ſed non propterea divinæ item magnitudinis, & amabilitatis ſpeciem adeò perſpicuam, exaggeratámque, & percellendis animis, ac quodamodo extra ſe rapiendis idoneam, mente concipiant; ùt illa eſt, quam illiterati nonnunquam, & ſimplices conformatam, altéque reconditam in animo habent. Idque adeò Magnus Gregorius ſcitè declarat exemplô hinc volucrum ſæpe in dumis ſubſidentium; inde ſtellionis, qui licèt animalculum terreſtre, ac pennis deſtitutum, rependo per muros ad ſumma ædificiorum conſcendit. (*Mor. L. 6. c. 5.*) *Plerumque enim aves, quas ad volatum penna ſublevat, in vepribus reſident: & ſtellio, qui ad volatum pennas non habet, nitens manibus Regis ædificium tenet. Quia & ſimplex per intentionem recti operis pervenit, quò ingenioſus minimè aſcendit.* Idémque confirmatum, & planioribus adhuc verbis

bis à Christo Domino habemus, ubi divinum suum Parentem commendat, quòd cælestis sapientiæ thesauros humili potiùs rudium turbæ, quàm præsidentibus, atque elatis ingeniis recludendos putaverit. (*Matt. 10.*) *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea parvulis. Ità Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* In summa, si comparare alteris alteros libeat; discrimen inter utrosque deprehendemus, non absimile illi, quod cernere est inter bubulcum oculatum, qui lucem videat, sed nihil de natura ejus sciat, & Philosophum cæcum, qui, ejus visu carens, quid & qualis illa sit, explicare interrogantibus noverit. Ac proinde, quemadmodum nemo erit, quin sensibilem illam lucis notitiam, quam bubulcus oculis percipit, longè præoptandam existimat Metaphysicæ ejusdem intellectioni, quæ intrà solam Philosophi mentem sinè ullo sensuum experimento concipitur. Sic neminem fore arbitror, quin præstantiorem D E I scientiam adeptos esse illos putet, qui, esto Theologicarum subtilitatum expertes, infinitam divinæ naturæ excellentiam, non sinè intimo animi motu suspiciunt; quàm, qui peculiares illius prærogativas, nihil indè seu jucunditatis, seu frugis referentes, scholasticâ tantùm metho-

thodo, & ratiocinatione cognitas habent. Saltèm ità Doctor Angelicus sentiet: qui nequaquam in hac sterili, & frigida, sed in suavi & frugifera illa DEI agnitione germanam sapientiam constituit, *Perceptio*, inquiens, *experimentalem quamdam notitiam significat: & hæc propriè dicitur sapientia, quasi sapida scientia.* (1. *p. qu.* 43. *a.* 5. *ad* 2.)

5. Quandoquidem igitur ad mysticam illam DEI scientiam, de qua hìc disputatur, quæque & DEO inprimis accepta, & nobis fructuosa maximè est, haud quaquam necessaria esse vidimus ingenii, doctrinæque instrumenta; supereſt jam illa indicare, quæ & magìs propria illius sunt, & cuivis volenti ad manum parata. Horum verò quamvìs tot recenseri possent; quot sunt Christianæ virtutes, cùm earum nulla ad DEUM cognoscendum non juvet; brevitatis tamen gratiâ tria solummodo lubet afferre, quæ ad finem propositum & magìs necessariò desiderari; & vel sola videntur sufficere: nimirum divini implorationem luminis, puritatem cordis, & considerationis studium. Nam, veluti ad quamcunque rem exteriori visu intuendam, tres omnino conditiones & necessariæ sunt, & sufficiunt, prima, ut objectum in convenienti lumine proponatur, secunda, ut oculorum aci-

acies pura à sordibus sit, tertia, ut eadem objecto contemplando se applicet; ità ad interiorem quoque DEI visum requiritur primò lumen idoneum, quod oratio àDEOimpetrat; deinde mentis habilitas, quæ à cordis munditia provenit; ac demum ejusdem mentis ad divinum suum objectum attentio, quæ in considerationis sedulitate consistit. Quanta hujuscemodi instrumentorum utilitas, quæque opportunior ea usurpandi sit ratio, in capitibus porrò consecuturis monstrabitur. Hìc notandum solummodo est, ceu neque ipsa, neque DEI cognitio intrà certum aliquem modum consistunt; sic pro majori, vel minori eorum perfectione, magìs fore, vel minùs perfectam cognitionem, cui serviunt.

CAPUT V.

De primo divinæ Scientiæ instrumento, quod est humilis, enixa, & confidens divini luminis imploratio.

EX duplici capite oritur nostra opis à DEO exposcendæ necessitas, quô illius assequamur scientiam: primò, quia, nisì suum

um ipse nobis supernaturale lumen impertierit; eum cognoscere, quantum & quomodo oportet, nequimus: secundò, quia non nisi poscentibus, sua ille impertiri supernaturalia dona consuevit.

Et quidem non posse ab hominibus DEUM sinè supernaturali ipsius lumine, quantum & quomodo oportet, cognosci, indubitatissimæ fidei veritas est, ínque divinarum Literarum monumentis pluries testata. Testatur eam Regalis Psalmographus: dum, quamvis DEUM esse profiteatur purissimum lumen; non tamen videndo illi parem, absque novo illius lumine, se confidit futurum. (*Ps.* 35.) *In lumine tuo videbimus lumen.* Testatur Ecclesiasticus, nihil priùs in suo illo opere enuntians, quàm DEUM totius sapientiæ esse fontem, (*c.* 1) *Omnis sapientia à Domino DEO est.* Testatur D. Paulus, in illis secundæ suæ ad Cor. Epistolæ verbis. (*c.* 3.) *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEO est.* Ubi, si ad pias & frugiferas quaslibet cogitationes DEI auxiliô indigere nos docet; quantò id magìs sentire de illis cogitationibus existimandus est, quæ creata omnia supergredientes, incomprehensibilem divinæ ipsius Naturæ excellentiam respiciunt? Testatur po-

stre-

ſtremò magiſtrorum omnium magiſter, Chriſtus, planiſſimè affirmans, æterni ſui Patris ſcientiam nemini convenire, præterquam ſibi, & quibus ipſe impertiendam putaverit. (*Matt.* 11.) *Nemo novit Filium, nisì Pater: neque Patrem quis novit, nisì Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Quamobrem, qui ſe ipſum nolit ludificari, ſuámque omnem in cæleſtis hujus doctrinæ quæſitu operam perdere; illud altè animo inſculpat Doctoris Seraphici momitum: (*Itin Ment. in Prol.*) *Nè fortè credat, quòd ſibi ſufficiat lectio ſinè unctione, ſpeculatio ſinè devotione, induſtria ſinè pietate.* Nullo quippe pacto, ùt idem infrà addit, nobis fas eſt, aut DEUM, quo tantò inferiores ſumus, mente attingere, nisì ſupra nos levemur; aut *levari ſupra nos, nisì per virtutem ſuperiorem elevantem nos.* (*Ibid. c.* 1.

3. Advertendum tamen, ad tollendam vocum & ſenſuum ambiguitatem, hìc eſt, quemadmodum ſuprà duplicem DEI ſcientiam diſtinximus, alteram merè ſcholaſticam, curioſam, jejunam & ſterilem, alteram verò myſticam, piorúmque affectuum, & ſanctarum operationum fœcundam; ſic diverſa eſſe opis divinæ, quæ ad hanc, quæque ad illam requiruntur genera. Nam, ad primam quod attinet, ubi DEUS nos naſcentes acuto, per-

ſpicaci, experrecto, celeríque ingenio dotaverit; jam illi obtinendæ, vel ſinè alio ulteriori auxilio atque munere, idonei ſat ſumus. At verò, ut in altera proficiamus, altero ſupernaturali lumine, aliiſque opus eſt cæleſtibus donis: quæ nisi DEUS nova liberalitate dignetur adjungere; caſſa erunt noſtræ omnis ſeu induſtriæ molimina, ſeu naturæ præſidia. per hanc quippe diſtinctionem perſpicuum evadit, quod cæteroqui nullo pacto intelligi poſſet, quanam ſcilicet ratione, & ad DEI conſequendam ſcientiam neceſſe ſit DEI auxilium efflagitare; & multi nihilominus, hoc neutiquam efflagitato, ſcientiam DEI conſequantur. Perſpicuum id, inquam, evadit, advertentibus, eſſe aliquam DEI ſcientiam, cujus inſtrumenta homini, priùs etiam, quàm orare pro illis poſſit, in primo nimirũ ſuo ortu, donantur: & eſſe diverſi generis aliam, cujus facultas nonnisi adulto, & oranti tribuatur: adeò ut divini auxilii imploratio & huic omnino neceſſaria ſit, & illi non ſit. Hinc etiam quivis facilè arguat, ſacras Literas, ubi divinam ſcientiam profitentur rem eſſe, quæ ſinè DEI auxilio obtineri ab hominibus nequeat; non tam de ſcholaſtica Theologia, quàm de myſtica loqui. Nam ad priorem obtinendam DEI auxilio indigemus, non pro-

ut

ut ipsa specialiter Theologia, sed prout generatim scientia est: eodémque illo propterea auxilii genere, quo ad cæteras omnes, vel profanas doctrinas, naturali nimirum mentis vi & facultate, à DEO nascentibus impertita. At mysticam DEI scientiam adepturis alio auxiliorum genere, ipsis singulariter proprio, excellentiori scilicet quadam mentis habitudine, novo cælestis prorsus indolis lumine & supernaturali, ut sic loquar, ingenio opus est.

4. Jam verò quàm necessariæ ad supernaturale hoc auxilium & munus à supremo illius largitore consequendum sint preces, haud difficulter colligi potest ex iis omnibus divinorum eloquiorum locis, quæ ad DEI opem implorandam nos excitant. Cujusmodi sunt, *Petite, & dabitur vobis. Oportet semper orare. Vigilate omni tempore orantes. In omni oratione, & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud DEUM. Sinè intermissione orate.* (*Matt. 7. Luc. 18. & 21. ad Philip. 4. 1. ad Thessal. 5.*) & alia in eandem sententiam. Cùm adhortationes tam disertæ, ac toties repetitæ non aliam posse habere videantur veriorem causam, quàm orationis necessitatem: ordinarii nimirum communísque alvei, per quem DEUS voluerit sua in nos beneficia derivari: imò al-

vei, tam pene ſingularis, atque unici, ut D. Auguſtinus non dubitaverit ſcribere: *Nullum credimus, nisi orantem, auxilium promereri.* (*De Lect. Dogm. c. 56.*)

5. Neceſſe itaque eſt, myſticam DEI ſcientiam quærenti, preces pro ea largitori bonorum omnium DEO nuncupare. Verùm neutiquam ſatis fuerit, qualicunque modo id præſtare. Ut noſtra oratio pleniſſimam illam efficacitatem, & quaſi omnipotentiam habeat, qua nihil non obtinetur; tribus inſtructam eſſe oportet, quas in hujus capitis titulo ei adjunximus, dotibus, videlicet demiſſione animi, deſiderii ardore, & impetrandi fiduciâ. Primò igitur orare nos convenit ab omni elatione animi vacuos, & nullâ noſtri confidentiâ ſubnixos: ceu qui perſuaſum habeamus, divinam ſapientiam muneris genus eſſe, quod nullis ſeu acquiri noſtris viribus, ſeu deberi noſtris meritis queat. Hæc enim juſtiſſima perſuaſio ſi abſit, fieri non poterit, quin DEI auxilium oremus vel frigidè, tanquam rem minùs neceſſariam; vel ſuperbè, quaſi mercedem debitam: quamdam hinc DEO afferentes neceſſitatem, illud nobis negandi, nisi noſtram velit fovere arrogantiam. Quemadmodum è contrario, ſi eadem altè impreſſa in noſtris mentibus fuerit; nec ceſſare nos ſinet

à di-

à divina ope instanter poscenda; & illi impetrandæ quàm maximè idoneos efficiet: secundùm certissimam fidem ab Ecclesiastico nobis factam, ubi inquit: (*c. 35.*) *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & non discedet, donec Altissimus aspiciat.* Neque verò magnum quid fuerit, nos in Euangelii schola educatos, ità humiliter submisséque de nobis sentire; cùm Trismegistus vel ex sola naturæ institutione hujusmodi sensus hauserit, Tatióque disciplinæ suæ alumno impensè commendatos voluerit: monens etiam, atque etiam, ut DEUM cogniturus, ad DEI opem confugiat, nec alibi, quàm in una hac sui profectûs spem ponat. (*Pim. c. 5.*) *Tu igitur inprimis, ô Fili, obsecra DEUM Patrem unum, & à quo unus, ut sis misericordiâ illius dignus. Sic enim tantummodo DEUM percipere poteris, si vel unus duntaxat illius radius intelligentiæ tuæ benignè refulserit.* Quæ humilitas, in Ethnico sapiente rarissima, videri potest DEUM permovisse, ut eos homini largiretur sublimes, & Christiano Theologo dignos de infinita bonitate, ac præstantia sua sensus, qui plerumque in illius monumentis occurrunt. Contra omnino, quàm tot aliis Philosophorum veterum accidit: qui, nimia sui æstimatione obcæcati, (*Ad Rom. 1.*) *Evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum*

est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Impio Herodi persimiles, qui, præsentem habens D E I Filium, licèt aliis, atque aliis interrogationbus conaretur explorare, quisnam ille, & cujusmodi esset, *(Luc. 23.) Interrogabat eũ multis sermonibus: Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd multa audierat de eo: & sperabat, signum aliquod videre ab eo fieri.* Vanitatis tamen & superbiæ suæ causâ nullum potuit ab eo responsum elicere. *At ipse nihil ei respondebat.* Sic enim & ipsi, esto variis attentissimarum speculationum quasi interrogationibus niterentur, expiscari à DEO aliquid de incomprehensibilibus divinæ suæ naturæ mysteriis, non potuerunt, quòd se ipsos ibi potiùs, quàm ipsum quærebant indigni ab eo habiti sunt, quibus sese aperiret. *At ipse nihil illis respondit.*

6. Petenda insuper à DEO est cæleſtis ejus scientia enixè instantérque, prout munus tam eximium meretur. Quod certè nimis parvi se ostenderet facere, qui illud postularet vel ore duntaxat, alia interim omnia animo volvens, vel tam remissè, quàm si tantundem illi esset, admitti, ac repelli suas preces. Hic tempor in orando nauseam, & indignationem potiùs, quàm misericordiam DEI promerebitur: neque sperandi ratio erit, magnæ illi cu-

curæ futurum id nobis concedere, quod tam parvæ nobis est impetrare. Nè vi sua & legitimo pondere careant nostræ preces, à Spiritu sancto nobis suggerantur, necesse est. Quales verò, quámque fervidas ille soleat suggerere, docemur ab Apostolo, tantam esse illarum vehementiam, scribente, ut verbis dignè exprimi nequeat. (*Ad Rom. 8.*) *Spiritus postulat pro nobis*) nempe secundùm Augustini interpretationem, (*Ep. 221. c. 15.*) *postulare nos facit, gemitibus inenarrabilibus.* Notum est, orationem in sacris Literis comparari cum thure, ceu in illis Psalmi centesimi quadragesimi verbis: *Dirigatur oratio mea sicut incensum*, inque Apocal. cap. 8. ubi legitur: *Ascendisse fumus incensorum de orationibus Sanctorum coram* DEO. Quemadmodum igitur thus foculo imponi, succendíque necesse est, ut fragrantes suos halitus cælum versùs transmittat. Sic & oratio ex igniti cordis foculo prodeat oportet, quò cælum ascendendi, & DEUM suo odore delectandi vim habeat. Lepidus Arcesilai jocus fuit de Iponico, geometra non aspernando, sed homine desidioso & inerti: (*Laert. in V. Arc.*) Geometriam scilicet, dum is aliquando oscitaret, temerè illi in os involâsse: quam ipse protinùs glutiens, plenam illius cognitionem, sinè ullo studii & laboris

impendio, per unicum sibi haustum parâsset. Sed ego unumquemque, qui divinam sapientiam obtinere à DEO precibus nititur, seriò admonitum volo, si ejus oratio à languida oscitatione non differat, nunquam citrà miraculum fore, ut cæleste illud munus ipsius menti illabatur. Nihil est ingenti beneficio congruentius, quàm ardens desiderium: quantóque illud est majus; tantò fervidiorem hujus esse vim decet. Quæris, quonam pacto cælestium arcanorum intelligentiam Daniel meruerit? Disce ex Angelo, ad hæc illi revelanda divinitus misso, & sic eum alloquente: (*Dan. c. 9.*) *Ego veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es.* Ex quibus verbis S. Bonaventura eruit, cupienti divinorum mysteriorum cognitionem nanciscì, opus esse, ut ad illam se comparet per vehementis desiderii, imò & plurium desideriorum, quæ crebrò iterentur, fervorem. (*Prol. Itin. Ment.*) *Non enim est dispositus ad contemplationes divinas, quæ ad mentales ducunt excessus, nisi cum Daniele vir desideriorum sit. Desideria autem in nobis inflammantur dupliciter: scilicet per clamorem orationis, quæ rugire facit à gemitu cordis; & per fulgorem speculationis, qua mens ad radios lucis directissimè, & intentissimè se convertit.* Quod si exemplum ardoris desideras, quo divinæ cognitionis lucem

cem anhelare, & precari te deceat; Jerichuntinum illum cæcum, nomine Bartimæum, intuere: qui, audiens, humanæ reparatorem salutis secus viam, ubi considebat, transire; (*Mar.* 10.) *Cœpit clamare, & dicere: JEsu Fili David, miserere mei.* Neque ideo, quia à multis juberetur tacere; suos compescuit, sed intendit potiùs clamores. *At ille multò magis clamabat, Fili David, miserere mei:* donec accersitus à Domino, *projecto vestimento exiliens venit ad eum*, visúmque oculorum, quem tam sedulo instantérque postulârat, recepit. Ah, nisi dupliciter cæci essemus, sed, veluti Bartimæus hic perspicuè videbat, quanta esset sua infelicitas, videndi usu carere; ità & nos probè intelligeremus, quanto careamus bono, dum DEI intelligentiâ caremus; næ pari, quin & multò majori sedulitate tantum hoc munus ab eo precaremur, nullum facientes finem clamandi, *JEsu Fili David, miserere mei. Domine, ut videam. Domine, ut videam.*

7. Neque solùm à cæci hujus exemplo discere nobis licet fervorem petendi, sed fiduciam quoque impetrandi, quam, præter duas conditiones jam expositas, nihilo minùs in oratione requiri affirmavimus, & cujus nominatim respectu Bartimæi votis Dominus annuit, dicens illi: *Vade, fides tua te salvum*

fecit. Et verò, quanti sit hæc fiducia momenti, ad nostrarum precum valorem, perillustri argumento esse potest peculiaris ratio, quam illius se habere toties ostendit DEI Filius, cùm in ferenda supplicibus ope, illius mentionem nominatim facere solitus fuerit: sive laudans, qui eam præseferrent, veluti mulierem Chananæam, pluréssque alios; sive illam, quasi idoneam ad sua munera præparationem ab iis exigens, quibus deesset, ceu à Patre illo apud S. Marcum, cui dixit: *(c. 9.) Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Ad quæ illius testimonia aliud libet adjungere, planioribus adhuc verbis à D. Jacobo in Canonica sua Epistola expressum. Ubi nempe sanctissimus hic Apostolus, & Domini frater, hortatur primò fideles, ut, qua egent, sapientiam à summa benignitate DEI postulent: *(c. 1.) Si quis vestrûm indiget sapientiâ, postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter, & non improperat: & dabitur ei.* Tum pergit exigere, ut id muneris ab eo petant, cum minimè dubia impetrandi fiducia, *Postulet autem in fide nihil hæsitans:* ac demum concludit, si cujus oratio prædictâ certissimæ spei firmitudine careat; nihil esse, cur auditum se iri, qui hujusmodi est, à DEO putet. *Non æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.*

8. Ne-

8. Neque mirum cuiquam videri debet, quòd indignus divinis prædicetur muneribus, qui ambigit, num ea sit precando obtenturus. Tam manifesta illius indignitas est, quàm injuriosa DEO illius diffidentia. Cùm, ità secum ambigens, eum, tanquam omni vacuum pietate, atque fide, suo in animo effingat? Ità sanè. Omnis primò expertem pietatis suo illum in animo effingit. Utque illud luculentiùs perspici queat, fingamus, te concubia & illuni nocte per loca admodum periculosa iter agere: juxtáque ædes transeuntem, quarum dominus in ipso vestibulo accensum funale manu præferat, orare hominem infimis precibus, ut, facem suam laternæ tuæ admovens, tantillum huic luminis commodet: beneficium & tibi quàm maximè opportunum, & ab ipso sinè labore, aut impendio præstabile. Si ille interim, nullâ neque tuarum obsecrationum, neque periculorum, quæ in cæco illo, & ancipiti itinere te circumstant, ratione habitâ, vel hoc ipsum tibi munus negaret; nónne tam immiti repulsâ omnis se humanitatis expertem, & quibuslibet barbaris ferociorem probaret? Age jam, & tecum perpende, num minorem hac duritiam possibilem in DEO sibi fingant, qui, supplicibus votis cæleste ab eo lumen poscentes, quo mu-

ne-

nere nihil seu ipsis necessarium magis est, seu illi facilius; timent nihilominus, nè ille affusos suis pedibus, nullo tactus pietatis sensu, abire è se jubeat, quales accesserant, miseros, tristes, egenos, omni vacuos subsidio. O timores, nimiùm quàm indignos animo admitti, dum opis gratiâ confugitur ad *Patrem misericordiarum*, ad inexhaustum bonorum omnium fontem, ad eum denique, qui, ceu verissimè scriptum à Gregorio Nanzianzeno est, (*Or. 2. de Theol.*) *Jucundiùs dat, quàm alii accipiunt, &, cùm beneficium ab eo petitur, beneficio se affici putat.* Et quid aliud hoc est, quàm DEUM palàm spoliare nedum suâ tam incomparabili, sed quavis vel exiguissima pietate: comminiscendo in mitissima ejus indole immanitatem ac sævitiam, qualem in nullo unquam suspicari auderemus, non dicam parente, aut amico, sed neque in ullo, qui humani aliquid sensûs habeat, esto alienigena, agresti, atque barbaro? Quique inter orandum sensus fovet tam absurdos, divinæque adeò injuriosos pietati, merebitur eam experiri suis votis propitiam? Minimè quidem, minimè. *Non æstimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.* Primus ipsemet sibi negat, quod ab alio sibi ominatur negandum: precésque diffidenter nuncupare idem est, ac repul-

pulsas lacessere. *Qui timidè rogat, docet negare.* (*Sen in Hyp. Act. 2.*)

9. Quid? quod ità de successu orationis suæ dubitans, non immisericordem solummodo, sed & infidelem DEUM fingit. Neque obscurum id cuiquam esse potest, qui meminerit, quoties ille, quámque enucleatè & disertè, quidquid animarum saluti opportunum ab eo poposcerimus, sese nobis largiturum recepit. Libétne certum aliquod ex hujusmodi promissis audire? En unum à D. Matthæo consignatum, quod omnes promiscuè petitores complectitur. (*c. 7.*) *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur.* En aliud apud D. Marcum, quod ad omne indiscriminatim petitionum genus se exporrigit, (*c. 11.*) *Omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.* Qui ergo, post accepta tot pignora, adhuc titubat, peténsque à DEO necessarium illi cognoscendo lumen incertus animi pendet, impetraturúsne hoc sit, an non, tacitè videtur ei dicere: Ampla quidem tua promissa sunt, Domine, sed staturúsne iis sis, an verba mihi dederis, expedire sat nequeo? Ità sanè tunc ille, quamvis minimè advertens, intrà se loquitur, & hujusmodi sensus in sua illa

illa diffidentia necessariò inclusus continetur: DEUM repræsentans, ut impostorem quempiam, nec vulgaris illum saltèm perfidiæ, sed quæ summa esse inter homines soleat. Nempe hi, si quando fidem fallunt; non quia suamet infidelitate, & aliorum ludificatione delectentur, sed unâ sui alicujus emolumenti atque commodi causâ, consueverunt id facere. At DEUS, cùm propter infinitam perfectionis & beatitatis plenitudinem, nihil possit amplioris boni ex suo quovis seu dicto, seu facto referre; concipi nequit, tanquam falsa nobis promittens; quin concipiatur, tanquam mero nos decipiendi studio ad ejusmodi fallacias impulsus. Quod malignitatis genus in ipsis etiam hominibus maximè detestandum, de DEO autem, qui pura puta veritas est, omnino incredibile, nec ab ullo propterea vel impudentissimo atheorum illi unquam affictum; posse tamen, ùt ajebam, in eo reperiri, tacitè affirmat, quisquis, post largissima ejus promissa, nemini suum auxilium ad necessarios animæ usus negandi, timet nihilominus, nè hac sibi in re tam præcipui momenti, quàm est DEI cognitio, negetur, illúdque propterea, sinè certa impetrandi fiducia, ab eo petit.

10. Atque hinc, non convenientia dun-

ta-

taxat, sed & facilitas immobilis hujus in orando fiduciæ palàm ostenditur. Cùm ad summam in ea firmitudinem nulla re alia opus sit, nisi ut tantum in DEO concipiatur misericordiæ & fidelitatis, quantum esse in hominibus non pessimis solet: quantum nempe sat est, nè nobis ea neget beneficia, quæ nihil ei afferunt dispendii, & incommodi, néve nos fallere, sinè ullo emolumento suo, velit. Quinam igitur dubitandi sit locus, ubi omnia certos esse nos jubent? subjicit hìc sanctus Bernardus. Nihil aliud expectat, nihil aliud vult noster Dominus (*Serm. 2. de S. Andr.*) *Nisì ut sedulò & cum desiderio requiratur.* Et putabimus, *negaturum petentibus, qui etiam non petentes provocat, & hortatur, ut petant?* Præsertim verò cùm certiores hac de re nos facturus, neutiquam dedignatus sit promissionum suarum fidem validissimis etiam argumentis sancire. Quale illud est Lucæ 11. ponderosum adeò, invictúmque ipsius enthymema: *Si vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quantò magìs Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?*

11. Reliquum est, ut, cum esse nos viderimus, divinæ cognitionis & habendæ maximè indigos, & nostris viribus assequendæ omnino impotes, & à DEO impetrandæ certis-

tissimos: humili, solicita, & confidenti prece ad eum confugiamus: nullum facientes supplicandi finem, ut, quandoquidem ipse est ultimus finis, cujus gratiâ conditi sumus, propterea que & necesse nobis est, si beati esse cupimus, ad ipsum tendere; & impossibile, nisi ipsum agnoscamus, pertingere; pretiosissimum hoc, adeóque necessarium scientiæ suæ munus orantibus volens ac benignus impertiat. Cujus precationis formulam exhibere nobis poterunt sive Hymni, quibus Spiritus sanctus ab Ecclesia invocatur; sive Salomonis oratio in nono Sapientiæ capite; sive nonnulli ex piis affectibus, à D. Anselmo in primo Prosologii capite expressis, atque hi præsertim, quos illinc descriptos subjicio. *Eja ergo Domine DEUS meus, doce cor meum, ubi, & quomodo te quæram, ubi & quomodo te inveniam. Quid faciet, altissime Domine, iste longinquus tuus exul? Quid faciet anxius amore tui, & longè projectus à facie tua? Anhelat videre, & nimis illi abest facies tua. Invenire te cupit, & nescit locum tuum. Dominus meus es, & DEUS meus, & nunquam te vidi, & nondum te novi. Respice Domine, exaudi, illumina nos, ostende nobis te ipsum. Miserere labores nostros, & conatus ad te, qui nihil valemus sinè te. Obsecro Domine, esuriens incepi quærere te: nè desinam jejunus de te.*

Pau-

Pauper veni ad divitem, miser ad misericordem: nè redeam vacuus, & contemptus. Doce me quærere te, & ostende te quærenti. Quia nec quærere te possum, nisi tu doceas; nec invenire, nisì te ostendas.

12. Ità pulsantes ad benignissimi Patris nostri januam, nullo fieri modo poterit, ut ille excludat à conspectu suo: sed magìs usque, ac magìs revelare nobis se perget, altiúsque nos quotidie in cognitionis suæ penetralia inducet. Certè si ex sàpientissimo inter sui ævi mortales Salomone quæramus, undenam locupletissimos admirabilis suæ scientiæ thesauros eruerit; non aliam eorum indicabit fodinam, præter sua ad supremum Patrem luminum vota. (*Sap.* 7.) *Optavi, & datus est mihi sensus: & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ.* Nec aliter de se profitebitur splendidissimum Theologiæ lumen, Thomas de Aquino, tam sedulus in exposcenda à DEO cælestium illius mysteriorum iutelligentia; ut (*In Lect. Brev.*) *Nusquam se lectioni, aut scriptioni dederit, nisì post orationem*: tantúmque indè nactus luminis, ut nonnemini amicorum testari potuerit, *Quidquid sciret, non tam studio, aut labore suo peperisse, quàm divinitus traditum accepisse.* (*Ib.*)

CAPUT VI.

De secundo Instrumento, quod est cordis munditia.

SEquitur jam, ut DEI favore & auxilio per orationem nobis conciliato, studeamus nos simul, divino illius lumini congruenter recipiendo, per expulsionem vitiorum parare. Si enim hæc animum occupent, nihilo ille erit ad DEUM cognoscendum habilior, quàm habilis ad corporum formas perspiciendas oculus sit, luto respersus: quemadmodum Vates Regius de se fatebatur, jam in sua crimina spiritualis cæcitatis suæ causam rejiciens, (*Ps.* 39.) *Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem*; jam divinæ legis observationi accepta referens, quæ de divinis mysteriis sciret, (*Ps.* 118.) *A mandatis tuis intellexi.* Ex quibus illius verbis eruit S. Bernardus, quàm necessaria ad claritudinem contemplandi sit integritas vivendi: (*Serm* 49. *in* Cant.) *Scias, nisi obedientiæ mandatorum, contemplationis gustum penitùs non deberi.* Et sanè quinam componi invicem queant DEI perspicientia, & mundi amor, mentis sublimitas, & cordis depressio, cœlestis luminis claritas, & affectuum terreno-

rum

rum caligo? Ægyptii omnium primi feruntur Aſtronomiam inveniſſe: (*Plat. in Epin.*) Idque ea de cauſa, quia cælum apud illos plerumque ſudum, & nebularum expers liberiorem oculis permittebat mundi ſuperioris proſpectum. Quam iis contemplandorum ſiderum facultatem nativi aëris perſpicuitas tulit; eam nos quærere à puritate animi oportet, ut ſiderum Conditorem liquidiùs intueri poſſimus. Quantò hic ſincerior à terrenis vaporibus fuerit, tantò commodiùs, & ampliori cum profectu cæleſtium arcanorum contemplationi vacabit. Cerne ſtagnum, ajebat B. Aloyſius Gonzaga. (*March. in V. L. 2. c. 6.*) Si defœcati, immotíque illius latices ſint; quidquid objiciatur, iconicè adeò repræſentant, ut oculus intuentis penè decipiatur, víxque ab exemplari dignoſcere imaginem noverit. At vento agitati, cœnóve infecti objectarum rerum ſimilitudinem vel nullo modo referunt, vel ità confuſam, ut nihil in ea veri propriíque decoris appareat. Sic animus noſter, ubi tranquillus, atque integer eſt, illapſas è cælo divinarum rerum ſpecies exactiſſimè reddit. Sed, fac, prava quæpiam affectio eum inquinet, perturbétque; jam cæleſtia illa objecta vel minimè ibi imprimuntur, vel à ſe ipſis, & germana ſua pulchritudine prorſus di-

versa. Denique mundis corde visio DEI tanquam dos & beatitudo eorum propria in Euangelio spondetur. Quique cum Moyse optat propiùs accedere ad rubum, & divina ibi arcana rimari, (*Exod. 3.*) *Vadam, & videbo visionem hanc magnam*; necesse est, ut ad ejus exemplum, *solvat calceamenta de pedibus suis*: nempe, ceu interpretatur D. Bernardus, (*Serm. de B. M. V.*) *Ponat involucra carnalium cogitationum*, quarum similitudinem referunt circumjectæ pedibus brutarum animantium exuviæ.

2. Animadvertendum tamen hìc est, licèt ad eam, de qua loquimur, cordis puritatem, opus sit pravos omnes tum actus, tum affectus ab animo excludi; peculiari tamen & præcipua ratione pravorum affectuum expulsionem requiri: utpote qui mentem magis excæcant, Deóque cognoscendo minùs habilem reddunt. Exemplum habemus in oculo, qui, nè innata videndi facultate utatur, impediri dupliciter potest: vel quòd nimirum contrarii aliquid extrinsecùs ipsi inciderit; vel quòd noxio quopiam humore, alióve vitio penitus inhærente obsideatur: cum hoc tamen inter duo ejusmodi impedimenta discrimine, quòd primum, utpote adventitium, nec longi temporis morâ, nec magno labore abigitur: at, summovendo alteri, exquisita remedia, &

diu-

diutinam curationem adhibere opus est, víxque interdum sat prodest. Similes primi generis impedimento sunt actus pravi: obnubilant animum, quamdiu ibi adsunt. Sed eos amoliri nec prolixi temporis, nec operosi conatûs res est. Damnes modò illorum perversitatem contrario voluntatis actu; jam nulli sunt, jam perinde est, ac si nunquam fuissent: jam sua menti prior limpitudo & sinceritas redit. At vitiosi affectus, utpote altiùs animo infixi, difficiliori multò, & longiore purgatione opus habent: síque hæc negligatur, cæcam omnino, nedum minùs idoneam DEO intelligendo mentem relinquunt. *Frustra* siquidem, teste Cassiano, (*Coll.* 14. *c.* 2.) *Ad conspectum DEI tendit, qui vitiorum contagia non declinat*: & si Apostolo credimus; *Animalis homo* (propriis videlicet brutarum animantium cupiditatibus serviens) *non percipit ea, quæ sunt Spiritûs DEI.* (*1. ad Cor. c. 2.*)

3. Neque verò ipsamet communis experientia non apertè id confirmat. Cùm vel spirituales viri, esto à culpis gravioribus vacui, sentiant nihilominus, quantùm ad divina mysteria non solùm percipienda, sed merè animo ruminanda, sibi obsit inordinata quælibet rerum pereuntium cupiditas: vel non permittens, ut libero mentis nisu ad cæleſtia

se attollant; vel indè quamprimum ad inferiora & caduca, terrenas nimirum cogitationes & curas, nativo pondere illos retrahens. Si verò homines intueamur mundo addictos, & morbidis hujuscemodi humoribus penitùs imbutos; quis dignè explicaverit, quàm infirmam obtusámque habeant mentis aciem, quibus in tenebris degant, quàm nullam æterni solis videndi facultatem retineant? Cujus admirandas proprietates, ac prærogativas si commemorari audiant; nihilo magis se inde affici ostendunt, quàm si ignotissimo quopiam, Arabico putà, vel Sinensi, sermone enuntiaretur: comprobantes illud S. Joannis Damasceni effatum, (*Paral. L. 3. c. 66.*) *Carnalis homo mentem in carnis affectu tanquam in carne defossam gerens, spirituale veritatis lumen perspicere nequit.* Quare D. Gregorius in eo Jobi versiculo, ubi negatur in mari esse sapientiam, (*c. 28.*) *Mare loquitur, non est mecum*; maris nomine hujuscemodi homines bene exprimi putat: (*L. 18. Mor. c. 25.*) utpote qui turbulentis pravorum affectuum motibus, tristique amarore, ob crebros eventus suis votis, & consiliis adversos jactati, nimis quàm inconveniens divinæ sapientiæ sunt locus, déque illa ideo fateri coguntur, *Non est mecum.* Nec alios, quàm eosdem, visus est S. Augustino, indicâsse D. Joan-

annes, ubi scripsit, (c. 1.) *Et mundus eum non cognovit.* Nam quæ tandem una ex creatis rebus, unde mundus conflatur, non palàm ostendit, suum à se Authorem, Dominúmque cognosci. Num Angeli? num cæli? num elementa? num aliæ vel præditæ, vel carentes sensu naturæ? minimè quidem. Etenim *omnia undique testimonium perhibuerunt.* Quinam igitur designantur mundi hujus tam cæci atque ignari vocabulo? Non alii, concludit S. Doctor, quàm homines terrenis rebus dediti, quàm qui bonis sensibilibus plùs æquò inhiant, quàm ii demum, *qui, amando mundum, dicti sunt mundus.* (*Tr. 2. in Joa.*) Hi enim verò, hi mundus sunt, qui supremi Conditoris sui notitiam minimè habuit: imò qui neque habere illam potest, uti apud eundem S. Euangelistam Christus addidit, Spiritum suum vocans, *Spiritum Veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum.* (c. 14.)

4. Quod si aliquis nosse ulteriùs desiderat, undenâ, quóve pacto hisce obsiti sordibus ad divina percipienda, cæci adeò & inhabiles sint. Duas illi possum quæsitæ rei causas reddere, alteram à DEO, alteram ex hujusmodi hominibus desumptam. Primùm itaque ex justo DEI judicio id contingit, qui cælestis sapientiæ suæ donum non adeò parvi æstimat;

ut in fæculentas istiusmodi animarum cloacas projiciendum putet Vel humanam eloquentiam cum sordidis moribus sociari indignissimum Senecæ est visum; causámque, cur ea suis temporibus penè in totum defeciſſet, in communes vitiorum corruptelas rejecit, quibus vulgò infecti juvenum animi erant, (*Præf. L. 1. Controv.*) *In hos nè Dii tantum mali permittant, ut eloquentia cadat? Quam non mirarer, nisì animos, in quos se conferret, eligeret.* Balsama, & alios ejusdem pretii liquores non nisì in puris, & selectis vasis asservari mos est: eámque, ubi veteris legis tabulæ debebant custodiri, arcam jussit DEUS tum ex lignis cariem nescientibus compingi, tum auro probè perpurgato incrustari. (*Exod. 25.*) *Deaurabis eam auro mundissimo intus & foris.* Undè licet arguere, num pro sacrario, ubi eximias divinitatis suæ notiones reponat, delecturus sit corda impura, corda fœdo situ obsita, & sordibus vitiorum scatentia. Apage, apage, nihil rationi absonum magìs; dehonestare hoc foret sua munera, contráque interdictum à se ipso promulgatum (*Matt. 7.*) *Dare sanctum canibus, & mittere margaritas ante porcos.* Absolutissimam ipsius puritatem perpendens, jure optimo Habacuc profitetur, (*c. 1,*) *Mundi sunt oculi tui, nè videant malum,*

&

& respicere ad iniquitatem non poteris. Sed, si verè ipse dicitur, non posse ad humanam improbitatem purissimos suos obtutus convertere; verissimè item dixerimus, neque hanc posse in omnimoda ipsius integritate sordentes suos obtutus defigere. Idque adeò sat disertè confirmatum ab Isaia est, ubi, impios alloquens, scripsit, (*c. 59.*) *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum: & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis.* Denique si perfecta DEI visio, qua beatæ Cælitum mentes fruuntur, donum est inæstimabilis pretii, neque exiguo sanè in pretio haberi meretur supernaturalis ejusdem cognitio, qua potiri, eo juvante, mortalibus licet, quæque in terrestri hoc exilio supernæ illius intimæque visionis quoddam est veluti supplementum, & pignus. Jam verò compertissimum cuique est, quantam DEUS exigat ab animabus in cælesti sua Regia se visuris munditiem, quámque inexorabibi severitate in lustralibus flammis eas pergat excoquere, nullum purificandi finem faciens, quoad ibi omnino posuerint, quidquid sordium, ac vitiorum ex terreni corporis contagione hauserant. Et nihil interea purgationis exacturum ab iis arbitrabimur, qui mysticam Divinitatis suæ cognitionem affectant: sed indifferenter pro-

miſcuéque omnes eâ dignaturum, cujuſcunque tandem conditionis & meriti, bene, an ſecùs comparati, mundi, an ſordidi, innocui, an ſontes ii ſint? Nè id unquam credamus, monet D.Bernardus. Fallere ultro ſe ipſum eſſet, ſibi talia perſuadere. (*Serm. 62. in Cant.*) *Impuris non ſe oſtendit Veritas. Vanum eſt vobis, ante lucem ſurgere. Lux eſt puritas.* Priuſquam hujuſmodi lux exorta in animo fuerit; nihil eſt, cur quis ſperet, ſeu in cælo DEUM apertè intueri, ſeu rite in terris cognoſcere. Quemadmodum enim in primo ſupernæ illius Hieruſalem limine inſculptum legitur, (*Apocal. 21.*) *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens* (*c. 22. ib.*) *Foris canes, & venefici, & impudici*; ſic in primo Sapientiæ capite ſcriptum extare Spiritus ſanctus illud monitum voluit: *In malevolam animam non intrabit Sapientia.*

5. Quod verò ad ipſum hominem pertinet, nimiùm quàm multa, &, vel ſinè ulteriori probatione, per ſe ſatis manifeſta ſunt impedimenta, quæ inordinati, perverſique ſui affectus ei objiciunt, nè DEUM rite poſſit agnoſcere. Inprimis, quantò objectum quodque eſt ſublimius, humanis à ſenſibus, communique uſu remotum magis; tantò attentiorem, ut probè percipiatur, ac ab aliis curis ma-

magis vacuam mentem requirit. Atqui inter omnia, quæ contemplari noster animus potest, nihil est tam sublime, tam sensibus inaccessum, támque ipsius mentis comprehensionem excedens, quàm Esse divinum. Quonam pacto ad illud percipiendum, ad justam tanti objecti speciem formandam esse habilis poterit, cujus mens innumeris rerum sensibilium imaginibus scatet, pérque alias & alias præsentis vitæ curas continenter distrahitur? Audiamus Gregorium Magnum, (*L. 5. Moral. c. 8.*) *Nequaquam mens ad superna attollitur, si curarum tumultibus continuè in infimis occupatur. Quid enim de* DEO *occupata obtineat, quæ apprehendere aliquid de eo, etiam vacans, laborat? Bene autem per Psalmistam dicitur: Vacate, & videte, quoniam ego sum* DEUS. *Quia, qui vacare* DEO *negligit, suo sibi judicio lumen ejus visioni abscondit.* Si licèt tuæ fronti per idem tempus oculorum uno cælum, alteróque terram spectare; licebit & menti cogitationes suas ad DEI contemplationem surrigere, casdémque in terrenis simul rebus defixas habere. Vel quando ad disciplinas incumbitur, quæ circa materiam sensibus familiarem versantur, neque ideo magnam admodum & extraordinariam attentionem requirunt, experientia nos docet, minùs in qualibet profici, si ope-

opera simul pluribus detur: non valente, ut animadvertit Aristoteles, (*L. 2. Magn. Moral. c.* 19.) imbecillâ humanæ mentis virtute *in plurima pervenire*: id est, multa simul objecta contemplari, quin, quantum uni sedulitatis atque operæ impendit, tantum aliis subducat. Cúmque de acquirenda DEI scientia agatur, scientia omnium abstrusissima, immensæque amplitudinis, & cui vix vel tota humanæ mentis intentio par est; suffecturam putabimus quantulamcunque illam curæ studiique partem, quàm hominibus mundo addictis suæ tam multiplices, támque assiduæ, & cordi penitùs fixæ temporalium bonorum solicitudines reliquam faciunt? *Magna & spatiosa res est sapientia. Vacuo illi loco opus est*, scripsit Seneca de humana Philosophia. (*Ep. 88.*)

6, Parum tamen esset, si rerum terrenarum amor haud aliter nostros in cælesti hac scientia impediret progressus, quam sibi usurpando, illíque auferendo totum penè nostrum tempus, omnes penè nostras cogitationes & curas. Pergit, teste D. Cyrillo, (*Dial. 1. de Trin.*) immani suarum solicitudinum sarcinâ ità mentem obruere, ut hæc instar volucris, cujus alæ prægravi humore penitùs madidæ sunt, nè illo quidem brevi tempore, quod divinis rebus considerandis seponit, ad eas

pos-

possit, citra sumum laborem, & nisum se attollere. Pergit insuper assiduo sensibilium specierum usu hebetare adeò spiritualem animæ auditum & visum, ut illa, cælestium illustrationum, & divinarum vocum sensu penè in totum amisso, (*Luc. 8.*) *Videns non videat, & audiens non intelligat.* Pergit denique voluntatis palatum usque adeò vitiare, & corrumpere, ut nihil illa gustûs percipiat, nisi ex bonis sensibilibus, & brutorum pecudum propriis, juxta illud Apostoli effatum; (*Ad Rom. 8.*) *Qui secundùm carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt.* Imò non insulsum duntaxat, sed amarulentum præterea, & gustatu intolerabile ei facit videri, quidquid ad spiritualem vitam pertinet. Unde fit, ut multæ ex istiusmodi animabus, pro eo ut DEUM quærant, omni potiùs conatu ab illius, etiam ultrò sese offerentis commercio, aspectúque refugiant: procul eum abigentes contumeliosis iis verbis, quæ in sacra Jobi Historia referuntur, (*c. 21.*) *Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus*: Totam scilicet mentem, quàm longissimè possunt, ab illo avertentes, tanquam ab importuna odiosæ molestæque rei specie, eodem prorsus pacto, quo D. Augustinus advertit, (*Hom. in Fest. Omn. Sanct.*) à malè affecta oculorum acie non modo

dò non appeti, sed & vitari, odióque haberi lucem. Cujus rei exemplo esse possunt duo illi nequissimi senes, qui ad Susannæ conspectum flagitiosa cupiditate succensi, (*Dan.* 15.) *Everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum justorum.* Usque adeò, qui pravis suis libidinibus excæcandum se præbuit; non modò, quod Gregorius Nazianzenus de illo affirmavit, (*Or. 2. de Theol.*) *Ipsam quoque ignorantiam suam ignorat*; sed præterea ipsam quoque ignorantiam suam amat. Quò extremæ infelicitatis, & malitiæ hujusmodi homines progredi, apertè satis declaratum est à B. Euangelista Joanne, ubi scripsit, *Et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Erant enim opera eorum mala. Omnis enim, qui malè agit, odit lucem.* (*c. 3.*)

7. Cùm igitur inordinatæ animi affectiones tantum impedimenti afferant, DEI cognitionem quærentibus; si hæc nobis cordi est, debemus omni studio & conatu ad illarum purgationem incumbere, ordientes à crassioribus, magísque noxiis, pergentésque deinceps, à reliquis item cor emundare, donec perfectissimam, quæ haberi à mortalibus potest, assecuti integritatem fuerimus: quantò scilicet in hac proficiemus magis, tanto ad pu-

puriſſimum illud objectum attentè contemlandum, intiméque perſpiciendum. aptiores futuri. Nam & veriſſimè Triſmegiſtus pronuntiavit (*Pim. II.*) *Simile à ſimili ſemper cognoſci*; & nulla ratione alia ſimpliciſſimæ DEI naturæ ſimiliores fieri homines poſſunt, quàm per ſejunctionem animi à rebus corporeis. Et ſanè adeò ſibi reſpondent, & ad amuſſim invicem coæquantur prædicta animi ſegregatio à ſpeciebus corporeis, & habitudo ad ſpiritualia objecta intuenda; ut D. Thomas pluribus in locis (1. *p. qu.* 12. *a.* 11. *& qu. 86. a.* 4. *ad* 2.) affirmet, id cauſæ eſſe, cur in ſomnis, extráque uſum ſenſuum, impertiri hominibus ſpecialiter ſoleant viſiones divinæ, & rerum futurarum præſagia. *Anima noſtra quantò magìs à corporalibus abſtrahitur, tantò intelligibilium abſtractorum fit capacior. Unde in ſomnis, & alienationibus à ſenſibus corporis magìs divinæ revelationes percipiuntur, & præviſiones futurorum.* Ubi promptum cuivis animadvertere eſt, ſi naturalis quoque à ſenſibus abalienatio per deliquium, aut ſomnum, habiliores ad ſpiritualia percipienda animos reddit; quantò id factura veriùs pleniúſque ſit ſupernaturalis ab iiſdem ſejunctio, in Chriſtiano bonorum ſenſibilium neglectu conſiſtens. Cui proinde accoñodat S. Gregorius illa de DEO in ſacris

Lit-

Literis verba, (*Job.* 33.) *Per somnum in visione nocturna aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplinâ:* eandémque item, utpote mysticum quemdam somnum, significatam esse ait à sacra Sponsa, (*Cant.* 5.) dum gloriatur, sopitos quidem sensus, sed cor experrectum se habere: *Ego dormio, & cor meum vigilat. Ac si diceret, dum exteriores sensus ab hujus vitæ solicitudinibus sopio, vacante mente vivaciùs interna cognosco. Foris dormio, sed intus cor vigilat: quia, dum exteriora quasi non sentio, interiora solerter apprehendo.* (*L.* 23. *Mor.* 12.) Cæcos igitur, & quodammodo sinè sensu ad inferiora hæc objecta esse nos convenit; si ad superiora percipienda illuminari divinitus volumus: qualis luna esse cernitur, nunquam lucis plenior supernè, quàm cùm ex inferiori, & obversa terris parte cæcutiens est, Non licuit Jacobo jucundis formosæ Rachelis amplexibus potiri, priusquam cum Lippa ejus sorore connubium iniisset: nec nobis, judice ac teste D. Augustino, optatam contemplationis divinæ jucunditatem assequi dabitur, nisi priùs in laboriosa terrenorum affectuum coërcitione versati diligenter fuerimus. (*L.* 22. *contra Faust. c.* 58.) *Nam prior est in recta hominis eruditione labor operandi, quæ justa sunt, quàm voluptas intelligendi, quæ vera sunt.* Quam ejus sententi-

am

am breviori sermone Ecclesiasticus concluſit, ſcribens: *Fili, concupiſcens ſapientiam, apprehende Juſtitiam (c. 1.)*

8. Jámque hac propoſiti meì parte defuncto pergendum foret ad ea, quæ ſuperſunt; nisì nonnullorum oblocutionibus retinerer, fucum ſibi à me factum quærentium: utpote qui pollicitus ſum, divinam ſcientiam perfacilè obtineri ab omnibus poſſe; jam verò eidem conſequendæ neceſſariam ſtatuam puritatem cùm externam à pravis actibus, tum interiorem ab inordinatis affectibus: rem ſcilicet difficillimam, ac rari adeò conatûs, ut à nemine, quamdiu in terris vivit, tota acquiri, & penitùs queat. Sed non magni negotii eſt, talia objicientibus reſpondere. Imò non unum, ſed duplex reſponſum in promptu mihi eſt, utrumvis per ſe, ad refellendas eorum querimonías, ſufficiens. Valeat ad prioris quaſi fundamentum, quod ſupra conſtitui, gaudeóque, uberiùs jam mihi eſſe explicandum: nimirum neque cognitionem DEI, neque illius inſtrumenta indiviſæ adeò quantitatis rem eſſe; ut iis vel ſecundùm omnimodam ſuam perfectionem potiri, vel in totum carere neceſſe ſit: ſed tam unam, quàm alteram poſſe intrà ſuum genus majoris, vel minoris modi eſſe. Utque id appareat, quan-

tùm ad puritatem animi, de qua in præsent agimus, nemo non videt, plures esse impari perfectionis gradus, ad quos ea possit pertingere. Nam primò, si puritas actuum spectetur: potest illa ejusmodi esse, ut vel solas capitales noxas ab animo excludat; vel ulteriùs progrediens leviores quoque, ac veniales deliberatas procul indè habeat; vel demum ipsismet subreptitiis, nec penitùs deliberatis, quantùm fas est, aditum obstruat. Nec secùs si affectuum puritatem libeat attendere, posse hanc item videbimus, tam secundùm materiam, affectus nempe ipsos, qui expurgandi sunt, quàm secundùm formam, nempe horum expurgationem, magis progredi, aut minùs. Et affectus quidem pro diversa, & inæquali sua pravitate ad tres classes redigi queunt. Locum in prima ii sibi vendicant, quorum turpitudo maximè rationi adversatur, quibúsque ideo ceu fœdari summa impuritas; sic carere non nisi infimus munditiei interioris est gradus: cujusmodi sunt præposteræ interdictarum voluptatum, fucati honoris, luxûs supervacui, aliarúmque id genus rerum, vel apprimè indecentium, vel omnino inutilium libidines. Secundam constituunt affectiones modò dictis minùs noxiæ, & absurdæ, multísque etiam spiritualibus viris com-

communes: puta æquo majus ſuæ exiſtimationis, & benevolentiæ apud homines ſtudium, ſolicitudo de ſubſidiis, & commoditatibus corporis, oblectationum, ex ludis, ſpectaculis, aliiſque genii delinimentis provenientium aviditas, omniſque, ut ſummatim dicam, appetitus bonorum, quæ, licèt fluxa & terrena, non tamen ſeu ex genere ſuo inhoneſta, ſeu penitùs ſupervacua humanæ vitæ uſibus ſunt. Ad tertiam demum pertinent animi motus, ſuâpte naturâ laudabiles, nec quidquam, nisi honeſtum ſpectantes, non tamen ab omni labe integri, eò quòd perfectæ rationis ordinem, ac modum tranſiliant. Quos inter recenſeri poſſunt, nimius ſciendi ardor, ſolicita anxietas circa operum publicè utilium ſucceſſus, amarulenta de alienis criminibus indignatio, inquies & immoderata ægritudo, ſive ob tardiores, quàm vellemus, in via ſpirituali progreſſus, ſive quòd careamus neceſſariis ad proximos juvandos naturæ præſidiis, ſive quòd fruſtrata eventu ſuo ſint, quæ pro DEI gloria, & communi animarum bono ſuſceperamus conſilia. Denique, quod ad purgationem animi à prædictis affectibus pertinet, facilè cuivis obſervatu eſt, poſſe illam circa ſingulos, vel perfectiorem, vel minùs perfectam eſſe: prout videlicet vel ſatis

habet, inordinatos motus aliquatenus moderari, ità ut minùs crebri, & vehementes in animo exurgant, vel exscindere omnino conatur, ità ut vix tenue eorum vestigium superfit.

9. His ergo ad rei explanationem præmissis, si de perfectiori illa puritate sit sermo, qua complures sanctissimos Viros enituisse accepimus, quæque ad extraordinariam DEI cognitionem requiritur; haud sanè inficiarierim, decus illam esse humanæ infirmitati arduum, quódque nec brevi tempore, nec nisi heroica virtute, & summo animi nisu comparari queat. Sed neque inficiari quisquam potest, si de aliqua inferioris gradûs, & minùs eximia puritate agatur; nequaquam difficile factu esse, ut quilibet vitæ spiritualis professor illam sibi asserat, illáque præparatus, ad cognitionem DEI, si minùs perfectissimam, saltèm necessariam, & piè victuro sufficientem perveniat. De qua, utpote magìs communi, locutus suprà ego sum, ubi divinam scientiam paratu facilem dixi. Non ergo par est, ut quisquam vel supremos his gradus se illico assecuturum præfidat; vel à mediis tentandis, per animi imbecillitatem absistat: sed ut omnes potiùs, obtutu in summa defixo, & plus semper affectent, & nunquam mi-

minùs conentur, quàm ſecundùm præſentem virtutem ſuam poſſunt: perſuaſum habentes, non pœnitendam quanticunque laboris mercedem fore, vel mediocrem in tam nobili ſtudio progreſſum: síque pergent conſtanter, non dicam volare, ſed gradatim aſcendere; poſt aliquod temporis ſpatium ea ſeſe pedibus ſignaturos faſtigia, quorum altitudinem nè oculis quidem priùs aſſequi poterant. Parva ſemper ſolent eſſe rerum etiam maximarum principia, regalíſque opulentiæ theſaurus non ei ſolùm ditando par eſt, à quo totus, ſed illi etiam, à quo ex quarta, vel minori etiam ſui parte obtineatur. *Magnæ rei, quantumcunque poſſederis, participem fuiſſe, non minima eſt gloria.* (*Colum.* L. II. *c.* I.)

10. Verùm eſto, non mediocri conatu & labore quantuſcunque hujus ſtudii profectus conſtaret; adhuc nihilominus verè diceretur, non carò emi divina ſcientia, ſed poſſe à quovis perexiguo labore, atque ſumptu obtineri: cùm ea tantum ſit bonum, eximiíque adeò pretii theſaurus; ut quidlibet operis, acquirendæ illi impenſum, mereatur pro minimo haberi. Quod ut planius cognitu fiat, animadvertendum eſt, laboris atque ſumptûs magnitudinem non tam ex propria ipſius quantitate, quàm ex rei, pro qua impen-

ditur, meritò colligi: nimiúmque ideò pro vulgari quapiam merce illud posse pretium videri, quod pro excellentiore alia instar nihili esset. Sic minimi impendii, magnæque felicitatis ducitur munitissimam arcem vel post duas, trésque aggressiones cepisse: cùm tarda è contrario ac dispendiosa videatur, nisi primi assultûs præmium fuerit, ignobilis castelli expugnatio. Idem dic de præfecturis, & dignitatibus, idem de scientiis, & artibus: pro quarum nonnullis exiguum, ac perlevem eum laborem censemus, quem pro aliis ejusdem generis, sed inferioris notæ, existimaremus gravissimum. Tanti est, ad minuendum in nostra æstimatione quemvis sumptum, magnitudo & præstantia. Hoc igitur posito, admissóque universali principio, si quis etiamnum pergat, quæ ad cognitionem DEI requiruntur, plùs nimio difficilia appellare; eodem illo confutari à me potest responso, quod olim Manilius nonnemini reddidit, expositam ab eo siderum scientiam nimium abstrusam esse objicienti, quæque sinè magno mentis conatu intelligi haud posset. Nempe delicatulis hujusmodi querelis lacessitus Poëta, ad earum se authorem convertit: vultúque nescio plúsne admirationis, an stomachi præferente. Quid enim, mi homo? in-

inquit: num caulium plantandorum, vel fingendorum è creta laterum artem in hiſce te paginis reperturum putabas? (*L. 4.*) *Quod quæris, DEus eſt.* Revoca ſis in memoriam, de rebus hìc agi nobiliſſimis, de rebus divinis, de rebus non loci ſolùm poſitu, ſed & naturæ dignitate ac præſtantiâ terrenum hunc orbem longiſſimè ſupergreſſis, de rebus poſtremò, pro quarum intelligentia nullus exiſtimari poſſit labor non levis, nullum pretium non vile. *Quod quæris, DEus eſt. Conaris ſcandere cælum, & tranſire tuum pectus, mundóque potiri. Pro pretio labor eſt, neque ſunt immunia tanta.* Tum verò acrius excandeſcens adversùs humanarum opinionum pravitatem. Ah genus cæcum, exclamat, genus conſilii expers, inque ponendo rebus pretio à veritate & ratione penitùs devium! ſtimulante auri, & gemmarum cupidine, pertranſitur Oceanus, extrema Orientis petuntur, nihil laboris & incommodi retinet, nullis non periculis caput objicitur: próque veritatum altiſſimarum, cæleſtium, divinarum quæſitu grave nimis videbitur, in eas paulò attentiùs mentem defigere? *Ut veniant gemmæ, totus tranſitur orbis. Quærimus lucrum navi, mortémque ſequimur in prædam. Pudeat tantò bona velle caduca. Quid dabimus cælo? Quantum eſt, quò veneat omne?* Ac demum

mum reſponſionem ſuam omnem concludit verſu illo planè aureo, quo & ipſe coronidem huic capiti imponam: *Impendendus homo eſt, DEus eſſe ut poſſit in illo.* Ità profectò: hæc omnis permutatio noſtra eſt, hæc ſumma omnium, quæ puritas in præſenti capite commendata à nobis requirit. Requirit, ut humanis nos affectionibus exuamus, quò aptiores ſimus ad excipiendas illuſtrationes divinas. Requirit, ut cor ab humo avellamus, quò liberior ad cælum mens evolet. Requirit tandem, ut expurgemus iis animum, unde ille fœdatur, ac deprimitur, quò impleri aliis poſſit, decorem ac nobilitatem ipſi allaturis. Et hoc vocatur carò emere? Imò hoc eſt lucrari dupliciter,: lucrari primò, ratione mercis, quæ acquiritur; & lucrari rurſus, ratione pretii, quod ſolvitur. *Impendendus homo eſt.* En pretium, nihil continens ampliùs, quàm abdicationem imperfectionis, vilitatis, miſeriæ. *Deus eſſe ut poſſit in illo..* En merces, nihil afferens minùs, quàm cumulum omnis perfectionis, omnis gloriæ, omnis boni. O pretium felix, dignúmque haberi pro maximo quæſtu? O merces inæſtimabilis, & pro qua vel æſtimatiſſimum quodvis pretium videri inſtar nihili queat! O pretium, quod tametſi nihil ultrà fructûs pareret, vel ſemet ipſo dunta-

xat

vat satis potest repensum putari! O merces, quæ quamvis toto hominis censu constaret; nequit dici, nisi per gratuitam largitionem oblata.

CAPUT VII.

De tertio instrumento, quod est consideratio, déque duplici considerandi DEUM modo, considerandi nempe in rebus creatis, & considerandi in se ipso.

SEd neque animi puritas totum denique id est, quod orationi superaddere oportet, ut quæsitam DEI cognitionem certò assequamur. Desideratur præterea, ut, post impetratum animæ lumen divinum, póstque interiorem illius visum à terrena quavis labe emundatum, eam porrò, quàm attentissimè fieri potest, in cælesti suo objecto figamus. Quemadmodum enim oculorum acies, esto acutissima sit, & vel subter humum obtutu pervadens, qualem in Lynceo fabulatrix antiquitas finxit; totâ tamen hujusmodi perspicacitate nihil juvatur ad videnda ea objecta, quæ intueri prætermiserit; sic, quantumlibet di-

divinitus illuſtrata, & omnino pura mens ſit, nihil tamen ex hiſce dotibus adjumenti, ad DEUM cognoſcendum percipiet, ſi negligat ad illum ſe convertere, illi contemplando vacare, illiúſque ſingularem eſſentiam, immenſam magnitudinem, & reliquas incomparabiles prærogativas ſedula conſideratione rimari.

2. Quod ſi quiſpiam hìc objiceret, divinam ſapientiam merum eſſe Numinis donum, quódque ideo, nulla noſtrarum ſpeculationum & artium ratione habita, à ſumma duntaxat illius bonitate nos ſuppliciter petere, fidentérque expectare oporteat; næ is rudem atque ignarum ſe oſtenderet conſuetæ rationis, qua DEUS in ſuis utitur diſpenſandis muneribus: falſò nempe ſibi perſuadens, quia, ad hæc conſequenda, noſtri omnes conatus per ſe impares ſunt, nullos à DEO noſtros conatus, ut ea nobis largiatur, requiri. Cùm è contrario manifeſta inductione evincatur, nisì nos illud minimum, quod præſtare infirmitatis noſtræ eſt, in medium contulerimus; neque DEO moris eſſe maximum illud, ac penè totum adjungere, quod expectari à munificentia, & virtute illius poteſt. Hinc ſcientiſſimi quique rerum ſpiritualium viri, quoties munere aliquo indigent, cui conſequendo

impares sint; neque id à propriis viribus, neque sinè harum concursu illud sperant (quod Beato Parenti nostro Ignatio usitatum fuisse traditur) cum perfecta unius divinæ opis fiducia summam pariter in humanis adhibendis præsidiis diligentiam; ità omnes sedulitatis suæ nervos ad propositæ rei effectum contendunt, quasi hic à sola sua industria, & virtute penderet: rursúsque ità eundem à DEO unicè expectant; ac si nihil pro ipso obtinendo impendissent studii & laboris. Neque, quòd DEUS piis quibusque hominum precibus sese promiserit subscripturum, idonea illis ratio videtur, ut, eo rite implorato, reliquam omnem suam operam, quasi omnino supervacuam & inutilem missam faciant: quemadmodum non ideo, quia revelatum sancto Paulo divinitus fuerat, se & cæteros omnes, qui simul navigabant, ab imminenti naufragio evasuros; negligentior ipse est factus in procuranda ordinariis & communibus modis salute, tanquam si opus minimè his foret, ubi sua cælum spondebat auxilia Nequaquam à vulgari hoc paralogismo fucum sibi fieri consultissimus ille Gentium Doctor permisit: sed animadverso nautas fugam moliri, quòd de oneraria desperâssent, & scaphæ præsidio se tutiùs evasuros confiderent, quàm securè paulò

lò antè vectoribus universis incolumitatem promiserat iis verbis: (*Act.* 27.) *Astitit mihi hac nocte Angelus Domini, dicens, nè timeas Paule: ecce donavit tibi Dominus omnes, qui navigant tecum*; tam disertè mox iisdem subjecit, si navigium suis destitueretur ministeriis, actum esse de illorum salute: *Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis.* Noverat quippe, DEUM velle, ut administri illius erga nos munificentiæ simus: & imbecillitati quidem, non verò etiam ignaviæ se invocantium succurrere. Quæ veritas manifestè adeò patet, ut neque Ethnicorum vulgus latuerit, apud quos proverbio ferebatur: *Ubi manum operi admoveris, fortunam invoca.* (*Plut. de Just. Lac.*)

3. Nemo igitur se inani spe fallat, existimans, post efflagitatum à DEO sapientiæ suæ donum, nihil sibi ultra agendum supereſſe, sed eam protinus suæ menti illapsuram, prout olim Spiritus sanctus igneis in linguis super capita Apostolorum descendit: aut velut Judæorum populo, nihil interim allaboranti, ultronea è cælo depluebat annona: sed unusquisque pro certissimo sibi persuadeat, nisi sedulum meditandi, legendique studium ad precationem adjunxerit; nunquam fore, ut ex ordinaria & communi providentiæ lege vel mediocrem DEI scientiam obtineat. Ex or-

ordinaria & communi lege, inquam, quæ sola prudentibus vivendi, agendíque norma est. Esto namque, idiotis quibusdam & rudibus DEUS interdum vel sinè prævio eorum studio perquam uberem sui notitiam infundat; hujusmodi tamen largitas, prout cuique apertissimum est, gratuitum potiùs paucorum privilegium existimari debet, quàm consuetudo, quæ ad omnes indifferenter pertineat. Imò, quamvìs crebra & ordinaria illius cernerentur exempla; audacter nihilominus dixerim, nunquam fore, ut in illis cernantur, qui eandem sibi sortem inerti arrogantiâ promittant: expectantes alis à DEO instrui, quibus illico ad metam propositam evolent, aut instar Eliæ cælesti curru illuc subvehantur; negligentes interim pedum ministerio uti, communia nimirum, & cuivis obvia instrumenta adhibere: quæ si quis impigre adhibeat, licebit ei facere, DEO conatibus illius aspirante, etiam per iter ordinarium extraordinarios progressus.

4. Atque hoc innuisse nobis Salomon videtur, ubi scripsit: (*Sap.* 1.) *DEUM inveniri ab his, qui non tentant illum.* Siquidem ex D. Thomæ, (2. 2. *qu.* 47. *a.* 2.) ac communi Theologorum sententia, ii DEUM dicuntur tentare, qui citra necessitatem patrari ab eo mi-

ra-

racula exigunt: ità ut sola divina sua vi, & nobis omnino cessantibus, eos effectus producat, qui secundùm communis providentiæ ordinem nostram quoque cooperatationem desiderant. Idque ipsum apertissimè comprobavit Christus, dum (*Matt.* 4.) suggerente diabolo, ut è summo templi cacumine se deorsum præcipitem daret, Angelorum excipiendus manibus, nè quid noxæ ideo pateretur; temerariam hujusmodi prodigiosæ, minimæque necessariæ opis fiduciam, tanquam DEI tentationem, in sacris eloquiis damnatam, rejecit. Quapropter Salomon quoque, dum inveniri DEUM docet ab his, qui illum non tentant; ità intelligendus videtur, qnasi sub aliis æquivalentibus verbis inveniri ab iis illum doceat, qui in quærenda illius cognitione haudquaquam expectant, ut hæc sibi, penitùs otiosis, & nihil pro virili sua parte conantibus, per extraordinarium cæli munus obveniat.

5. Quin imò tantùm abest sapientissimus ille Rex ab existimando, DEI scientiam sinè ullo inquisitionis nostræ studio repertum iri; ut neque ordinario & vulgari quovis studio in ea vestiganda contentus sit, sed aviditatem, & solertiam, thesauros perscrutantium requirat: *Si quæsieris eam*, inquiens (*Prov.* 2.) *quasi pe-*

cu-

cuniam, & quasi thesauros effoderis illam, tunc scientiam DEI invenies. Agedum, imaginare hominem, ad cujus aures thesauri subterranei rumor pervenerit. Quanta confestim illius cupiditate succenditur? quàm anxiè ad inquisitionem se accingit? Quo ardore, & conatu effodiendi laborem aggreditur? ùt præ vicini spe lucri, quantamcunque operis diuturnitatem non sentit? ùt prædâ jam detectâ in eam totus effunditur, sese urget, properans omni studio effossam colligere, saccis inferere, & quantocyùs in tutum subducere? Quantâ demum curâ & solicitudine, suis licèt è latebris totam eruerit; pergit nihilominus omnia circumquaque rimari, & altiùs altiúsque, humum effodere, nè quam fortè pretiosi depositi partem inobservatam relinquat? Talem igitur Salomon nostram quoque in DEO, & cælesti ejus scientia perquirenda, sedulitatem vult esse. Vult nos vigilare, satagere, assiduè operi instare, nihil diligentiæ & laboris omittere, nec unquam cessare, aut dicere, satis est; quoadusque aliquid superet, (ceu semper superabit) ulterioris notitiæ assequendum. Vult denique, juxta Eusebii Emisseni sententiam, (*Hom. 3. ad Mon.*) *Tanto incitari studio, tantóque inardescere affectu, ut cum præmii dignitate desiderii magnitudo concordet.*

Nul-

Nullus, ubi de tam inæſtimabili quæſtu agitur, gravis videri debet labor, nullum juſto carius pretium, nulla ſolicitudo, & operoſitas nimia. *Pretioſa, & concupiſcibilis merces avidum negotiatorem requirit: & lentùm quærere gratiam divini muneris, maxima eſt injuria remuneratoris.* (*Ibid.*)

6. Quanquam multò minùs ego hìc à te poſtulo, quàm Salomoni viſum eſt poſtulare. Non exigo indefeſſum illum animi ardorem, quo ad effodiendos theſauros incumbere mortalium avaritia conſuevit. Satìs mihi eſt, ſi divinam ſapientiam non impari quæras ſtudio, ac quo digna quæri videtur vel drachma, numiſmatis genus Romano denario reſpondens. Poſſúmne moderatiùs tecum agere, æquiores tibi conditiones offerre, minùs aliquid poſcere? Atqui vide, amabò, imò quid non faciat illa in D. Lucæ Euangelio (*c.* 15.) mulier, quò unam ex decem ſuis drachmis fortè amiſſam inveniat. Parum illi eſt *lucernam accendere*, parum *everrere domum*. Pergit ulteriùs, in omnem ſe partem convertere, intentos quaqueverſus oculos circumagere, obvia quæque iterum iterúmque excutere, abſtruſiſſimum quemvis angulum ſolicito indagatu perſcrutari, nihil demum non moliri, quoad deperditum numum reperiat: *Et quærit*

rit diligenter, donec inveniat : tantis mox lætitiis incedens, effuséque sibi plaudens, ut omnem latè viciniam hilari strepitu compleat, nec ulla sit in circumjectis ædibus mulier, quam sortis suæ nuntio non impertiat, & ad sibi congratulandum invitet. *Convocat amicas, & vicinas, dicens, congratulamini mihi.* DEUS bone! tantúmne studii, tantum diligentiæ, tantum tumultûs promeretur una argenti gutta, unus numulus tam exigui valoris? Et tamen quàm multos in ficta hac imagine licet nobis verè expressos agnoscere? Agnoscere licet certè universam Ethnicorum sapientum turbam, eorúmque flagrantissima studia, & assiduos labores, cujus tandem inveniendæ rei causâ? cujus, inquam, nisi ignobilis drachmæ? Talis quippe, & tantuli pretii est, si suis rite perpendatur momentis, & cum cælesti sapientia comparetur humana omnis doctrina. Ità sanè: nihil amplius drachmâ quæsitum ibant Plato, & Pythagoras peregrinationibus, ad remotissimas Ægypti, atque Persidis scholas susceptis. Nilil drachmâ amplius Chrysippi, & Archimedes indefesso suarum contemplationum labore. Nihil drachmâ amplius Democriti, & Anaxagoræ sua tam pertinaci contentione in naturæ perscrutandis arcanis. Qui omnes, proh! quàm acriter ad

intentissimam Dei considerationem suo exemplo nos provocant? Quantóque nobis essent pudori, si, cùm ipsi pro vulgaris numi quæstu tantum laboraverint, segni contra remissóque nos animo divinam quæreremus scientiam, thesaurum inæstimabilis pretii; ùt (*Sap.* 7.) *Omne aurum in comparatione illius arena, & tanquam lutum æstimetur argentum in conspectu illius?* Certè (pergit citatus suprà Emissenus testari) pro industria & sedulitate, quàm ei requirendæ impenderimus, illius item acquisitio erit: quantóque majori nos conatu ad contemplandas DEI perfectiones animum intenderimus; tantó præsentiori ejus ope ad easdem pernoscendas juvabimur. Quantum nos addiderimus ad studium, tantum ille apponet ad adjutorium. Quamobrem sanctus David inter omnes sacræ hujus scientiæ professores illos specialiter appellat beatos, quibus non satis est qualicunque modo eam quærere, sed quantâ possunt maximâ mentis contentione atque curâ illi vacant. (*Ps.* 118.) *Beati, qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde suo requirunt eum.* Beati procul dubio: quantam enim supernaturalis luminis affluentiam è cælo haurient? quàm peculiariter sese DEUS revelabit? Quàm altè illos in suorum mysteriorum penetralia introducet? Denique ipsi sunt,

sunt, *qui esuriunt, & sitiunt* æternam veritatem, supremámque justitiam. Quidnam igitur reliqui est, nisi, ut secundùm divini Verbi promissa, (*Matt. 7.*) *saturentur* pabulo tam flagranter optato?

7. Sed quorsum diutiùs in asserenda veritate immoramur, quæ satis per se ipsam se prodit? Cognitio DEI, nisi per suum exercitium, & actum præsens in animo sit; inutilis prorsus homini est, nullúmque ex illis fructibus parit, quorum causâ tantum æstimationis meretur. Jam verò divinarum rerum consideratio ipsissimum est divinæ cognitionis exercitium: nimirum DEI repræsentatio, qualem ipsum jam novimus, unà cum voto, & conatu eum pleniùs noscendi. Quapropter nullo fieri modo potest, ut, qui cognitionem DEI amat, & quærit, considerationem DEI negligat. Cùm hæc ità vim, rationémque instrumenti ad eum finem opportuni habeat, ut ejusdem finis possessio aliquatenus sit.

8. Demonstrato jam igitur, quanta hujusce instrumenti necessitas sit; supereſt porrò, ut conemur facilorem illius reddere usum, distinguendo duplicem modum, quo adhiberi utiliter potest. Alter itaque est, cùm à rerum creatarum bonitate & præstantia, ad su-

premi earum Procreatoris agnoſcendam bonitatem & præſtantiam conſcenditur. Alter verò, cùm mentis obtutus ſinè ullis ambagibus, & diverſarum imaginum adminiculis, in divino ſuo objecto confeſtim defigitur. Utentes primo in ſuis DEUM effectis ſpectamus: utentes poſteriori, eum nobis, qualis eſt in ſe ipſo, proponimus. Reflexus ille eſt, magíſque præſentis vitæ proprius, in qua, teſte Apoſtolo, *Videmus per ſpeculum in ænigmate*: rectus hic, atque ſimplex, & nonnullam proinde affinitatem habens cum poſthumæ immortalitatis viſu, quem idem Apoſtolus *facie ad faciem* futurum, teſtatur. Alter, ceu ipſorum ſenſuum ſpeciebus adjutus, ad inviſibilis ſui objecti cognitionem nos faciliùs perducit: alter, utpote â ſenſibilibus formis abſtractus, ſublimiori, & magìs propriâ ejuſdem intelligentia nos inſtruit. Rectè primum compares cũ aſcenſione per ſcalã tot ſtructam gradibus, quot rerum creatarum ſpecies menti ſe objiciunt, ſimilem alterum diceres volatui illius *Aquilæ magnarum alarum*, quæ apud Ezechielem, (c. 17.) evecta ſuper Libanum, *tulit medullam cedri*: cùm hìc quoque rationis, fideíque alis ſublevetur animus ad eruendam, deguſtandámque divinarum perfectionum medullam. Hæ igitur duæ ſunt rationes, & viæ, quibus in con-

ſi-

ſiderando DEO uti poſſumus. Déque illis propterea in hac prima inſtituti operis parte pergemus nos deinceps differere: ab ea initium ſumentes, quæ in viſibilibus ſuis effectis DEUM quærit, cujuſque & maximè facilis, & conveniens unicuique uſus eſt. Nam, ſecundùm D. Gregorii animadverſionem, in quem quiſque locum decidit, ei debet inniti, ut reſurgat. Cúmque tam ſæpe noſter animus per inordinatum amorem à DEO in hæc ſenſibilia devolutus ſit, his ipſis pro fulcimento uti debet, quò ſe ad eum rurſus attollat, ibi apprimens conſiderationis manum, ubi affectionis pede eſt prolapſus. *Quocunque ſe verterit anima,* (en ſancti Doctoris verba) *ſi vigilanter intendit, in iiſdem ipſis DEUM invenit, per quæ reliquit: ejúſque potentiam ex eorum conſideratione cognoſcit, quorum amore deſeruit. Ubi enim lapſi ſumus, ibi incumbimus, ut ſurgamus: & quaſi ibi ſurgendo conſiderationis manum figimus, ubi amoris lubrici pede corruentes negligendo jacebamus. Quia enim à viſibilibus per viſibilia cecidimus, dignum eſt, ut ad inviſibilia ipſis rurſus viſibilibus innitamur: dum, ſicut dictum eſt, illa nos ad* DE*um, bene conſiderata, revocant, quæ nos ab eo, malè electa, diviſerant.* (L. 26. Mor. c. 8.)

CAPUT VIII.

Quàm luculenter universæ res creatæ, DEUM esse suum Authorem testentur: quámque promptum unicuique sit per duo eruta hinc consectaria, ad sublimem illius intelligentiam eniti.

FAlsò, injustéque, ùt suprà affirmavi, de divina scientia conquerumtur mortales: tanquam de re præter modum difficili, quæque vix ab acutissimis ingeniis, post complures laboriosissimarum speculationum annos, nec sinè præstantium magistrorum institutione obtineri aliquatenus possit. Quodnam illi acumen ingenii, quàm speculationum scholasticarum prolixitatem, quàm præstantium magistrorum institutionem hìc somniant? Nullo id genus præsidio ad divinam scientiam est opus. Habeas solummodo in fronte oculos, & tantum rationis in mente, quantum sustinendæ hominis appellationi sufficit; jámque sinè alio quovis humano adjumento, & paratu, instructus abunde es, ad magnos brevi tempore in ea faciendos progressus. Quidquámne, amabò, facilius, imò etiam jucundius, & animo re-

recreando est appositum magis, quàm in loca patuli undique prospectûs exire, éque amœno quopiam colliculo, intueri per otium jam effusissimam sereni cæli amplitudinem, jam multiformes telluris scenas, hìc in plana camporum spatia exporrectæ, illic arduis è montibus pendulæ, alibi silvis inumbratæ, alibi convestitæ segetibus: cum reliqua omni specie, seu rivorum, & fluminum diversis eam alveis secantium, seu cujusque generis animalium circumquaque per eam discurrentium? Atqui non alia est Academia, ad quam te invito, non aliud studium, quod à te exigo, ut in DEI scientia proficias. Quotquot ibi res creatas aspicies, totidem magistri erunt, qui sinè ullo tuo labore, imò etiam cum singulari oblectamento, de illius mysteriis te erudiant. Proh quantum deDEO licebit tibi ex iis discere? Hæc earum occupatio unica est, hic finis, cujus gratiâ conditæ sunt, hoc munus, quo assiduè funguntur, repræsentare, suggerere, inculcare cuilibet eas aspicienti excellentissima decora, incomparabiles prærogativas, infinitam magnitudinem, sapientiam, potentiam, pulchritudinem, bonitatem Authoris sui. *Confessio ejus super cælum & terram,* (*Ps.* 148.) Regii Prophetæ oraculum est. Sed quonam id pacto? subjicit Augustinus. Nempe,

quia *omnium pulchritudo quodammodo vox eorum est confitentium* DEum. Nequaquam, nequaquam, ceu delirabat Heraclitus, (*Themist. Or.* 2.) avarus sui adeò, támque Zelotypus arcanæ Majestatis suæ custos fuit DEUS, ut eam nè vulgi oculis prostitueretur, altissima caligine obvolverit; quin potiùs, juxta oppositam, & longè verissimam Trismegisti sententiam, usque adeò per sua opera sese omnibus manifestum exhibuit; (*Pim. c.* 5. *&* 11.) *Ut non intelligere tantùm, sed & manibus quodammodo ipsis contrectare liceat. Nam undique oculis nostris ejus obversatur, seséque objicit, & inculcat imago. Omnia quippe ob eam causam fabricavit, ut eum per singula cerneres.* Ac veluti Phidias in exsculpta à sePalladis statua artificiosè adeò suam effigiem inseruit, ut, sinè operis totius dissolutione, indè auferri non posset. (*Val. Max. L.* 8. *c.* 14.) Sic, sed multò etiam penitiùs, immortalis ille artifex in singulis à se fabrefactis operibusDivinitatis suæ speciem impressit. Multò, inquam, penitiùs: nam in Phidiaca Palladis statua hujus, & sculptoris effigies nequaquam unum atque idem, sed duo distincta ab invicem erant. At verò creatarum rerum quarumlibet essentia, si probè inspiciatur, nihil revera aliud, quàm finita quædam imago infiniti Effectoris sui est: ut proinde tam im-

impossibile factu sit, divinam ab iis similitudinem, quàm ipsammet earum essentiam auferri: útque hac sibi erepta persistere nullo modo possent, sic illâ etiam sublatâ eas funditus tolli necesse esset, atque omnino in nihilum redigi. *Invisibilia ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ità ut sint inexcusabiles.* (*Ad Rom* 1.)

2. Atque ex hac in ipsismet conditarum rerum elementis & naturis altissimè insita suprema artificis repræsentatione illa derivantur nomina, quibus sacri Scriptores eas insignire consueverunt: vocitantes alii scalas, per quarum gradus ad DEUM mens enititur, ceu Basilius Seleucienſis (*Or. 1.*) *DEUS, cùm res creatas in modum scalæ adaptaverit, per eas sui amantibus ad se ascensum extruxit*: Alii visibilia, & peculiaria simulacra ipsius, invisibilis, communísque omnium exemplaris; ceu Doctor Seraphicus (*Itin. Ment. c. 2.*) *Omnes creaturæ mundi sensibilis ducunt in DEUM, pro eo quòd illius primi principii potentissimi, sapientissimi, optimi, illius æternæ lucis, originis, & plenitudinis, illius, inquam, artis efficientis, exemplantis, & ordinantis, sunt umbræ, resonantiæ, & picturæ*: Alii vestigia, per quæ pervenire ad DEUM licet, ùt D. Gregorius (*L. 26. Mor. c. 8.*) *Ejus vestigia*

creaturas dicimus, quia per hæc, quæ ab ipso sunt, sequendo, imus ad ipsum: Alii librum nullius intellectui clausum, unde omnes vel idiotæ, vel barbari, & cujusvis linguæ homines possint divinorum mysteriorum notitiam haurire, veluti Basilius Magnus, (*Hom. 11. in hexam.*) & Joannes Chrysostomus: (*Hom. 9. ad Pop.*) alii, ùt Laurentius Justinianus, specula exigua, in quibus aspici à mortalibus divina essentia queat, veluti in hac, tanquam in immensissimo quodam speculo, creata omnia intueri cælestibus licet. (*De Cast. Con. c. 18.*) *Quemadmodum in patria DEUS speculum est, in quo relucent creaturæ, ità in via creaturæ sunt speculum, in quo Creator videtur.* Radios eas Solis æterni appellat D. Bernardus, (*Serm. 30. in Cant.*) *Tanta hæc formarum varietas, atque numerositas specierum, quid, nisi quidam sunt radii Deitatis, monstrantes, quia verè sit, à quo sunt?* Testimonia divinæ Existentiæ, & magnitudinis Tertulliano dicuntur, (*L. 1. cont. Marc. c. 10.*) *Habet DEUS testimonium totum hoc, quod sumus, & in quo sumus.* Nutus illas divinæ sapientiæ Augustinus nominat, dicens huic: (*L. 2. de Lib. Arb. c. 16.*) *non cessas innuere nobis, quæ, & quanta sis, & nutus tui sunt omne creaturarum decus.* Cancelli fenestris objecti à Salomone nuncupantur, unde semiclausus, & semipatens

tens nos aſpiciat, nobiſque aſpiciendum ſe præbeat noſter Dilectus. (*Cant.* 2.) *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* Pro publicis denique divinarum perfectionum præconibus eas habet Pſalmographus, (*Pſ.* 18.) *Cæli enarrant gloriam* DEI, *& opera manuum ejus annuntiat firmamentum, &c. In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

3. Quanta igitur (colligit hìc S.Bonaventura) erit noſtra inertia, ſi vocibus adeò ſonoris negligamus mentem advertere: ſi tot præ oculis habentes ſimulacra, æternum & univerſale in iis exemplar non agnoſcimus: ſi tot veſtigiis ducentibus, eum, à quo impreſſa ſunt, non requirimus? (*Itin. Ment. c.* 1.) *Qui igitur tantis rerum creatarum ſplendoribus non illuſtratur, cæcus eſt: qui tantis clamoribus non evigilat, ſurdus eſt: qui ex tantis indiciis primum principium non advertit, ſtultus eſt.* Nè, quæſo, velimus nos itidem illorum eſſe amentum ſimiles, quibus, ùt in libro Sapientiæ ſcribitur, nulla imaginum creatarum multitudo & varietas ad aliquam ſummi exemplaris, atque artificis ſpeciem animo imprimendam ſat fuit: (*c.* 18.) *Et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt: neque, operibus attendentes, agnoverunt, quis eſſet artifex.* Infelicif-

ciſſimi ſanè mortalium : cùm per voluntariam hujuſmodi inſcitiam præcipuo ſeſe fructu fraudaverint tum mundanæ univerſitatis ad eos erudiendos productæ, tum ſuorummet ſenſuum, quorum finis & munus eſt, accepta à rebus externis documenta ad intelligentiam tranſmittere; tum ipſius demum intelligentiæ, quæ in ipſis omnino ſupervacua, & abſque ullo ſui uſu eſt, utpote veritatis illius expers, ſinè qua cæteræ omnes nihil ei proſunt. Nè, inquam, velimus generi hominum tam ſtulto eſſe ſimiles : ſed, auſcultantes potiùs citati paulò antè Doctoris Seraphici monitũ, ſtudeamus in hac ſchola proficere, quam DEUS nobis aperuit, ut inſtitutione facillima ſui aſſequeremur ſcientiam. (*S. Bon. ibid.*) *Aperi ergo oculos, aures ſpirituales admove, & cor tuum appone, ut in omnibus creaturis* DEUM *tuum videas, audias, laudes, & colas, nè fortè contra te orbis univerſus conſurgat.* Quæ ultima verba videntur deſumpta ex illo Sapientiæ verſiculo, (*c.5.*) *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos:* perinde quaſi omnis rerum univerſitas ſupremi judicii die inſurrectura, & exclamatura ſit contra eorum vecordiam, qui accipere ab ipſa neglexerint, tametſi continenter ſibi inculcatam, ſui Authoris notitiam. Neque verò ab hujuſmodi prælectionibus audi-

en-

endis nos avocet magistrorum ignobilitas, rerum videlicet, ratione, ac plerumque etiam sensu carentium, quæque ideo parum dignæ videntur, ut iis nos auditores, & discipulos velimus præbere. Docet quippe D. Thomas, si quis aures iis præbeat, non tam ipsorum, quàm DEI, per ipsas loquentis, auditorem esse: quemadmodum, qui librum aliquem legit, res ibi conscriptas non à characteribus eas exprimentibus, sed à scriptore, à quo expressæ sunt, discit: colligens hinc, tantò esse nobilius veritatem quampiam ex rerum sensibilium aspectu, quàm ex humanis sermonibus discere; quantò est nobilius DEUM habere doctorem, quàm homines. *Sicut voces ab homine formatæ sunt signa intellectualis scientiæ ipsius, ità creaturæ à* DEO *conditæ sunt signa sapientiæ ejus. Unde dicitur* Ecclesiastici 1. *c., quòd* DEUS *effudit sapientiam super omnia opera sua. Sicut igitur dignius est doceri à* DEO, *quàm ab homine, ità dignius est accipere scientiam per sensibiles creaturas, quàm per hominis doctrinam.* (3. *p. qu.* 12. *a.* 5. *ad* 2.)

4, Sed explicandum jam est, quidnam demum sit, quod res creatæ de suo, ac nostro Conditore nos doceant. Docent hoc ipsum, ait sanctus Job, DEUM scilicet esse universale principium, & authorem omnium, quæ sunt,

sunt, singulas percontare. Mentiar, si quæ fuerit, quæ id non respondeat, (*c.* 15.) *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecerit?* Ubi videntur res creatæ cum quodam admirationis, & penè stomachi sensu respondere, Quid nos interrogas de re adeò per se ipsam omnibus manifesta? Aut quid auditurum te à nobis expectas, præter id quod ipsemet nostri aspectus palàm ediderit? DEI opera sumus: DEUS nos è nihilo eduxit; à DEO habemus, quidquid in nobis est perfectionis, virtutis, decoris. *Quis ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecerit?* Et talis fuit sanè responsio. quam D. Augustino reddiderunt, cùm, veluti in 10. Confessionum libro (*c.* 6.) ipsemet contestatum reliquit, ab eo interrogatæ fuissent. Nempe ibi refert sanctus Doctor, stimulatum se aliquando flagrantissima inveniendi DEI cupiditate, institisse per omnes universitatis partes eum quærere: interrogâsse de illo terram, interrogâsse maria, interrogâsse aërem, cælum, lunam, sidera: nihil tamen omnia hæc respondisse, nisi DEUM se non esse. Ah, quid hoc est? indagator ille summi Veri animus apud se dixit. Itáne nihil, tantulo hoc am-

amplius de DEO meo possim rescisscere? Ingressus ergo iterum quærere; Ah cæli, & elementa, subjecit, nolite me, quæso, sinè ulla paulò distinctiore adamati boni notitiâ destituere. *Dixistis mihi de DEO, quòd vos non estis. Dicite mihi de illo aliquid.* Quibus verbis vix à se prolatis, subjungit, altissimum illico ex omnibus mundi partibus erupisse clamorem, & cælum, aërem, terram, maria *exclamâsse voce magna, Ipse fecit nos, Ipse fecit nos.* Sed, cede nobis, sanctissime Doctor, veréne tuum hoc extitit cum rebus creatis colloquium? Extitit quàm verissimè, ille inquit, at non per voces sensibiles. Quod scisscitatus eas sim, nihil aliud fuit, quàm mentem paulò attentiùs in earum speciem defixisse. Quódque ipsæ mihi responderint, nihil aliud significat, quàm ex earum me aspectu, contemplationéque didicisse, à quonam essent productæ. *Interrogatio mea, intentio mea: responsio eorum, species eorum.*

5. En igitur, quidnam muto arcanóque, sed disertissimo suo sermone creatæ res cuivis respondeant, qui solerti consideratione eas percontatur. Respondent, DEUM primam esse causam, æternum principium, supremúmque Effectorem omnium, quæ in amplissima mundi universitate intuenda se objiciunt: brevi-

vique hac reſponſione, proh! quantum de incomprehenſibilibus illius prærogativis enuntiant? Tantum enim vero enuntiant; ut ille, ſecundùm hoc duntaxat ſuum nomen à nobis cognitus, perpenſúſque, in excelſiſſimam æſtimationem, profundiſſimam reverentiam, & flagrantiſſimum ſui amorem noſtros rapere animos valeat. Cuilibet quippe, id de illo ſcienti, facillimum eſt duo hæc conſectaria inde eruere: primum, infinitæ illum ſapientiæ, ac virtutis opificem eſſe: alterum, in ſimpliciſſima ejus Eſſentia uſquequaque collectum, imò & innumeris tantis conduplicatum reperiri? quidquid perfectionis, pulchritudinis, & præſtantiæ in omni rerum univerſitate per varias tot naturas diſpertitum occurrit. Agedum, quàm neceſſario utrumque horum decorum in prædicto illo univerſalis Principii titulo contineatur, quámque legitimo evidentis conſequentiæ ritu inde profluat; paulò accuratiùs inſpiciamus: & duo ad manum habebimus non minùs facilia, quàm fructuoſa exercitia, DEUM in rebus creatis quærendi. Quæ, veluti circa ſupremi Conditoris veſtigia hærent; ſic rectè à D. Bonaventura duabus iis aſſimilantur infimis alis, quas beati Spiritus Iſaiæ olim exhibiti, ſupra DEI pedes tendebant.

bant, (c. 6.) *Duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus.* (*Itin. Ment. c. 2.*)

CAPUT IX.

Declarantur prædicta duo consectaria, & ratio conscendendi per ea à rebus creatis ad supremi Conditoris notitiam.

CONstituto itaque inter rerum certissima, DEUM esse, prout non Orthodoxa solùm Religio docet, sed tota etiam mundi universitas prædicat, primum, atque universale omnium principium; facillimum primò cuivis est hinc arguere, quàm immensa, ineffabilis, humanúmque omnem captum excedens illius sit sapientia, & potestas. Quid enim? ullane difficultas occurrit, in definienda qualitate, de cujus fructibus constat? Fructus proprii cujusque sunt illius opera; ubi de his liquet, non modò pronum est scire, sed & impossibile nescire, cujus ille conditionis, ac meriti sit. *Opera, quæ ego facio*, ajebat Christus Dominus, (*Joa. c. 5. & 10.*) *testimonium perhibent de me. Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Hinc, si ædificium intueamur, communem normam

ſupergreſſum, Titi amphitheatrum putà, vel Vaticanum Principis Apoſtolorum templum; ex illius amplitudine nihil dubitantes colligimus, extraordinariis quoque impenſis exſtructum eſſe, & eum habuiſſe authorem, qui ſatis & animi ad tantam molem aggrediendam, & virium ad perficiendam habuerit. Quemadmodum etiam, ſi aliquas nos contingat videre præcellentis artificii machinas, cujuſmodi Archimedææ erant, ſeu eximia quædam primariorum Scriptorum Ariſtotelis exempli gratiâ, vel D. Thomæ monumenta perlegere; non poſſumus non mirari ſingularem ingenii præſtantiam, quæ tum in partibus, tũ in totius idea, architectatione, & contextu ſe prodit: repetentes ſubinde nobiſcum, ô intelligentiam ſublimem! ô mentem heroicam, & Angelorum typis excuſam! In ſumma, quod veriſſimè ſcripſit Philo, (1 *de Mon.*) *Cognoſcendorum opificum indicia ſemper ſunt opera.* Quot cujuſque artificis monumenta extant, tot certiſſima ille habet artis ſuæ teſtimonia. Nullum eorum in lucem edit; quin germaniſſimam ibi effigiem ſui exprimat. Qui nunquam eum vidit, nec aliunde cognitum habet; poteſt indè juſtam illius ſpeciem mente concipere, & cujuſmodi ille ſit, æſtimare.

2. Quæ

2. Quæ cùm ità sint; age jam, *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* (*Ps.* 45.) Venite, inquam, homines universi, contemplatum prodigiosissima cælestis fabri opera: ut possitis mox statuere, numquid cum eorum ullo possit in contentionem venire, quidquid artificiosi, magnifici, admirandi, & eximii creata quævis seu mens concipere, seu vis exequi valuit. Et quam, rogo, mundi partem perlustrare cogitando fas erit; quin vestra ibi mens, secundùm D. Augustini locutionem, (*Tr. 8. in Joa.*) *obruatur miraculis*: nimirum in spectacula incidat, ad eam penitùs obstupefaciendam, extráque se rapiendam idonea? Aspicite cælos, corpora in immensum adeò orbem circumducta; ut nedum oculorum obtutus, sed neque mentis acies iis permetiendis par sit: adeóque simul in perpetuis, & ordinatissimis suis conversionibus cita, ut ipsamet cogitatio, in persequendo eorum cursu, fatigetur, ac prorsus deficiat. Videte aërem, ut jam undique solis luce inauratus, jucundissimum sui spectaculum oculis præbet; jam nubilus, ínque horridam majestatem compositus, flatus ciet, evellendis arboribus, diruendísque ædificiis pares, strepit tonitruis ipsamet terræ fundamenta suo fragore quassantibus, & fulmina ejaculatur tan-

ta vi, tantóque impetu acta, ut nihil non perrumpant, prosternant, disjiciant. Intuemini aquas, partim divisas in flumina, perpeti, nec exarescente unquam fluxu terræ sinum percurrere; partim intrà vastissimum profundissimúmque maris gremium collectas, jam in liquentis sapphiri speciem immotas quiescere; jam in tempestates assurgere, eóque fremitu, ac furore debacchari; ut vel tuto è littore prospectantibus horrorem incutiant. Considerate terram, multiplici adeò frugum, stirpium, gemmarum, metallorum, & animantium proventu fœcundam, ut neque omnes horum species ullo pacto enumerare, neque artis elegantiam, qua singulæ fabrefactæ & compositæ sunt, sat mirari possimus. Proh DEUM immortalem! quidnam hoc operum, imò quidnam veriùs prodigiorum hoc est? Quantum in unoquoque artificii, speciei, opportunitatis, magnitudinis spectandum occurrit? Quibusnam lacertis corpora tam immania è nihili profundo sunt eruta? Quantæque virtutis, dicendum est, causam fuisse, quæ operationum tam mirabilium, tantóque intervallo humanos quosque nisus excedentium facultatem iis tribuit? Quàm capaci & fœcunda mente opus fuit ad concipiendas tot, támque differentium naturarum ideas:

as: ad earum unamquamque propriis instruendam facultatibus, dotibus, & suæ conservationis præsidiis: ad omnes demum mutuò nectendas in unitatem adeò concinnam & stabilem, prout illa est, qua tamdiu mundi universitas viget? Ah stolidum, & totius mentis expertem credi necesse est, qui hujusmodi effectus aspiciens infinitam authoris, , à quo producti sunt, artem & potentiam minimè advertit: aut advertens non ea, qua par est, tantorum decorum admiratione totus percellitur: nec humi sese pronum abjiciens, attonitus, & præ metu ac reverentia vix sui compos exclamat: *Domine consideravi opera tua, & expavi* (*Habac. 3 juxta 70.*) Grandis immensa, ineffabilis, quæque spectari sinè religioso horrore, nequeat, tua est, altissime mundi Procreator, sapientia & potestas. *Magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es DEUS solus.* (*Ps 87.*) Creata omnis intelligendi, & operandi virtus, si cum tua comparetur, nihil aliud videri, quàm merus stupor, quàm extrema imbecillitas potest. Ad intelligendum, quænam sit divinæ tuæ mentis, diviníque tui brachii præstantia; satìs est opera, quæ indè prodierunt, spectare: opera portentosæ artis & molis, nostram omnem non modò efficientiam, verùm etiam mentis comprehensionem superantia, quæque

alium habere nequeunt authorem, quàm DEUM. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis.* (*Ps.* 138.)

3. Tale igitur primum consequens est, quod, admisso, DEUM esse universalem rerum omnium causam, nullo indè negotio posse ajebam deduci: quódque facillimam nobis praxim suppeditat, ex visibilium rerum aspectu ad invisibiles DEI perfectiones surgendi, dummodo sic cum animis nostris ratiocinari velimus. Quantò unumquodque opus pulchritudinis, & magnificentiæ plus exhibet, tantò manifestiùs sapientiam, & virtutem sui artificis prodit. Atqui opera, quæ DEUS in mundo edidit, incomparabilem elegantiam præseferunt, humanas omnes ideas, atque vires longissimè prætergrediuntur, & singula, ùt Chrysostomus loquitur, (*In Ps.* 148.) *Plena magno miraculo sunt.* Dubitari ergo non potest, quin admirabilis supra omnem modum sit ars, & potentia cælestis illius fabri, qui tam miros effectus noverit, potuerítque producere. *De magnitudine operum, & pulchritudine creaturarum* (scitè D. Hilarius) *generationum Conditor inspicitur: &, cùm sensum ipsum supergrediatur operatio, omnem tamen sensum longè excedat, necesse est Operator.* (*L. 1. de Trin.*)

4. Di-

4. Dixi præterea, ex eodem illo principio aliud item posse consequens erui, immensam nimirum exuperantiam, qua DEUS in se colligit, quidquid decorum in res alias dispertiit: & sic aliam haberi præ manibus nihilo minùs facilem praxim, supremum illum Opificem per suorum operum monumenta agnoscendi: ità nempe, ut ex rerum occurrentium amabilitate, magnitudine, excellentia, & decore arguatur, quantò amabilior, major, pulchriórque sit, qui eas tales effinxit. Quæ argumentandi ratio & à D. Augustino nobis suggeritur, ubi scripsit: (*In Ps.* 84.) *Fratres, cogitate ista, quæ videtis pulchra, quæ amatis. ipse fecit. Si hæc pulchra sunt, quid est ipse?* & multò etiam priùs, atque expressiùs indicata est in libro Sapientiæ, eorum insaniam, qui res sensibiles ob nativa sua decora divinis honoribus prosequebantur. (*c.* 18.) notante: *Quorum, si specie delectati, Deos putaverunt; sciant, quantò his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem, & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam, qui hæc fecit: fortior est illis. A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Quidnam verò posterior hæc praxis, & argumentandi species diversi à priore habeat, nemini difficile cogni-

tu est. Ibi siquipem generali, nec diversâ usquam ratione solam DEI sapientiam, & operandi vim in quibuslibet illius effectis agnoscimus, licèt multi illorum effectuum hujuscemodi dotibus careant: neque enim potentissimus mons, aut vermis sapientissimus dicitur, esto maximâ & ad primum creandum potentiâ, & ad alterum formandum sapientiâ opus sit. At hìc ex diversis, & peculiaribus prærogativis, quibus alias, aliásque res insignitas vìdemus; easdem illas prærogativas in supremo earum Effectore, & multò quidem cumulatiùs ac perfectiùs reperiri colligimus. Nam, juxta verissimum D. Laurentii Justiniani effatum: *Omnia pulchra testantur ipsum pulcherrimum, dulcia dulcissimum, sublimìa altissimum, pura purissimum.* (*De Casto Con. c. 18.*)

5. Neque porrò ad id colligendum seu magno ingenii acumine, seu longo ratiocinationis circuitu est opus. Sat fuerit, si vulgatissimum illud teneatur principium, *Neminem* scilicet *dare alteri, quod ipse non habet.* Unde palàm sequitur, causam omnem, ceu effectibus à se una productis tribuit, quidquìd perfectionis & bonitatis ii habent; sic debere illud ipsum in se habere: alioquin quomodo aliis potuisset conferre, quod sibi deerat? *Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis fi-*

ficus? (*Matt. c. 7.*) Quod cùm extra omnem controversiam sit, & per ipsius naturæ magisterium, ac lumen, vel hebetissimis quibusque hominum pateat; facillimum cuique est, ubi quid eximiæ ac præcellentis rei videat, ità secum differere: Hæc res non à se ipsa certè habet, sed à DEO accepit suum esse. Ergo neque à se habet, sed à DEO accepit perfectionem, pulchritudinémque, qua excellit. Jam verò, si DEUS eam ipsi dedit, fieri non potuit, quin eandem haberet, cùm dedit: alioquin, quod non habebat, dedisset. Sed, si illam tunc habuit, nunc pariter habere illam pergat necesse est. Quod enim per efficientiam & productionem datur, à producente non amittitur, sed ei solidum atque integrum manet: quemadmodum tenuis faculæ lumen, vel si mille funalia succenderit; non ideo ulla ex parte minuitur. Ergo, quàm in hac re admiror, perfectio in DEO etiam existit. At quomodo, & quanta ibi existit? quantámne & qualem hìc video? Imò longè amplior ac melior. DEUS quippe universalis causa est,, non hujus duntaxat rei, sed & aliarum quarumlibet æquè aut magìs præstantium: nec proinde hujus duntaxat, sed & aliarum quarumvis perfectionem, pulchritudinémque in se continet. Quantum itaque re-

rum omnium in mundo existentium pulchritudo simul collecta, peculiarem hujusce unius rei pulchritudinem superat; tantum divina item pulchritudo eam superet, necesse est. Tantùm, inquam, solummodo? Parum nimis id est ad illius dignitatem. Cùm DEUS præter omnia, quæ in lucem hactenus protulit, innumera quoque alia, & longè præstantiora possit creare, ac proinde infinitas, distribuendas iis dotes, ac prærogativas necessario in Essentia sua habeat. Quale igitur, quámque immensum perfectionis, & pulchritudinis pelagus oportet eum esse, cùm infinito intervallo totam, quanta est, rerum hactenus productarum perfectionem, pulchritudinémque transcendat? Et, si tantùm sæpe me afficit peculiaris aliqua hujus, vel illius rei creatæ perfectio, multóque plùs me afficeret, si esset centuplò major, multóque adhuc vehementiùs, si quidquid perfectionis cæteras quasque res creatas commendat, in se una exhiberet; quantò ampliùs, ac penitiùs par est, ut me afficiat infinitum DEI esse, cujus non nisi rudis umbra, & tenuis scintillula est omnis conditarum rerum perfectio? O pulcherrime, ô perfectissime totius perfectionis & pulchritudinis Conditor, fatendum enim verò est, *Mirabilia opera tua: & anima mea cognoscit nimis.*

mis. (Ps. 138.) Satis, & supra etiam quàm satis immensam tuorum decorum summam hæc mihi palàm faciunt, imperfectissima licèt tui simulacra. Nimium sempiternæ tuæ lucis vel in hisce umbris effulgurat. Ah penitùs cæcum, qui in singulis te operibus tuis impressum non cernit, tanquam universale totius pulchri prototypon. Ah prorsus amentem, qui amore visibilis cujusquam objecti ad te deferendum inducitur: cùm visibilia quæque objecta, quò amabiliora sunt, eò vivaciùs infinitam amabilitatem tuam repræsentent, majoríque vi polleant, spectatores suos pertrahendi ad amorem Tui. Ah nè ità ego sim vecors, ut mortuam imaginem suo vivo ac vero exemplari præhabeam. Nè illarum me rerum aspectus à te avocet, quæ hac tantùm de causa sunt conditæ, ut ad te me perducant. Contempler nunc te in ipsis, tanquam in tot ænigmatibus, atque speculis, ut imperfecta hujusmodi visio me idoneum effingat, ad te postmodum, omni amoto velamine, in tua incomprehensibili Essentia videndum.

6. Atque hoc sanè pacto duas tibi, pie Lector, vias complanavi, quibus ducentibus, certo & facili itinere ubivis reperire DEUM possis. sublevando nempe animum à contemplatione, & admiratione rerum visibilium ad co-

cognitionem, admirationémque invisibilis earum opificis. Nam &, teste Philosopho: *Nulla res naturæ est, in qua non mirandum quidpiam occurrat.* (*L. 1. de Part. An c. 5.*) &, juxta recitatam à Clemente Alexandrino D. Mathiæ Apostoli sententiam: *Admirari præsentia primus est ulterioris cognitionis gradus.* (*L. 2. Str. c. 5.*) Sed, quoniam curæ mihi admodum est, nè, quæ hac super re dixi, celeri lectione decursa, nullum in animo sui effectum relinquant; juvat in iis aliquantò diutiùs immorari: & majoris facilitatis, atque frugis gratiâ, utriusque ex prædictis consectariis praxim ad meditationem, certis capitibus comprehensam, redigere.

CAPUT X.

Praxis fructuosa, & cuique facilis conscendendi à rebus creatis ad Procreatoris notitiam, per primum ex duobus consectariis jam dictis.

NAtura, ceu observatum à Seneca est, (*De Otio Sap. c. 32.*) *Artis sibi, ac pulchritudinis suæ conscia*, nihil non molita est, quo contemplatores, admiratoresque illius nos haberet, *Ut sci-*

scias, illam spectari voluisse, non tantùm aspici; vide, quem locum nobis dederit: nec erexit tantummodo hominem, sed etiam, ut ab ortu sidera in occasum labentia prosequi posset, & vultum suum circumferre cum toto, sublime fecit illi caput, & collo flexibili imposuit. Atque utinam justissimis hisce illius studiis morem gerere homines vellent, disruptísque inanium curarum, à quibus angustum plùs nimio intrà limitem coërcentur, retinaculis, libero mentis volatu rerum universitatem percurrerent, contemplaturi in illius magnitudine, & specie, qui eam omnipotentiâ suâ condidit, providentiâ suâ regit, immensitate sua complet. Utinam, dico, nobilissimæ huic exercitationi mentem assuefacerent. Proh, quàm mira, & eximia eorum se obtutibus ibi offerrent spectacula? Quàm in illa spatiorum amplitudine eorum cor laxaretur? Quàm ad novæ illius magnificentiæ conspectum decresceret pretium, in quo nunc habent suos census, ac quæstus terrenos? Quanta indè in eorum animis proveniret sensuum generositas, affectuum tranquillitas, DEI æstimatio, humanarum rerum contemptio? Hæc certè occupatio est, in qua pari cum delectatione, atque fructu versari solent mentes liberæ, mentes patritiæ, mentes magnorum capaces, natæque ad sublimia, & cæ-

le-

leſtibus typis excuſæ. Cujuſmodi haud dubiè magni Antonii mens erat: qui, rogatus à Philoſopho, quanam poſſet ratione in eremo ſinè libris agere; Erras, mi homo, reſpondit, ſi librorum me inopem putas: & manum protendens, vidéſne, ſubjecit, hoc cælum, hunc ſolem, hanc planitiem, has arbores? Hic meus liber, imò hæc bibliothea eſt, ubi nunquam mihi deeſt, quid legam, quid diſcam, quid admirabilium, & divinarum notionum inveniam.

2. Age igitur, veniamus nos quoque, mi Lector, ad praxim tam præclari, tam jucundi, tam utilis ſtudii; útque initium fiat à primo dictorum generum; ſi huic vacare in animo habes, locum ante omnia tibi elige quàm maximè ſolitarium, & ab hominum ſtrepitu, ac turbis remotum. ubi nempe poſſis & rebus conſiderandis mentem attendere, & conceptos animo affectus verbis expromere liberiùs. Cures præterea, eſſe eundem, quantùm fieri poteſt, patuli quoquoverſum proſpectûs, & unde plurimum agri, atque cæli uſurpare oculis licet. Cùm enim tuæ meditationis materies rerum ſpectabilium univerſitas ſit, tantò minùs mens laborabit in illius contemplatione, quantò magìs præſentem, & ipſiſmet ſenſibus objectam habuerit. Illic, omni homi-

minum, & rerum humanarum cogitatione ablegata, ſupremum Conditorem tuum ora, ut ſuis in effectibus ſuam tibi magnitudinem, ſapientiam, & operandi virtutem dignetur cognoſcendam præbere. Mox in eum corporis ſitum compoſitus, qui tua è re magis ſit, oculóſque in multimodam divinorum operum, quæ undique occurrunt, varietatem defigens, conſiderandam primo loco mundanæ totius molis magnitudinem ſume. Hìc verò confeſtim infima illius pars, & nativa hominum ſedes, ingens terræ globus ſe offert, cum tot diverſiſſimis Regionibus, & vaſtiſſimis maribus, quæ ſuo ſinu complectitur, intrà circumfuſum undique aërem ſuſpenſus, nec alio fultus nixúſque, quàm nativæ gravitatis ſuæ fundamento. Sequitur elementum aëris, quod mediam terræ molem undecunque ambit, & è quavis centri illius parte in altitudinem milliariũ pluſquam ducentorum triginta octo millium conſurgit: ut proinde ad ſtruendum è terra in cælos aſcenſum, nedum tria terreni orbis fruſtula, cujuſmodi eſſe montes Pelion, Olympum, & Oſſam quilibet perſpicit; ſed neque viginti quinque ſolidi orbes terreni, alii ſuper alios congeſti ſufficerent. Subeunt poſt aërem ſepteni errantium ſiderum cæli, & ſuper hos firmamentum

è ſo-

è ſolida materia compactum, in quo ſtellas, quaſi aureos quoſdam clavos videmus defixas, móxque cælum cryſtallinum, ac denique empyreum, in quo definit, & cujus ambitu quidquid creatarum rerum eſt, continetur: orbes ſanè vaſtiſſimi, & immenſæ amplitudinis; ut, nè acervatis ſingulorum menſuris confuſionem tibi pariam, ſatìs putem, ad eam aliquatenus indicandam dixiſſe, minimam viſibilium ſtellarum quater eſſe, & ſexagies terreſtri globo majorem, unam verò quamque earum, quæ primæ magnitudinis appellantur, pluſquam quinquies mille, ac trecentis & quinquaginta vicibus ejuſdem moli anteſtare. Pronum quippe eſt cuilibet hinc colligere, quantam neceſſe ſit firmamenti totius vaſtitatem eſſe, in quo prædicta aſtra locum obtinere vix puncto majorem videntur. Hæc igitur illa rerum univerſitas eſt, cujus ſolam magnitudinem hìc tibi contemplandam objicio. Cures eam primò particulatim, ac deinde totam ſimul, quoad potes, concipere: tum verò altè imbutam, penitúſque confertam magnificis illius imaginibus mentem deorſum reflecte ad ſpectanda illa mauſolæa, illa amphitheatra, illas pyramides, & alias hujuſcemodi fabricas, de quibus, tanquam de ultimis ſuis conatibus uſque adeò gloriatur,

&

& jactabunda incedit potentia, ſive, ut loquar veriùs, imbecillitas humana. Poſtremò, ubi noſtratium id genus molitionum exilitatem deriſeris, & univerſitatis molem unam verè grandem & magnificam, admiratus pro ſuo merito fueris; revoca in memoriam eam, quanta quanta eſt, fuiſſe ab æterno ſuo artifice, ſinè ullis adminiſtris & inſtrumentis, imò etiam ſinè ulla præexiſtente materia, mero voluntatis ſuæ nutu productam. *Aſpice ad cælum & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt, & intellige, quia ex nihilo fecit illa* DEus. (*L. 2. Mach. c. 7.*) Concludens primum hoc meditationis tuæ caput congruis affectibus altiſſimæ, tum admirationis de tam ſingulari, & inaudita agendi virtute, tum reverentiæ erga ſupremum illum Effectorem, cujus opera tanto intervallo ultimos quoſque humanæ omnis non modò potentiæ, verum etiam intelligentiæ fines tranſiliunt. *Magna opera Domini, Confeßio, & magnificentia opus ejus. Dicite* DEO, *quàm terribilia ſunt opera tua Domine? Ipſe omnipotens ſuper omnia opera ſua, terribilis* Dominus, *& magnus vehementer, & mirabilis potentia ipſius.* (*Pſ. 65. & 110. & Eccli. c. 43.*)

3. Secundò conſidera hanc eandem mundi univerſitatem, ſecundùm perfectiſſimam & ſummè admirabilem ſingularum illius par-

tium inter se congruentiam: unde illa existit *ordinatißima pulchritudo, ab imis ad summa conscendens, nusquam interrupta, sed dißimilibus temperata*, à qua S. Augustinus (*In Ps.* 144.) suavissimo quodam concentu divinæ sapientiæ decora celebrari audiebat. Considera illam, dico, ex altero etiam hoc capite & palàm prospicies, quàm verè Theodoretus scripserit, (*L. 4. contra Græc.*) *Mundum consideranti miraculum miraculo superaddi.* Quid enim? an non miraculi genus est ordo ille tam artificiosus, tam visu decorus, támque usui aptus, quo cælestia & elementorum corpora dispositа, inter séque coagmentata cernuntur? An non miraculum dixeris rapidissimos, exactissimósque motus, quibus mundus superior assidue circa inferiorem convertitur, ad varias anni tempestates alternandas, lucémque, & cæteros salubres influxus nulli non ejus parti opportunè distribuendos? An non miraculi speciem refert invariabilis tenor, quo peculiaris quælibet causa pergit tot sæculis certos, naturæque suæ proprios effectus producere, nunquam à legibus devians in prima sua creatione sibi præscriptis? Num miraculo vacat, quòd assidui rerum singularum interitus perpetuati specierum nil obsunt, sed subita, & nunquam deficiente novorum partuum successio-

ne priorum detrimenta pensantur, idque unũ ex tot cladibus provenit mundo, ut quotidie ad primævam juventutem se instauret? An denique non miraculum, & quidem rarissimum meretur dici conjunctio discordiæ prorsus irreconciliabilis inter partes cum summa totius tranquillitate atque pace? Constante siquidem mundo ex naturis adeò inter sese non solùm diversis, verùm etiam contrariis, videmus has nihilominus tam mirabili providentia compositas, ut, dum unaquæque privatos instinctus suos sequitur, & cum aliis hostiliter pugnat, nullam tamen universitati perniciem afferat; sed ejusdem insuper conservationi, & pulchritudini serviat. Ah jure Athenagoras (*Or. pro Chr.*) *Musicum DEI organum* hanc rerum universitatem vocavit. Neque enim superioris dundaxat mundi corpora rite modulatis suis motibus eum *cæli concentum* efficiunt, de quo in Jobi historia (*c. 38.*) fit mentio; sed & cæteræ quævis rerum species, quasi totidem nervi ad musicas leges temperati, intentíque, multiformi suarum operationum varietate in harmoniam tam suavem conspirant; ut quisquis sincero integróque auditu animi est, incredibilem ex ea voluptatem percipiat. Aperi ergo mentis aures, si tu quoque frui hac musica expetis: &, posteaquam artificio-

ſiſſimos illius modulos attentè obſervaveris; collige hinc, quanta ſit illius mentis perfectio, quæ in mirabilem adeò ſymphoniam conciliare innumeram tot naturarum diverſitatem potuit: quæ eas omnes formavit, ac diſpoſuit *in menſura, & numero, & pondere*: (*Sap.* 11.) quæ unicuique proprios & peculiares inſtinctus diſpertiens, providit nihilominus, ut eundem in finem omnes congruerent: quæque omnibus continenter præſentiſſima aſſiſtit, in minutiſſimas quaſque ſingularum operationes arcana vi influit, omnes demum dirigit, movet, gubernat, non majori negotio, quàm ſi de una tantummodo cogitaret. O artem infinitam! ô capacitatem mentis immenſam! ô ſapientiam omni ulteriorem modo atque limite. *Date magnificentiam DEO noſtro. DEI perfecta ſunt opera. Non eſt ſimilis Tui in Diis, Domine, & non eſt ſecundùm opera tua. Magnus es tu, & faciens mirabilia. Quàm magnificata ſunt opera tua, Domine? Omnia in ſapientia feciſti.* (*Deut.* 32. *Pſ.* 85. *&* 103.)

4. Tertiò, poſt mundi univerſitatem ità generatim inſpectam, perge nonnullas ejus partes conſiderare, in quibus peculiari ratione ſupremi Effectoris ars eminet, cujuſmodi eæ ſunt, quas in orbe terrarum aſſiduè præ oculis habes. Quemadmodum enim linea cu-

cujuslibet circuli in illius centro omnes concurrunt; sic divinæ sapientiæ miracula in hoc orbis universi medio densiora, & magis conferta cernuntur. Sed quia omnes istiusmodi rerum species perlustrare nimii operis atque temporis foret; sat tibi esto pro hujusce, & capititis subsequentis materia, duas tantùm seligere, animalia nimirum, & plantas. Animalium itaque considerationem aggrediens, incredibilem primò eorum varietatem observa. Quot volucrum species, quot aquatilium, quot quadrupedum, quot humi reptantium? Quis omnium recensere nomina, aut comprehendere numerum valeat? Quàm insigne discrimen inter unum genus, atque alterum cernitur: inter quadrupedia nimirum, & aquatica, intérque volatilia, & humi repentia? Quantum illa etiam, quæ ejusdem sunt generis, à se invicem differunt, seu in rostro colore atque cantu, ùt volucria; seu in corio, & figura, ùt aquatilia; seu in pilis, in capite, in pedibus, in vocis sono, in moribus, atque studiis, ùt quadrupedia? Intuere præterea eorum venustatem, solertiam, aliásque proprietates, quibus unamquamque speciem communis author dotavit. Quàm formosum oculis præbent spectaculum versicolores pavonum plumæ? quàm numeroso concentu au-

ribus blandiuntur luſciniæ? quantum vividæ flammeæque agilitatis apparet in mugilum per undas diſcurſu? quantum majeſtatis & pompæ in gallorum inceſſu? quàm amabilis eſt catulorum feſtivitas? quàm ludicrum & ſcurrile ſimiarum ingenium? quàm excitata vulpium ſagacitas? Addantur commemoratis dotibus naturalis araneorum geometria in diſponendis, texendíſque ſuis filis; alcyonum in nidificando architectura, formicarum providentia in victu ad futuras opportunitates tempeſtivè parando, hirundinum, aliarúmque avium ſedulitas in mutandis per hyemem ſedibus, & tranſmarino mitioris cæli hoſpitio quærendo: néve, per ſingula diſcurrens, ſim longior, addantur induſtriæ artes, quibus omnia communiter animalia, utì ſolent, ſeu ad neceſſarium ſibi victum inveniendum, ſive ad ſuam, ſuorúmque fœtuum incolumitatem à vi hoſtium tuendam: nec non rerum ſibi noxiarum, atque utilium ſcientia, quam omnibus pariter à primo in lucem exortu infundit natura, quò & illa cavere, & his poſſint juvari. Animadverte poſtremò artificioſiſſimam, nec ulli admirabilem ſatìs eorum corporis fabricam: in qua credi vix poteſt, quanta ſit organorum, ad operationes qua ſenſibiles, qua vitales facientium varietas. Utque

que id luculentiùs pervideas, pone tibi ob oculos animalculum quodlibet ex minimis mole, atque pretio, muſcam exempli gratiâ, vel culicem. Quis arbitraretur in corpuſculo illo tam tenui locum ſuppetere, ubi conſtituatur os cum maxillis, & reliquis veſcendi inſtrumentis: ubi conſtituantur oculi, cum omnibus membranis, muſculis, atque humoribus, ad videndum neceſſariis: ubi conſtituantur aures, cum iis tympanis, nervis, atque anfractibus, quibus eget auditus? & tamen, ſuper hæc omnia, neceſſe adhuc eſt exiſtere inibi cerebrum, pro officina ſpirituum, ſinè quibus moveri animal nequit: exiſtere cor, ad productionem caloris vitalis: exiſtere pulmonem ad reciprocationem halitûs: exiſtere ſtomachum, ubi fiat alimenti concoctio: exiſtere alveos, & canales, per quos idem jam concoctum in reliqua derivetur membra: exiſtere conceptacula & vaſa, ubi, quod ſupervacaneum ex eo eſt, colligatur: & centum alias hujuſcemodi partes, tanto ſingulas artificio elaboratas, ſuiſque uſibus opportunas; ut, ſi oculus eas probè diſcerneret! mens ſatis admirari nequiret. Prodeat jam huc quivis Staſicrates, quivis Myrmecides, quivis Archimedes, aut alius ex ſolertioris ingenii, & celebrioris famæ opificibus; & ſecum diſquirat, nũ vel

uni taliam corporum architectando, efficiendóque, quamvìs totum vitæ ſuæ tempus inſumat, par ſit. Sed quid dico de illius univerſi effectione? cùm haud dubiè conceſſurus palam ſit, deeſſe ſibi ingenium, ad elaborandam vel muſcæ alam, vel volucris plumam, vel formicæ ocellum, vel pulicis cruſculum, vel cochleæ teſtam, aliumue hujuſcemodi partium, quas præ nimia multitudine, atque aſſiduo earum conſpectu nos nihili pendimus: ſed, qui introſpicere penitùs vellet, aut poſſet artificium, cum Plotino ibi deprehenderet incomparabiliter majus, quàm in conſummatiſſimis quibusque, & ſummo ſtudio perfectis opificum humanorum laboribus. (*En. 3. l. 2. c. 13.*) *Ars apparet ubique miranda, non in divinis ſolùm, ſed in iis etiam, quæ facilè quis ob exiguitatem ſperni à providentia judicaverit.* Quidnam igitur, his ità perpenſis, de illa tibi videtur fœcundiſſima, prodigioſiſſima, & verè divina mente, quæ tam innumeram nulli excogitabilium inventionum, nullíque perficiendorum operum diverſitatem concipere, atque exequi potuit? *Quis diſpoſuit iſta? Quis fecit iſta? expaveſcis in minimis? Lauda magnum. Qui fecit in cælo Angelum, ipſe fecit in terra vermiculum.* (*Aug. in Pſ.* 148.) Nihil certè ſupereſt, niſi ut infinitam adoremus Opifi-

ci

cis Illius ſapientiſſimi artem, nisì ut illi nedum comprehendendæ, verùm etiam admirandæ fateamur nos omnino impares: nisì demum ut attoniti, & profundiſſimo ſtupore perculſi, exclamemus cum Apoſtolo: O *altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ* DEI? *Quàm incomprehenſibilia ſunt* (vel in hiſce minimis) *judicia ejus, & inveſtigibiles viæ ejus?* (*Ad Rom. c.* 11.)

5. Quartò, conſidera plantarum naturam, quæ & ipſæ admirabilem æterni ſui Authoris ſapientiam, & virtutem ſub oculos ponunt: ſive communis earum formatio, & ſtructura, ſive innumerabilis ſpecierum varietas, ſive peculiaris, quantùm ad nonnullas partes, elegantia, & concinnitas ſpectetur. Ad communem omnium ſtructuram, quòd attinet, exemplum hujus capere ab aliqua proderit, ubi propter molis amplitudinem ſpectabilior ea appareat, obſervaríque ideo faciliùs poſſit, putà à quercu annoſa & ingenti. Quiſnam, rogo, in hanc oculos figens, poteſt ſinè peculiari delectatione intueri imanem eum truncum, qua terræ propior, craſſiórque eſt, cortice amictum, aſpero quidem, & rugis horrido, ſed vel propterea giganteæ illius vaſtitati magìs accomodo: tum, poſt juſtam altitudinem, in complures hac illac diſpertitos

arboreæ magnitudinis ramos, ſimplices alios, alios multifidos, alios in rectum productos, alios in obliquum retortos, omnes verò circa verticem conveſtitos virgis & frondibus, quæ viridē, umbrosámque ſilveſtri illi Briareo coronã intexunt: ordine ſanè fortuito, quíque ad primam ſpeciem temerarius, incompoſitus, & artis omnino expers videatur: ſed unde proportio, pulchritudo, & majeſtas in totum redundat, qualem ars noſtra neſciret ei dare, ſi illud concinnare ad normam ſuam vellet? Quiſnam rurſus, mentis acie illius interiora pervadens, poteſt non mirari multiformem radicum virtutem: quæ, præterquam quòd pedum inſtar totum arboris corpus ſuſtentant; oris item, & ſtomachi, atque hepatis miniſterio funguntur, ſugentes, concoquentes, & transmutantes materiam, unde illud nutriri, conſervationis & incrementi ergo opus habet? Quis non obſtupeſcat, ſi ſecum reputet, vitalem illum ſuccũ, à radicibus ità attractum digeſtúmque, dum per arborem univerſam, illius venulis, atque fibris exceptus, diffunditur, etiamſi ejuſdem ubique qualitatis, & generis ſit; alias tamen alibi ſpecies induere, atque hìc in corticem, ibi in lignum, hìc in folium, ibi in glandem mutari? Quis denique ſatìs percipere, & aſſequi animo queat, quonam

nam modo illæ radices, ille truncus, ii rami, illæ frondes, tota, uno verbo, immanis illa arbor, intrà minutiſſimum olim ſemen, quod nec centeſimam partem glandis ſuæ æquat, partibus inter ſeſe ad inviſibilem parvitatem compreſſis, latuerit: móxque ex illis ſe anguſtiis paulatim evolvens, hanc, quæ in ipſa nunc apparet, formam, diſtinctionem, & magnitudinem ſumpſerit? *Magna quædam res eſt*, attonitus hìc exclamet Auguſtinus, (*Tra 8. in Jo.*) *Horror eſt conſideranti.* Talis itaque eſt plantarum formatio, & talia, quæ in ipſis indè occurrunt miracula, à nobis quidem in una ex majoribus animadverſa, ſed nihilo ſeciùs vel cuilibet minimarum communia. Jam verò, ſi earum ſpecies intueri libeat; tanta ſeſe harum ſive in arboribus, ſive in virgultis, ſive in herbis diverſitas prodit, ut humanæ mentis captum, & ſupputationem excedat. Sat fuerit in paucis quibuſdam, quæ notiores vulgò ſunt, eam delibare, nec niſi circa folia, fructus, & flores. Quantum enim, quæſo, vel in ſolis frondibus differunt cupreſſus ab ulmo, quercus à platano, ceraſus ab olea, prunus à palma, ficus à meſpillo? Quàm diverſum ad exemplar conformati apparent cùm omnes communiter fructus, tum nominatim, quos pariunt pinus, caſtanea, malus punica, ma-

malus medica, vitis, pirus, amygdalus? dissimillimi unusquisque à ceteris, seu quantùm ad figuram, seu quantùm ad dispositionem, & numerum partium. Nè de sapore interim loquar, in nulla tot specierum non proprio. Quid plura? quantam seu visus, seu olfactus varietatem deprehendunt in floribus? Quos inter nullum est reperire, non suo odore fragrantem, non peculiari ratione figuratum & pictum. O summe rerum Conditor! quid hìc nobis admirandum magìs sit? Tuáne incomparabilis ars & sapientia, in tot inveniendis venustatum, odoramentorum, & saporum generibus? An æqualis benignitas in prospiciendo tam exuberanter nostrorum sensuum deliciis? Progrediendo denique ad exquisitissimam artificii elegantiam, & subtilitatem, quæ in certis plantarum quibusque partibus intuendam se exhibet; considera illam in malo Punico, considera in frumenti spica, considera in rosa, vel alterius cuiusvis generis flore, considera in promiscuo quovis sive herbæ, sive arboris folio: nec dubito, quin unumquodque istiusmodi objectorum satìs supérque futurum sit, prout D. Basilius recipit, ad mentem tuã omnem illius admiratione complendam, qui ea grana concinnè adeò dispositit, eum floseulum adeò venustè depinxit, gra-

graphicéque id folium delineavit. (*Hom. 5. in Hex.*) *Profectò unum fœnum, unáque herba mentem tuam, ad eas artis rationes perſpiciendas, ex qua prodiit, occupare univerſam poteſt* : Adigente, ut cum D. Auguſtino concludas, DEUM *ità eſſe artiſitem magnum in magnis, ut minor non ſit in parvis: quæ parva non ſua magnitudine, ſed artificis ſapientiâ metienda ſunt.* (*L. 11. de Civ. c. 21.*

6. Enimverò nimis multa ſunt dicta pro unius meditationis materia, licèt minimum, imò penè nihil ſit dictum pro argumenti amplitudine, quam non nisì ſtrictim obitérque nos attigimus, quantùm nempe ſat foret ad ſumma indicanda viarum capita, ad quæ tua conſideratio perducta, ulteriùs mox, atque ulteriùs per ſe progredi poſſet. Duo reſtant, de quibus, circa praxis hìc propoſitæ uſum, te commonitum velim. Primum, conſiderationis hujus capita non eſſe feſtinanter tranſcurrenda, ſed maturè ac per otium penſanda, quoad luculentam, & vividam divinæ ſapientiæ, potentiæque imaginem non modò in mente tua excitent, ſed penitùs etiam intiméque defigant. Quod haud facilè conſequereris, ſi vel iis perpendendis non nisì ſemel operam dares; vel ſingulis vicibus, intrà horam, vel ſemihoram meditationi aſſignatam, ea velles ſimul omnia

omnia complecti. Quocirca è re fuerit, tum pluries ad eorum consideratioem redire, tum singulis vicibus, uno alteróve contentum capite, reliqua in alterum diem perpendenda seponere, Alterum monitum est, considerationem divinorum operum, ut ad prædictum suum finem conducat, non debere esse, qualis Ethnicorum sapientum fuit, curiosam, materialem, profanam: sed qualis requirenti DEUM convenit, Christianam & piam. Cujus rei exemplo esse potest remedium à Christo Domino adhibitum, ut hominem ab exortu suo cæcum videndi facultate donaret, lutum nempe, quod ex humo, & saliva sua finxerat, super illius oculos illitum: (*Joa. c. 9.*) *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit super oculos ejus:* Perinde quasi hoc suo facto vellet nobis innuere ad consequendum, ut res sensibiles, quæ crassæ ceteroqui, ac terrenæ indolis sunt, supra considerationis nostræ oculos positæ, vim illuminandi nos habeant, efficiendíque, ut supremi Effectoris nostri magnitudinem, bonitatem, sapientiam, & virtutem intueri possimus, non sufficere, si eas contemplemur, Plinii alicujus, vel Lucretii ritu, quales duntaxat per se sunt, & in sola earum natura sistendo: sed diluendas necessariò esse salivâ, & unctione Verbi divini, hoc

hoc est meditandas ex supernaturali fine, cúmque pio voluntatis sensu, & sapore. Alioquin pergent esse, quod reipsa sunt, mera humus, nulliúsque ad finem quæsitum auxilii, imò impedimentum oculorum potiùs, quàm collyrium, aptioréque ad excæcandos, quî videndi facultate polleant, quàm ad impertiendam hanc cæcis. *Quid salivæ nomine*, inquit S. Gregorius (*L. 8. Mor. c. 18.*) *nisi sapor internæ contemplationis accipitur? Unde salivam luto miscuit, & cæci nati oculos reparavit. Quia superna gratia carnalem cogitationem nostram per admistionem suæ contemplationis irradiat, & ab originali cæcitate hominem ad intellectum reformat.* Quapropter neque expediet hæc, aut illa naturæ miracula minutè adeò indagare; ut eorum speculatio totam mentem tuam occupet, & ab ascensione in DEUM, ad quam invitare debuisset, retineat: quemadmodum à Plutarcho observatur, (*Quæst. Nat. qu. 23.*) Redolentia floribus loca impedimento esse venaticis canibus, nè quæsita ferarum cubilia odoris indicio deprehendant. Sed tantum solummodo in divinorum operum contemplatione te ponere studii par erit; quantum sit satis ad justam animo concipiendam admirationem, & reverentiam sapientissimi, potentissimíque eorum Authoris. Nam hic demum

est

est unicus finis, ad quem tua meditatio collimat, propriúsque ille fructus, quem tum in qualibet ejus parte, tum præcipuè juxta finem persequi debes: curans tunc maximè prædictos animi motus ciere, & expromere.

CAPUT XI.

Similis alia, conscendendi in DEUM praxis, per consectarium secundo loco propositum.

ALtera jam vocat nos praxis, consurgendi à rebus creatis in DEUM, per argumentationem suprà explicatam, qua evidenter conficitur, singulas quasque harum prærogativas in cõmuni illo omnium principio, & infinitis quidem partibus ampliores existere. Praxis nemini non sanctorum virorum maximè familiaris, sed à Seraphico inprimis Patriarcha Francisco usurpata, qui, teste D. Bonaventura, in quibuslibet rebus bonis, & pulchris archetypam summi earum Creatoris bonitatem, pulchritudinémque intueri solebat: & perfectiones perfectionibus superaddens, multò feliciùs, quàm fabulosi olim

Gigantes per impositos montibus montes, scalam sibi, ascensumque construebat ad cælos, imò ad illum, qui ipso sinet cælos supergreditur, tanquam summus apex cujusvis non terrenæ ac sensibilis tantùm, verùm etiam spiritualis naturæ. *Intuebatur in pulchris pulcherrimum, & per impressa rebus vestigia prosequebatur ubique dilectum: de omnibus sibi scalam faciens, per quam conscenderet ad apprehendendum eum: qui est totus desiderabilis.* (*In vita c. 9.*)

2. Porrò hæc mentis ascensio potest fieri vel obiter pro rerum varietate, quarum aliæ se nobis, atque aliæ continenter objiciunt; vel per otium & deditâ operâ, nobismet ipsis illius tempus, & materiam ultrò eligentibus. Et prior quidem illius praxis, quæ nullo non tempore iterari potest, accuratæ institutionis haud eget: cùm nihil ad eam requiratur aliud, nisi, ut, quoties certa quæpiam hujus vel illius creatæ rei perfectio occurrerit, quantò eadem in DEO major sit, recorderis. Si verò alteram professo animi studio & diuturniori, putà horæ unius, tempore exequi juvat; meditatione hìc adscripta uti poteris. quæ, quantò sæpius, attentiúsque peracta à te fuerit, tantò & splendidiorem DEI notitiâ menti tuæ imprimet, & faciliorem tibi reddet brevium illarum, ac frequentium recordationum usum;

quæ priorem praxim constituunt. Quatuor igitur præstantissimas dotes, quæque præcipuo in honore haberi ab hominibus solent, meditandas tibi offero, magnitudinem, potentiam, dominatum, scientiam. Eas verò ità considerari à te expediet, ut primò unamquamque tibi repræsentes, qualis & quanta ulli unquam rerum creatarum obtigerit, vel possit obtingere: tum, ubi creatum illud ens, pro tam eximiæ perfectionis suæ merito demiratus fueris, colligas apud temet ipsum, quantò plus admirationis mereatur summum DEI esse, in quo illa eadem prærogativa, incomparabiliter ampliori modo, quia determinato quovis modo major reperitur: quámque idcirco vel perfectissimum quodvis inter entia creata, si cum eo comparetur, ad nihili speciem decrescat.

3. Incipiendo igitur à magnitudine, quæ, ubi extraordinaria est, comunémque prætergreditur modum; admirationi, & prope terrori esse nobis, utpote minutis ac pusillis entibus solet, ceu quisque experitur in immani quopiam navigio, vel latissimo amne spectando. ducto hinc, ùt ajebam, exordio, contemplare animo corpus, inter omnia, quæ DEUS procreaverit, maximum: cujusmodi nemo esse inficiabitur ultimum cælum, utpote quod

quod reliquas magnitudines universas intrà suum orbem concludit. Sed quia luscæ, & angustæ tuæ mentis non est, tantam illam vastitatem uno totam obtutu emetiri; considerandas priùs sume nonnullas res alias, communi quidem judicio maximas, sed quæ ipsi comparatæ vix nihilo videntur majores. Primò itaque propone ante mentis tuæ oculos amplissimam inter urbes à mortalibus conditas, qualis facilè credi potest fuisse vetus Ninive, *Civitas itinere trium dierum*: (*Jonæ c.* 3.) & vastissimum inter Imperia per terrarum orbem porrecta, quale fuit, Appiani judicio, Romanum (*L.* 1. *de Reb. Lyb.*) animadvertens deinde, quàm & illa urbs, quæ adeò tibi spatiosa initio videbatur, pusilla præ imperio hoc appareat; & hoc pariter, cujus antea laxitatem mirabaris, magnæ rei decus, nomén-que amittat, si cum tantò majore terreni totius orbis ambitu conferatur. His animo exactis, perge ulteriùs sic tecum disserere: Et tamen hic idem globus terrestris, cujus tam exigua pars sunt, præque cujus exporrectione nihil magni præferunt, quæcunque majorem in eo magnitudinis formam obtinuere ædificia, & imperia; cum supremi cæli orbe compositus, adeò ipse quoque evanescit, ut non nisi exile punctum mereatur vocari: cùm ex

diligenti Aſtronomorum ſupputatione, vel unicâ firmamenti ſtellâ ultra quinquies millies ſit minor. Quantam ergo dicendum eſt vaſtitatem eſſe illius corporis, cujus ex adverſo, nedum quidquid in terris magnitudine excellit, ſed & ipſe orbis terrarum, humanæ omnis magnificentiæ theatrum, in tantam exilitatem contrahitur? Mox, ubi demoratus aliquantiſper fueris, in admirabili, ac penè immenſa illius laxitate æſtimanda; conclude, atqui hoc etiam tam immane corpus, quod ſolum inter res creatas verè dici magnum poteſt, utpote reliquis omnibus majus, nihil aliud demum eſt, quam exiguiſſimum quoddam centrum eſſentiæ, ac immenſitatis divinæ, quæ non modò illud totum permeat, & complet, verùm etiam, extra ultimas illius convexitatis oras circumquaque in infinitum ſe extendens, illud in ſui medio relinquit, quaſi punctum longè minus, quàm in medio ipſius terræ ſit infimum centrum. Denique poſt hujuſmodi comparationes, quam intelligendo percipere haud vales, divinæ immenſitatem eſſentiæ, in illius te admirationem totum immerge: ſupremúmque cælum cum omnibus, quæ circumplectitur, inter te, atque ipſam conſtituens, totum hunc creatæ magnitudinis cumulum in quoddam ipſi offer ſpiritua-

tuale holocauſtum: ità nempe, ut, quam de illo formatam ante in animo præclaram æſtimationem habebas, coram ipſa nunc abſumas, atque in nihilum redigas: profitendo, ipſam unam propriè, quia infinitè, eſſe magnam, mereríque idcirco, ut ipſi compoſitum, non modò pro re exigua, ſed & pro nihilo habeatur, quidquid alibi uſpiam nos pygmæum genus, *majorum ignorantiâ, & quia parvi, magnum credimus*, ceu ſcriptum ſapienter à Seneca eſt. (*Præf. L. 3. qu. Nat. & Ep. 59.*) Quod ſpiritualis holocauſti genus tribus etiam, quæ ſubſequuntur, hujus cõmentationis capitibus clauſulæ & coronidis loco addi à te velim: ut tantò plus frugis eorum tibi conſideratio pariat; quantò magis conjunctum cum ſupremi rerum Authoris æſtimatione creati cujuſque, vel præcellentiſſimi entis contemptum habuerit.

4. Secundò, perge eandem comparationem inſtituere circa potentiam, nempe virium robur, & operandi virtutem: revocans in memoriam, quem hac dote apprimè conſpicuum fuiſſe inter homines noveris: fortiſſimum illum ſcilicet, miniméque fabuloſum Palæſtinæ Herculem, Samſonem, qui invicta manu leones diſcerpere, jumenti maxillâ hoſtium copias profligare, craſſos funes in-

instar fili disrumpere, & validis suffulta columnis ædificia prosternere humi potuerit. Roboris certè exempla hæc sunt, nimiùm quàm singularia, quæque si temporibus nostris ediâ quopiam contingeret; næ is in admiratione, famáque omnium esset, tanquam novum & insolens fortitudinis humanâ majoris prodigium. Age jam, comminiscamur animo, hujusmodi hominem in terris existere, imò tantò adhuc valentiorem veteri Samsone esse; ut, uno pede humum feriens, horrendos circumquaque terræ motus suscitet: dexteræ impulsu Appeninos, & Caucasos suis è sedibus emoliatur, ínque caput præcipites volvat: nec majori, quàm unius efflationis conatu indigeat, ad omnes illico disjiciendas, sternendásque immortales Persarum acies, Romæ legiones, Macedoniæ phalanges. Proh DEUM immortalem! quis dignè explicet, quantum ille æstimationis, honorisque ab humano genere universo referret, quàm glorioſum & celebre per remotissimas quasque orbis plagas illius nomen volitaret, quóque eum terrore præsentes aspicerent, exteri illius famam audirent? Et tamen tota hæc incredibilis virium præstantia, & quæcunque adhuc portentosior cogitatione effingatur, si cum divina vi in comparationem ve-

veniat; quidnam, rogo, videri aliud poteſt, quàm pueri, aut ægroti imbecillitas? Præterquam enim quòd non ad omnia indiſcriminatim patranda ſe extenderet, ſed certorum effectuum circumſcriberetur limitibus; neque propria habentis dos eſſet, ſed aliunde, à DEO ſcilicet, ei commodata, ſuíque propterea Largitoris & Domini arbitrio, ſive utendam illam diutiùs permittere, ſive auferre protinus vellet, continenter ſubjecta. Unde pronum tibi erit colligere, quàm parvi faciendæ ſint etiam exuperantiſſimæ hominum vires, præ DEI virtute & potentia, quæ ſola nullis agendi finibus clauditur, ſola ſecundùm nullam ſui partem ab alienis nutibus pendet, & ſola meretur ab omnibus ſuſpici, obſervari, timeri. *Quis ſimilis tui in fortibus, Domine: terribilis, atque laudabilis? Magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, O Rex Gentium? Fortiſſime, magne, & potens, DEUS exercituum nomen tibi. In manu tua eſt fortitudo, & potentia, nec quiſquam tibi poteſt reſiſtere.* (*Exod. 15. Jer. 10. & 32. Paral. 2. c. 20.*)

5. Tertiò, ad ſplendidiorem aliquam divini dominatûs, imperiíque ſpeciem menti imprimendam, ſume tibi ex iis quempiam, qui latiùs in terris regnaverit, putà Alexan-

drum Macedonem, vel Augustum Cæsarem: reputans tecum, quanta in veneratione apud gentes sibi subjectas suæ illius potestatis ergo essent: tanquam humanæ conditionis modum supergressi, & quidam Joves terreni. Atqui eorum imperium, præterquam quòd mortale, & brevi temporis spatio finitum, non nisi certam aliquam terreni orbis partem complectebatur: imò neque super hanc ipsam, degentésque in ea populos plenum jus obtinebant, sed ad paucos solummodo usus contractum: ut proinde non nisi tenuis quædam imperii umbra existimari possit, præ cæleſtis Regnatoris imperio: quod, utpote sempiternum, super omnes non præsentis modò, sed cujuslibet, quà transacti, quà venturi, ævi mortales porrigitur. neque illos secundùm sola copora, & quamdiu in terris vivunt, verùm secundùm ipsas quoque animas, & postquam fato concesserint, pleniſſimè sibi habet subjectos. Imò huic tam omnimodæ super homines potestati nihilo minorem dominatum adjungit super novenos beatarum mentium choros, super cæleſtes orbes, super elementa, & quidquid in mundo ex his constat, uno verbo super universas res conditas; quæ, nullâ prorsus exceptâ, maximi illius Imperatoris arbitrio necessariò, ac penitùs subja-

jacent. *Quoniam omnia serviunt tibi.* (*Ps.* 118.) Hoc, hoc profectò est dominium verè excelsum, verè augustum, verè admirandum. Hic Dominator, supra cæteros omnes coli dignus, & cui soli magnificum Domini nomen, secundùm germanam, ac pleniſſimam significationem suam, convenit. Ità prorsus, O maximè universitatis Regnator! *Tu solus Dominus, Tu solus Altissimus. Regnum tuum Regnum omnium sæculorum, & dominatio tua in omni generatione, & generatione. Tu Dominus super omnes Principes. In manu tua magnitudo, & imperium omnium.* (*Ps.* 144. *Paral.* L. 1. c. 19.)

6. Quartò, reliquum est, ut ab ea, quæ in mentibus creatis occurrit, scientia, ad divinam æstimandam, consurgas. Age igitur, & nonnullos eorum recogita, qui egregia præ cæteris ingenii, doctrinæque suæ monumenta posteritati reliquêre, Aristotelem exempli gratiâ, Thomam Aquinatem, Albertum Magnum, Franciscum Suarium. Præclarissima procul dubio isthæc sunt humanæ sapientiæ lumina, & propter ampliſſimam rerum perceptarum varietatem, atque copiam, singulari admiratione digna. Certissimè tamen constat; neminem ex iis unum, quantacunque sciendi laude emineat, potuisse, quidquid est veri, intelligendo comprehendere. Relictis iis

igitur, ad celebrem aliquam bibliothecam te verte, ubi congestum reperiatur, quidquid de singulis liberalibus disciplinis, Theologia, Physica, Dialectica, Mathesi, Arithmetica, Geometria, Astronomia, Medicina, & quacunque alia, præstantissimi earum Doctores mandaverunt literis: ad illud, inquam, encyclopediæ totius quasi ærarium te verte, &, quidquid scientiæ tot iis voluminibus continetur, finge à DEO, indè expressum, intrà certi unius hominis mentem infundi. Quale, rogo, eruditionis prodigium illius tibi hominis mens videtur futura? Putabis fortasse, nullam scientiæ totius partem desideratum iri. Fallereris tamen, si ità sentires. Quàm plurimæ siquidem cùm in Philosophia & Theologia, tum in quibuslibet aliis doctrinis veritates latent, quas nemo hactenus mortalium assequi discendo potuit, quarúmque id circo neque in universis bibliothecæ illius voluminibus, neque in mente illa, eorum breviario, & nova quodammodo bibliotheca extaret cognitio. Perge itaque ulteriùs, &, quando omnigenam, perfectámque scientiam frustrà quæsivisti inter homines; vide, numquid eam reperire apud Angelos liceat. Sed enimverò irriti laboris fuerit, vel ibi eam investigare. Quantumvis enim purissimæ, perspi-

ſpicaciſſimæque illæ mentes exactiſſimam naturalium quarumlibet veritatum, circa objecta creata exiſtentia, cognitionem poſſideant; quid tamen hic omnis plurimarum quidem, ſed finitarum notitiarum cumulus videri poteſt, ad infinitam tot reliquarum notitiarum multitudinem, circa ea omnia, quæ vel à DEO fieri poſſunt, vel liberè à mortalibus fient, vel aliis atque aliis conditionibus poſitis fierent, cui multitudini conprehendendæ nulla mens creata par eſt? Quidnam ergo faciendum tibi jam ſupereſt? nempe hoc, ut denique fatearis, præſtantiſſimam quamlibet ſive hominum, ſive Angelorum ſapientiam tantò habere plus inſcitiæ, quàm ſcientiæ; quantò infinitæ illæ notitiæ, quibus caret, plures numero ſunt certis illis, & finitis, quos continet: ac propterea, licèt maximum intercedat diſcrimen inter ſupremi Angeli, & rudis bubulci ſcientiam; ſi utraque tamen ex adverſo divinæ ſcientiæ ponatur, uſque adeò ab infinita hujus exuperantia finitum illud diſcrimen, quo Angelus bubulco antecellit, obſcurari, & confundi, ut vix hunc ab illo ibi liceat dignoſcere: quíque ambos ità coram DEO ſpectat, Angeli ſcientiam præ illa bubulci admirari nequeat, ſed omnem ſuam admirationem cogatur transferre in DEUM unum,

num, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi* : (*Ad Colos. c. 2.*) quémque ideo Anna illa Samuelis mater jure optimo *scientiarum Dominum* appellârit. (1. *Reg. c. 2.*)

7. Talis ergo materia est, atque forma, qua in meditando uti potest, cui cordi est ad DEI æstimationem, amorémque per creata objecta se attollere : singulas scilicet horum perfectiones cum divinis ejusdem generis, sed immensum excellentioribus, comparando, & justas indè causas sumendo, unum illum infinito invervallo ante hæc omnia ponendi. Quam animi conscensionem toties, támque enixè D. Augustinus inculcat, ceu specialiter videre licet in hisce ejus verbis super Psalmũ 145. *Undique pulchritudo operis tibi commendat artificem. Miraris fabricam? ama fabricatorem. Non ità occuperis in eo, quod factum est, ut recedas ab eo, qui fecit.* Atque hic profectò modus est maximè omnium nobilis, fructuosus, & proprius creatis rebus utendi : non ampliùs nimirum occupare in iis mentem, quàm satìs sit ad DEI notitiam pro animi pabulo indè hauriendam : apum exemplo, quæ floribus insidentes, non eos carpunt, & devorant totos, sed, tenuiori eorum succo in mellis materiam excerpto, quod supereſt, tanquam suo fini supervacuum relinquunt. Hoc

est

est habere, secundùm citati modò Augustini phrasim, *Oculos Christianos*: (*In Ps.* 56.) id est oculos, qui haud quaquam vulgi ritu in extima objectorum facie hæreant, neque, ùt sapientum Ethnicorum mos est, contenti sint, solam rerum naturam deprehendere: sed altiùs eas atque interiùs ex Christianæ philosophiæ instituto pervadentes, curent in omnibus, quæ passim vident, tanquam in diversis totidem imaginibus, unicum, & invisibile eorum exemplar agnoscere. Hoc denique est ingens mundi volumen lectitare, non secundùm literam, quæ, teste D. Paulo, in se hærentes *occidit*, (2. *ad Cor. c.* 3.) sed secundùm interiorem ac spiritualem sensum, qui se investigantes *vivificat*. Creata namque objecta, si, veluti mera DEI simulacra, spectentur, ad nostros animos in illius admirationem, amorémque rapiendos plurimùm valent: è contrario, si non nisi eorum corticem intueamur, fascinare suo amore nos solent, eóque perducere, ut ipsis inhiantes eorum deseramus authorem. Quæ perversitas nimiùm quàm frequens, & ubique obvia, idololatriæ quoddam genus videtur illi non absimile, quod in Ethnicis mirabatur Lactantius, mortuæ statuæ cultoribus, vivúmque interim ejus opificem pro nihilo habentibus. *Quid*

in-

inter se tam contrarium, quàm statuarium despicere, statuam adorare? (*L. 2. c. 2.*)

8. Quocirca curandum nobis sedulò est, ut eas frequentemus vocitatas à Plutarcho, (*In Erot.*) *Pulchras, sacrásque recordationes, quibus, quasi alis, animus sublevatur*: Neque mundum hunc sensibilem, artificiosissimum sanè opus, & ubi, multò veriùs, quàm in Timantis tabulis, *plus intelligitur semper, quàm pingitur*, (*Plin. L. 35. c. 10.*) ità contemplemur, ut pueri, & idiotæ contemplari Obeliscum solent, hieroglyphicis notis undique impressum, nihil ibi amplùs intellectu perspicientes, quàm quod cernit obtutus: sed quemadmodum literati, & intelligentiores viri aliud in marmore illo oculis vident, aliud mente percipiunt; ità nos pariter in externa illa, quam res creatæ intuendam nobis præbent, sui specie, id etiam pervidere noverimus, quod eodem tempore de arcanis Conditoris sui perfectionibus mysticè innuunt: consequentes hoc pacto nobilissimum finem, cujus gratiâ in hoc ingens operum suorum theatrum introductos à DEO nos fuisse, Epictetus affirmat: nimirum non ideo, ut contenti essemus solam eorum superficiem contemplari, sed ut penitiores etiam eorundem significatus solerti interpretatione erueremus. (*Arrian. L. 1. c. 6.*)

In-

Introduxit hominem in mundum, ùt inſpectorem ſuorum operum, nec cognitorem ſolùm, verùm etiam interpretem. Cujus rei perilluſtre nobis exemplum Regius Vates reliquit, vix unquam creatæ alicujus rei ſolitus mentionem facere; quin extemplo ad DEUM indè conſurgat. Audi eum in Pſalmo nonageſimo primo: *Delectâſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.* Quàm apta & ſignificans loquendi ratio? ſubdit hìc Hugo Cardinalis, & poſt eum Laurentius Juſtinianus: (*Faſc. Am. c. 18.*) *Non dixit, factura tua delectavit me, ſed delectâſti me Domine in factura tua. Facturæ enim delectant malos: DEus autem delectat bonos in facturis ſuis.* Et revera, vix hæc prolocutus, gradum ab operibus facit ad ſapientiſſimi Effectoris præconia. *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine? Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ. Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc.* Nec ſecùs in Pſalmo octavo, ſidera, cæleſtéſque orbes conſiderans, priùs etiam, quàm de iis fari aggrediatur, attoniti in morem exclamat: *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra? Quoniam elevata eſt magnificentia tua ſuper cælos.* Et alibi, terrificam majeſtatem, fremitúſque, & impetus maris admirans, cùm dixiſſet: (*Pſ. 98.*) *Mirabi-*

les

les elationes maris; subjecit protinus, *Mirabilis in altis Dominus.* Denique (nè singula loca afferendo, justæ brevitatis modum egrediar) in Psalmo centesimo tertio, post longam enumerationem rerum sive in cælo, sive in terris à DEO productarum, solenne suum epiphonema iis subscribit: *Quàm magnificata sunt opera tua Domine? Omnia in sapientia fecisti.* Idem observare in Ecclesiastico etiam fas est: qui capite 43. postquam arcum cælestem intuendum nobis proposuit; ad artificem illius celebrandum extemplo nos vocat: *Vide arcum*, inquiens, *& benedic eum, qui fecit illum:* pergénsque de aliis itidem naturæ miraculis loqui; eorum commemorationem sic claudit. *Multa dicemus, & deficiemus in verbis. Consummatio autem sermonum ipse est in omnibus. Gloriantes ad quid valebimus? Ipse enim omnipotens super omnia opera sua. Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantùm potestis. Major enim est omni laude. Exaltantes eum, replemini virtute: non enim comprehendetis. Multa abscondita sunt majora his. Pauca enim vidimus operum ejus.*

CAPUT XII.

De Consideratione DEI in se ipso, inque excelsissimis naturæ suæ dotibus, ad fidei & rationis lumen spectatis, quæ materia & in penitiorem divini objecti notitiam se considerantes inducit; & à nobis deinceps in tota hac nostri operis parte tractabitur. Quam in ea explicanda secuturi viam simus, quémque modum ab unoquoque in ea consideranda oporteat servari.

Ed, quantumvis res creatæ supremi Authoris sui decora contestentur, ac prædicent; nimis tamen parum de illo ex earum relatione percipimus. Sunt illæ procul dubio quædam illius umbræ, & vestigia: sed quæ potiùs demonstrent, eum esse; quàm designent, quantus, & cujusmodi sit. Quamvis enim ex alicujus umbra, & vestigio totam arguere illius magnitudinem liceat, ceu Pythagoras (*Gel. L. 1. c. 1.*) ex Herculis vestigio propriam ejus staturam, & Thales Milesius (*Plin. L. 36. c. 12.*) ex umbra Pyramidis collegisse illius altitudinem traditur; hæc tamen metiendi ratio in solis corporibus valet: quæ, velu-

ti determinatæ alicujus magnitudinis sunt, sic cum sua umbra, suisque vestigiis certa quapiam proportione conveniunt. In DEO certè locum non habet, cujus magnitudo infinita, cùm nullis circumscribi terminis queat, nullam quoque umbram effundere, nec ulla imprimere potest vestigia, quæ ipsi vera propriáque dimensione respondeant. Quin imò de ipsismet corporibus loquendo, si ex umbra, & vestigiis, quàm magna illa sint, æstimare possumus; nullo tamen pacto indè possumus eorum quoque formam, colorem, agilitatem, valetudinem, & robur deprehendere. Postremò neque aliter conditæ res Conditorem suum manifestant, quàm oculis exhibendo, quid ab eo perfectionis acceperint; neque hæc earum perfectio, utpote finita, & sensibilis, repræsentare, nisi obscurissimè potest infinitam, & spiritualem divini esse perfectionem: pulcherrimi quidem, sed absque ulla partium congruentia, & colorum temperie: maximi, sed sinè quantitatis extensione: sapientissimi, sed sinè qualitate ab ipso distincta: summi denique in omni perfectionis genere, sed sinè ulla compositione, & mensura, quæ in creatis quibusque illius imaginibus cernitur.

2. Quo-

2, Quocirca operæ pretium fuerit, si præter hunc, de quo huc usque egimus, considerandi DEI modum, altero item utamur, de quo agendum jam supereſt: nempe, ut rebus creatis in imò terrarum, & naturæ suæ sedis humilitate derelictis, ascendamus cum Moyse, ad verticem Sinai, acturi seorsum cum DEO, eúmque penitùs in se ipso, & suamet essentia contemplaturi: non quia vel sic possit absoluta illius cognitio obtineri, sed quia obtineri saltèm solet sublimior, luculentior, & plenior. Ità D. Augustinus, cùm, veluti suprà retulimus, præcipuas mundi partes de DEO interrogâsset, audîssétque, quod unum renuntiari sibi ab iis poterat, *Ipse fecit nos*; subdit, opus sibi fuisse, ad discendum de eo aliquid amplius, ut, mente super omnia sensibilia, & creata consurgens, in editiore illum loco, sua nimirum in essentia requireret. (*L. 10. Conf. c. 26.*) *Ubi ergo inveni te, ut discerem te, nisi in te supra me?* Nec aliter sacræ Sulamitidi accidit, quæ ipsa etiam refert, flagrantissimo sese sui dilecti desiderio succensam institisse hac, illac eum quærere: (*Cant. 3.*) *Circuibo civitatem: per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea*: sed tamen nusquam sibi contigisse, ut eum inveniret: *Quæsivi eum: & non inveni*: quin etiam, cùm percontata de

eo esset civitatis custodes, *Num, quem diligit anima mea, vidistis?* neque ab his potuisse certi quidpiam rescire: donec, aliquantò ulteriùs progressa, in quæsitum suum bonum denique incidit: *Paululùm cùm pertransissem eos, inveni, quem diligit anima mea.* Ubi videtur nobis innuere, tunc DEUM reperiri secundùm perfectionem intelligentiæ, qua reperiri à mortalibus potest, cùm animus non subsistit in rebus creatis, per quarum vestigia eum initio quærebat; sed his omnibus à tergo relictis totam in eo uno mentis aciem defigit.

3. His ergo præmissis, quemadmodum ea jam proposui, & explicavi capita, quæ volenti DEUM in operibus suis considerare, idoneam præbere materiam poterant; sic pro materia, circa quam sese exerceat, quisquis eum amat considerare in se ipso, pergam porrò afferre, & exponere nonnullas ex admirabilibus illius prærogativis, quæ aptiores videntur, ad altissimam æstimationem, flagrantissimúmque amorem illius excitandum in cujuslibet animo, qui eas probè intellexerit: cujusmodi sunt, ipsum esse: increatum, necessarium, æternum, infinitum, simplicissimum, incomprehensibilem, immutabilem, immensum, sapientissimum, omnipotentem, universitatis totius Dominum, summè bonum,

in-

incomparabiliter pulchrum. Non me equidem fallit, quàm ſuper humanam omnem facundiam argumentum hoc ſit, quámque jure Arnobius pronuntiaverit, tunc ſolummodo poſſe aliquatenus cognitum credi, cùm impoſſibile explicatu cognoſcitur. (L. 3 *contra Gent.*) *Unus eſt hominis intellectus de DEI natura certiſſimus, ſi ſcias, & ſentias, nihil de illo poſſe mortali oratione depromi.* Nam, cùm nihil aliud ſint voces, quàm interiorum notitiarum imagines; quomodo exprimere ſatis ſciet lingua, quod mens dignè neſcit concipere? aut quomodo de ente ineffabili dici aliquid poterit, cùm ùt probè notat D. Gregorius, vel ideo, quia dici de illo potuit, debeat illo indignum cenſeri? (L. 10. *Mor. c.* 23.) *Penè omne, quod de DEO dicitur, eo ipſo jam indignum eſt, quod potuit dici. Cujus enim laudi non ſufficit obſtupeſcens conſcientia; quomodo ſufficiet loquens lingua?* En ii ipſi, qui circa res divinas DEO magiſtro uſi ſunt, ubi tamen loquendum eſt de myſteriis ab eo auditis; hærent conſilii inopes, retrò pavidi recedunt, & certatim ſe excuſant: Alius, appellando veritates hujus generis *arcana verba, quæ non licet homini loqui*, ceu Doctor Gentium Paulus; (2. *ad Cor.* 12.) Alius, exclamando, ad rerum tam eximiarum promulgationem quovis infante elinguiorem

se esse, ceu Jeremias: (*c.* 1.) *Ah, ah, ah, Domine DEUS, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Alius, profitendo, ex DEI auditu, quantum suæ menti lucis accreverit; tantum ori de expedita loquendi facultate detractum fuisse, ceu Moyses: (*Exod.* 4.) *Ex quo locutus es ad servum tuum; impeditioris & tardioris linguæ sum.* Sed quid istos nomino, qui demum non ultrà quàm homines erant, nec alia in loquendo, quàm mortali & carneâ linguâ utebantur? Cùm vel cælestium spirituum facundia in hoc argumento verborum tam inops, & muto similis sit; ut, locò earum vocum, *Te decet hymnus DEUS in Sion,* quas in Psalmo sexagesimo quarto nos legimus; vertat D. Hieronymus ex Hebræo, *Tibi silentium laus, DEUS in Sion:* & significantiùs, atque expressiùs Paraphrastes Chaldæus, *Coram te reputatur, sicut silentium, laus Angelorum.* Et ubi primarii tam veteris, quàm novæ Legis Doctores timent proloqui, imò ubi tota ipsorummet Angelorum eloquentia instar silentii est, homunculus quispiam, qualem D. Augustinus describit, (*Tr. 36. in Joa.*) *Humi repens, infirmus, & vix ullius momenti inter homines,* audeat in medium prodire, & eorum partes suscipere, *putans se posse aut capere, dum cogitat; aut capi, dum dicit:* nullóque retardatus timore, nè, veluti Eu-

nu-

nucho illi Isaiæ lectori dictum est à Philippo, (*Act. 8.*) *Putásne intelligis, quæ legis?* Sic & ipse à Lectorum suorum quopiam interrogetur, *Putásne intelligis, quæ scribis?* Non, inquam, me fugit, quantum prædictæ rationes roboris habeant ad efficiendum, ut vel à proposito vires meas excedente desistam, vel in eo nihilominus perstans, temeritatis arrogantiæque notam apud æquos rerum judices subeam. Adde, quod vereri meritò possum, nè mea hæc tractatio, tanquam plus nimio à materiæ suæ præstantia deficiens, eam in Lectorum animis indignationem moveat, qua D. Anselmus metuebat, nè afficerentur legentes suum opus, *Cur DEUS homo?* (*Ib. L. 1. c. 2.*) nè scilicet, velut ipse offendi solebat, videns, ab inepto quopiam pictore minùs decorè expressam Christi Domini effigiem; ità & ipsi stomacharentur, deformatam à suo nimis impari stylo cernentes argumenti tam nobilis speciem. Quin imò timendum etiam videtur, nè DEUS ipse offendatur, & injuriæ potiùs, quàm obsequii locò habeat, de perfectionibus suis ab eo scribi, qui infinitam earum dignitatem nequeat, nisi obscurare, & deprimere. Præsertim quòd præter meam ingenii, doctrinæque egestatem, novam illi, & validiorem offensionis causam suggerit vitæ meæ turpitu-

ſe eſſe, ceu Jeremias: (*c.* 1.) *Ah, ah, ah, Domine DEUS, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Alius, profitendo, ex DEI auditu, quantum ſuæ menti lucis accreverit; tantum ori de expedita loquendi facultate detractum fuiſſe, ceu Moyſes: (*Exod.* 4.) *Ex quo locutus es ad ſervum tuum; impeditioris & tardioris linguæ ſum.* Sed quid iſtos nomino, qui demum non ultrà quàm homines erant, nec alia in loquendo, quàm mortali & carneâ linguâ utebantur? Cùm vel cæleſtium ſpirituum facundia in hoc argumento verborum tam inops, & muto ſimilis ſit; ut, locò earum vocum, *Te decet hymnus DEUS in Sion*, quas in Pſalmo ſexageſimo quarto nos legimus; vertat D. Hieronymus ex Hebræo, *Tibi ſilentium laus, DEUS in Sion:* & ſignificantiùs, atque expreſſiùs Paraphraſtes Chaldæus, *Coram te reputatur, ſicut ſilentium, laus Angelorum.* Et ubi primarii tam veteris, quàm novæ Legis Doctores timent proloqui, imò ubi tota ipſorummet Angelorum eloquentia inſtar ſilentii eſt, homunculus quiſpiam, qualem D. Auguſtinus deſcribit, (Tr. 36. *in Joa.*) *Humi repens, infirmus, & vix ullius momenti inter homines*, audeat in medium prodire, & eorum partes ſuſcipere, *putans ſe poſſe aut capere, dum cogitat; aut capi, dum dicit.* nullóque retardatus timore, nè, veluti Eu-

nu-

nucho illi Isaiæ lectori dictum est à Philippo, (*Act. 8.*) *Putásne intelligis, quæ legis?* Sic & ipse à Lectorum suorum quopiam interrogetur, *Putásne intelligis, quæ scribis?* Non, inquam, me fugit, quantum prædictæ rationes roboris habeant ad efficiendum, ut vel à proposito vires meas excedente desistam, vel in eo nihilominus perstans, temeritatis arrogantiæque notam apud æquos rerum judices subeam. Adde, quod vereri meritò possum, nè mea hæc tractatio, tanquam plus nimio à materiæ suæ præstantia deficiens, eam in Lectorum animis indignationem moveat, qua D. Anselmus metuebat, nè afficerentur legentes suum opus, *Cur DEUS homo?* (*Ib. L. 1. c. 2.*) nè scilicet, velut ipse offendi solebat, videns, ab inepto quopiam pictore minùs decorè expressam Christi Domini effigiem; ità & ipsi stomacharentur, deformatam à suo nimis impari stylo cernentes argumenti tam nobilis speciem. Quin imò timendum etiam videtur, nè DEUS ipse offendatur, & injuriæ potiùs, quàm obsequii locò habeat, de perfectionibus suis ab eo scribi, qui infinitam earum dignitatem nequeat, nisi obscurare, & deprimere. Præsertim quòd præter meam ingenii, doctrinæque egestatem, novam illi, & validiorem offensionis causam suggerit vitæ meæ turpitu-

do, fœdissimis vitiorum, & criminum sordibus undique obsita, & digna proinde, ut hic quoque (*vide Ps.* 49.) *Peccatori dicat* DEUS, *quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum ?* Quamobrem, si unquam aliàs, nunc certè inprimis opus habeo, ut, quemadmodum unus è supremi chori Angelis calculo ignito Isaiæ, labra purgavit, dicens, (*c.* 6.) *Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua* ; sic & meam mentem ex integerrimis illis, ardentissimísque spiritibus quispiam cæleſti igne purificet : reddens me, quantò mundiorem, tantò minùs ineptum ad depromendas unà cum ipsis communis Domini laudes, & ad excipiendum, & alternâ, quantùm mortalis spiritus valet, modulatione iterandum sublime illud Trisagium, quod ab ipsis assiduè in cæleſti odeo illi canitur.

4. Sed quamvìs hæc omnia ad meum oppugnandum consilium, méque inde deducendum concurrant ; plus tamen meo in animo valent rationes aliæ, quæ ad illud potiùs retinendum hortantur : tum quia, quod sacri Doctores, Hilarius, & Thomas, professi olim de se sunt, (*L. 1. contr. Gent. c. 2.*) *Ego hoc præcipuum vitæ meæ officium debere me* DEO *conscium sum, ut eum omnis sermo meus, & sensus loquatur* : nem-

nempe, ut, quam ab eo accepi linguam, & mentem illius obsequiis penitùs devoveam: nunquam omittemus, tanti Domini præconia cuivis mortalium inculcare, & quantum per me licet, illius notitiam, gloriam, atque cultum extendere; tum quia, etsi nullis debiti officii momentis huc impellerer, non video, ubi meliùs impendi prædictæ facultates meæ possint, seu quid mihi prodessent, nisi eas liceret in hoc longè nobilissimo, & præcipuo usu occupare.

5. Neque ad hujuscemodi rationes infirmandas quidquam valet, DEUM esse humanâ omni, nedum meâ, quæ tenuis est, facundiâ majorem. Licèt enim id verissimè dici, & extra omne dubium esse fatear; nego tamen cum D. Cyrillo Hierosolymitano, indè consequi, nè homines universi pro suis quisque viribus commendare illum debeant: nisi fortè, quia nullus hominum valet totum aliquem fluvium bibendo exhaurire, totúmque aëris elementum respirando attrahere; nemini ideo convenire dicamus, ut vel exiguum id, quod potest, & quod præsens usus poscit, humoris, atque aëris ducat. Quod consecutionis genus quàm ridiculum, & ab omni ratione absonum foret, nemo est, quin perspiciat. *Sed dixerit aliquis*, (ità Cyrillus

Catech. 6.) *Si incomprehensibilis est divina substantia, cur tu de his differis? Numquid igitur, quia totum fluvium ebibere nequeo, quod mihi commodum est, sub mensura non hauriam? Laudo & glorifico Factorem meum: Mandatum enim DEI est, quod dicit, omnis spiritus laudet Dominum.* Imò tam procul à vero est, nostram dignè & aptè de DEO differendi impotentiam causam posse nobis esse de illo tacendi; ut à Spiritu sancto, quasi justissima potiùs, de eodem loquendi ratio afferatur in illis Ecclesiastici verbis: (*c.* 45.) *Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis. Major enim est omni laude.* En ratio, cur celebrandus ab unoque pro viribus sit: quia nimirum celebrari à nemine pro suo merito potest, sed omnem laudantium facundiam illius supergreditur magnitudo. *Major enim est omni laude.* Justissima sanè ratio. Quantò enim inferius dignitate DEI est, quidquid illi laudum persolvimus, tantò plus culpari meretur, qui etiam hoc tam exiguo, támque impari tributo illum fraudat. *Væ tacentibus de te*, inquit Augustinus, (L. 1. *Conf. c.* 4.) *quoniam loquaces muti sunt.* Quidnam igitur ex eo, quòd DEUS ineffabilis est, eruere nos decet? Unum hoc scilicet, ut dicamus quidem de illo, quidquid magnifici mens concipere, & os expromere valet: sed nihilò-

mi-

minus hoc debito ipsi officio perfuncti, nostris illum quantiscunque præconiis longissimè fateamur majorem, tanquam objectum, *cui laudando*, (prout idem S. Doctor alibi scripsit, *L. 5. de Trin.*) *reddenda est omni tempore benedictio, cui enuntiando nulla competit dictio.* Quam illius proprietatem neque Plotinus, esto veræ fidei expers, nescivit, palàm testatus, nihil ad divinam magnitudinem esse, quidquid de illo dici à mortalibus potest: sed nos tamen *nostris, quasi cujusdam parturientis, conatibus de eo, quod ineffabile est, loqui, significare nobis ipsis aliquid, quoad possumus, cupientes.* (*En. 5. L. 5. c. 6.*)

6. Quod verò ad meam nominatim infantiam pertinet, respondeo, quantò minùs ingenii, doctrinæque in me agnosco, tantò plus incitamenti me habere, ut de divinis perfectionibus scribere aggrediar: veluti de argumento, ubi nemini, etsi infacundo deesse potest copia dicendi: & ubi nihil à quoquam dici potest, nisi maximè splendidum, & Lectoribus admiratione complendis idoneum: *Cùm ipsa materia*, (ùt ait D. Leo) *ex eo, quod est ineffabilis, fandi tribuat facultatem: nec possit deficere, quidquid dicatur, ubi nunquam satis esse potest, quod dicitur.* (*Serm. 11. de Pass.*) Si argumentum sterile, inops, angustum, humile esset,

set, mearum virium tenuitas ab eo me suscipiendo jure absterreret: ceu quæ nec supplere, quod ei deest, nec adjuvari ab eo possit. Nunc verò quid solicitum esse de ingenio oporteat, *in cujus locum materia successit?* (*Martial. Præf. L. 8.*) Aut quid obesse indisertus scriptor queat, ubi, *quod jacet verbis, elevabitur rebus?* (*Hilar. in vita S Honor.*)

7. Atque his rite æstimatis, nulla quoque timendi ratio jam supereſt, nè aut qui opus meum legerit, indignetur, nimis impari stylo admirabiles DEI prærogativas describi, aut DEUS ipse offendatur, quasi de imminuta inepti scriptoris vitio suæ magnitudinis gloria. Nihil primò justæ indignationis metuendum à Lectoribus superest. Quod enim piæ mentes stomachari soleant, si quando humanam Servatoris DEI faciem minùs dignè concinnéque depictam aspiciunt; indè oritur, quia in abjecta illiusmodi effigie inconvenientior apparet Domini vultus, nec majestatem eam præfert, quæ vel mediocris excellentiæ personas deceret. At nullum hæc habet ratio in divinis perfectionibus locum: utpote quæ nunquam demissè adeò tractari possunt; quin summam præ se admirabilitatem ferant, &, quidquid humanorum est decorum, quàm longissimè excedant. Præterquam quod visi-

sibilis ChristiDomini vultus non ejusmodi est, ut convenienter illũ exprimere supra omnes sit humanæ artis conatus & vires. Quare etiam succensere pictori solemus, cujus culpâ evenit, nè illam, quæ digna ipso erat, quámque nanciscì ab arte potuisset, sui speciem exhibeat. At quis jure succenseat, quòd impari oratione repræsententur perfectiones divinæ, de quibus nihil promi tam exaggeratum, támque splendidum potest, quod non dicam illarum dignitati par sit, aut aliqua ex parte respondeat; sed minùs, quàm infinita intercapedine, ab iis superetur? Imò ex nostra hac communi impotentia, quidquam de DEO, nisì improprium, & minimè ipsi congruens dicendi illud sequi videtur, ut inter duos, quorum alter magìs, alter minùs splendidè, & sublimiter de divinis perfectionibus scribit; posterior meliùs, aptiúsque eas repræsentare dicendus sit. Ille siquidem credi à Lectoribus potest, dictionis suæ magnificentiâ earum dignitatem adæquâsse, nec minùs præclaras, quàm revera in DEO sunt, expressisse. Cùm hujus oratio, ab argumenti majestate deficiens, longè plura & altiora, quàm quæ protulit, de eo concipienda Lectorum intelligentiæ relinqnat. Nec alia sanè fuit Angelici Doctoris sententia: qui (1.

p.

p. q. 1. a. 9. ad 3.) hanc esse tradit principem causam, cur in nonnullis sacrarum literarum locis DEUS & cælestes spiritus imaginibus adumbrentur suâpte naturâ abjectis, & primo aspectu indecoris: quæ tamen vel ideo à Spiritu sancto usurpantur, tanquam congruentiores eximiæ objectorum suorum dignitati, quia magis idoneæ ad eam exhibendam, cujusmodi revera est, nulla videlicet sensibili repræsentatione imitabilem. Quapropter concludere cum D. Gregorio fas est admirationem, qua nonnulli afficiuntur, *cùm in Scriptura de DEO indignum aliquid dicitur. veluti si aliquando aliquid de DEO dignum dicatur*; non tam ex sublimi æstimatione, quàm ex imperfectiori notitia incomprehensibilis illius objecti provenire: cujus tunc æquissima formatur in animo species, cùm tale concipitur, ut ad illud dignè exprimendum inepti æquè sint nostri omnes, tam altissimi, quàm infimi sensus. (*L. 20. Mor. c. 23.*)

8. At, si minùs Lectores, DEUS saltèm indignari adversùm me poterit, quòd, tam malè à necessariis præsidiis paratus, de ipso scribere audeam. Nè ipse poterit quidem: Si enim Augustus Cæsar, authore Suetonio, *componi de se, nisi à præstantissimis, offendebatur*, & Alexander cognomento Magnus, teste Ho-

ra-

ratio, (*Ep. 1. L. 2.*) *Edicto vetuit, nè quis se, præter Apellem pingeret;* Non exigua utrique aderat causa suæ ità dignitatis tuendæ: cùm hæc, utpote adventitia, externísque adminiculis egens, per indecoram sui imaginem vilescere apud spectatores posset, ac è veneratione in contemptum abire. At cælestis Regnator, quemadmodum ob infinitam essentiæ suæ magnitudinem ab omni vilitatis & contemptûs periculo quàm longissimè abest; sic de idoneorum præconum delectu nihil laborat, sed omnibus universim, seu docti, seu rudes, seu apti, seu inhabiles sint, facultatem plenissimam tribuit, divina sua decora, quà privatim, quà publicè, quà calamo, quà voce exprimendi. (*Apoc. c. 19.*) *Laudem dicite DEO nostro omnes servi ejus, & qui timetis eum, pusilli, & magni.* Neque satìs valent ad me hinc excludendum superioris vitæ meæ probra. Quamvìs enim in Ecclesiastico scriptum legamus, (*c. 15.*) *Non esse speciosam laudem in ore peccatoris:* & in Psalmo quadragesimo nono redarguatur à DEO, qui gravium sibi scelerum conscius audebat nihilominus *enarrare justitias ejus;* hæc tamen, & si quæ alia hujuscemodi sunt in sacris Literis loca, non videntur accipienda esse, nisì de iis, qui vel in ipsa laudatione DEI peccant, ad illicitos fi-

quantùm satìs est, inquam, si minùs ad distinctam earum rationem reddendam; saltèm ad eas alto quodam cum stupore apprehendendas: quales intueri potest in immensæ, lucidæque caliginis medio, nec omnino abditas, nec omnino visibiles, majores tamen secundùm id, quod de se innuunt, quàm secundùm id, quod ostendunt. Hinc porrò ad stabiliendam in eorundem animis quàm firmissimam rerum intellectarum fidem, pergam eas comprobare, tum sacrarum Literarum, ubi à DEO sunt revelatæ, oraculis; tum illustrium Scriptorum, eas disertè affirmantium, testimoniis; tum argumentis ex humana ratione desumptis, quæ illarum veritatem evidenter demonstrent. Quarum probationum vi, diversarum inter se quidem, sed eundem ad scopum tendentium, copuletur in eodem assensu certissima illa firmitudo, quæ propria est fidei divinæ cum immobili illa quiete, quæ ex humana demonstratione oritur: & mens præoccupata pio effectu erga veritates divinas aptior sit ad percipiendas earum rationes; indè verò naturali harum luce illustratæ, minùs difficultatis experiatur in supernaturali earum assensu. Ubi tamen profiteor, primas semper me partes divinæ authoritati & revelationi daturum, tanquam præcipuo &

so-

solidissimo veritatum probandarum fundamento: cætera verò argumenta, non necessitatis, sed uberioris copiæ gratiâ, & mantissæ locò adjuncturum. Cùm verissimè dictum à S. Hilario sit, circa DEUM, in DEI testimonio acquiescendum nobis esse, (*L. 5. de Trin.*) *Quia, non nisì se authore cognoscitur:* nisì fortè minùs religiosi esse ipsismet idololatris volumus, quibus, teste Tacito, (*De Mor. Germ.*) *Sanctius & reverentius visum est de actis Deorum credere, quàm scire.* Quapropter, licèt non omittam etiam uti demonstrationibus scholasticis; non tamen necessarium semper ducam, prout in scholis fieri solet, ad vivum resecare, & quidquid paralogismorũ omnimodæ illarum evidentiæ obstat, anxio conatu dissolvere. Cùm etiam sinè hisce adjectitiis, & secundariis præsidiis, certiori alio tramite finem meum assequi valeam. Neque enim propositum hìc mihi est, confutare homines veræ fidei adversarios, qui contra illius probationes pervicaciter pugnant animis obstinati, nec priùs, quàm ineluctabili evidentia convicti sint, & nihil ultra respondendum, objiciendúmque habeant, iis manus dare: sed eos mihi potiùs confirmandos suscepi. qui, cùm ejusdem fidei dogmata, veluti à DEO revelata, pro certissimis jam habeant; humanas

nas eorum rationes, tanquem persuasioni suæ fœderatas, & subsidio venientes copias, favente potiùs, quàm repugnante animo excipiunt, tantò aptiores, ut ab iis adjùventur; quantò earum adjumento indigent minùs: secundùm piam illam, & verè Christianam D. Anselmi sententiam, (*Prosol. c. 1.*) *Non quæro intelligere, ut credam, sed credo, ut intelligam. Nam & hoc ipsum credo, quia, nisi credidero, non intelligam.* Tertiò denique, ubi veritates propositas visus mihi fuero, quantùm res desiderat, probavisse; conabor indè eruere, & palàm ostendere, quantum propterea admirationis, reverentiæ, & amoris DEO debeatur. Namque hic demum est finis, & quasi scopus, ad quem mea omnis tractatio collineat. Unde etiam contentus excelsissimas illius perfectiones declarare, quantùm satis, ut à Lectoribus dignè æstimentur, & justa, hoc est summa in admiratione habeantur; cæteras, quæ ad pleniorem earum notitiam addi possent, quæstiones, curiositati potiùs, quàm spirituali profectui servientes, & de quibus nihil certi, aut revelatum à DEO est, aut reperiri, & constitui ab hominibus potest, tanquam instituto meo minùs consentaneas, Theologis libens relinquam.

10. His

10. His præmiſſis circa viam, quam in divinis perfectionibus deſcribendis ego mihi ſequendam propoſui; ſupereſt de modo agere, quem in iiſdem conſiderandis ſervari ab unoquoque par ſit. Hìc autem duo potiſſimùm videtur requirere. Primum eſt, ut illa adhibeatur in eo regula, quam Trajani Cæſaris laudatoribus præſcripſit Plinius, (*In Paneg.*) *Nè quid de eo ità dicant, ut illud idem dici de alio potuiſſe videatur*: nimirum nè mens noſtra quidquam eximii & magnifici in DEO concipiat, quale in inferioribus aliis ſubſtantiis ſolet concipere: ſed in illius contemplatione ſupra ordinariam, & ſibi uſitatam intelligendi rationem, quantùm maximè poteſt, conſurgat: miſſas penitùs faciens omnes illas imagines, quas ex objectis ſenſibilibus intrà ſeſe adunavit, veluti à novo hoc, & prorſus ſingulari ſuo objecto omnino alienas. Nam, cùm nulla in rebus creatis reperiri, aut fingi animo poſſit perfectio ſinè ullius imperfectionis miſtura; manifeſtò indè ſequitur, ſi quis earum aliquam in DEO talem conciperet, qualis extra ipſum reperiri, aut fingi animo poteſt; concepturum ibi illam, modo maximè improprio, & qui perfectiſſimum integerrimúmque illud Ens omnino dedeceat. Libeat id perſpicere in peculiari aliqua perfecti-

ctione, sed considerata, quatenus cum cæteris omnibus convenit, eáque sit pulchritudo. Hæc præter materialitatem coloris, & partium inter se distinctarum, sinè qua neque in ullo corpore existit, neque concipi à nobis in objectis spiritualibus potest; præter hanc, dico, imperfectionem illius propriam; duas quoque adjunctas, insitásque sibi habet, sinè quibus neque ipsam, neque ullam aliam ex creatis perfectionibus imaginari nobis fas est. Nam primò, in corporeis quibusque substantiis spectata, neutiquam ibi apparet, quasi totum subjecti sui esse, sed veluti qualitas ei superaddita, nec subsistendi potens, nisi ab eo sulciatur. Secundò, nusquam item apparet, nisi certis definita limitibus: tum in proprio suo genere pulchritudinis, utpote hæc solùm, & non alia, tantáque, & non amplior pulchritudo, tum in genere communiori perfectionis, utpote hæc sola peculiaris perfectio, quæ pulchritudo appellatur, non verò quæcunque simul alia perfectio, nimirum sapientia, justitia, magnitudo, potentia. Cùm itaque talis sit, & hujusmodi inquinetur defectibus quæcunque nobis visu cognita pulchritudo; quinam, rogo, fieri queat, ut per illius species divinam formemus in animo pulchritudinem? Pulchritudinem scilicet, extra quod-

vis

vis exemplar, à coñemoratis vitiis remotam, ut, præterquam quod omnem figuram, omne genus coloris, omnem partium differentiam omnino à se excludit; nihil revera aliud sit, quàm ipsummet purum putum esse divinum: nullísque se circumscribi limitibus patiatur, neque prout est pulchritudo, cùm quidquid cogitari potest, pulchri in se contineat, neque prout est perfectio, cùm non magis propriè illi conveniat esse pulchritudinem, quàm esse simul justitiam, bonitatem, sapientiam, & quodcunque aliud prærogativæ possibilis genus? Enimverò, nisi illam mente apprehendere à se ipsa omnino dissimilem volumus; necesse nobis erit, pristinas omnes nostræ mentis species usquequaque abdicare, & inficiari de illa, quidquid novimus, quidquid se objicere nostris cogitationibus potest: concipiendo quidem quantam maximam, & exaggeratissimam pulchritudinem concipere nobis fas est: sed ideo duntaxat, ut fateamur, eam, qualis, & quanta à nobis concipitur, minimè DEO convenire: &, quemadmodum alibi posita constitueret formosissimum corpus; ità si in eo collocetur, repræsentaturam monstrosissimum DEUM. Quàm enim certò constat, ipsum esse propriissimè pulchrum, & inter pulchra omnia pulcherrimum; tam

pro certo haberi etiam debet, divinam ipsius pulchritudinem ejusmodi esse, ut omne genus, omnem ordinem, omnem modū, omnem captum prætergrediatur: nullâque nostrarum mentium, & cogitationum imagine effingi meliùs queat, quàm meridiani solis claritas atramento, aut carbone exprimeretur. Hoc autem, quod exempli gratiâ de pulchritudine speciatim diximus, nihilo seciùs cuilibet alteri ex divinis perfectionibus convenit: ut proinde in unaquaque earum considerandâ, eandem nos regulam adhibere oporteat: removendo ab ea scilicet, tanquam imperfectum, & singulari illius excellentiæ minimè congruens, quidquid mens nostra non aliis, quàm sensibilibus, & creatis rebus intuendis assueta, earum ad exemplum imaginari novit, & solet.

11. Advertendum tamen est, multùm hìc discriminis intercedere inter actus judicandi, & merè intuendi; nec proinde, quam attulimus, regulam parem in utrisque vim, & locum habere. Nam loquendo de primis, si quis judicaret, DEUM non alio pacto esse magnum, bonum, pulchrum, sapientem, quàm quo ejusmodi prærogativas ipse intelligit, & quo eædem in rebus creatis existunt, instar qualitatis nimirum à subsantia, cui inhæ-

hæret, distinctæ, nec nisi per eam subsistentis, & certum intra modum finitæ; næ is DEUM perversè cognosceret, imò pro vero, alium sibi fingeret commentitium, abnormem, & monstri similem. Quod verò ad alteros merè apprehendendi & imaginandi actus pertinet; quanquam nobilius, tutiúsque contemplationis genus sit, simplicissimam DEI essentiam concipere, à rerum corporearum simulacris & phantasiis quàm maximè abstractam; qui tamen his etiam uteretur, eam sibi repræsentans sub imagine quapiam sensibili, putà quasi immensum purissimæ, splendidissimæque lucis globum, vel qualem Isaias cap. 6. sibi visam describit; nullius certè falsitatis posset damnari: nisi fortè cum illo DEUS pariter videatur damnandus, qui non rarò per imaginarias hujusmodi visiones suis famulis intuendum se exhibet. Non meretur itaque hìc sensibilium specierum in contemplando DEO usus reprehendi; sed, qui adjuvari se eo experitur, ad mentem faciliùs, & stabiliùs in illo invisibili objecto figendam, salubriter, prudentérque aget, si adhibere illum pergat: dummodo interea meminerit, & pro certo habeat, suas illas repræsentationes toto cælo distare à vera, & nobis imperceptibili ratione, secundùm quam DEUS in se ipso existit.

12. Alterum, quod ad divinas perfectiones fructuosiùs considerandas requiritur, est, ut secundùm legitimam suam significationem accipiantur nonnulla, quæ Theologiæ mysticæ authores de negativa cognitione DEI tradunt: perinde quasi ad summam hujus laudem pertineat, nihil perfectionis in DEO concipere, sed quæcunque illi tribuuntur, magnifica nomina inficiari, & ab eo removere. Unde imperitiores ansam possunt capere existimandi, tunc demum dignè DEUM concipi, cùm nulla illius neque abstractissima imago menti objicitur; sive absolutissimam, & maximè propriam illius cognitionem in hoc uno positam, ut negetur de illo, quidquid perfectionum de creatis rebus affirmari potest; sive perfectiones hujusmodi cum creatis illi rebus communes, & alias quascunque illius proprias negandas de illo esse, non merè quantùm ad imperfectiorem modum, quo eas nos intelligimus, sed quantùm etiam ad rem ibi intellectam. Quæ sanè existimatu absurdissima sunt, neque solùm veritati communiter, sed & ipsi speciatim germanæ DEI cognitioni omnino adversantur. Nam nullam DEI neque abstractissimam speciem concipere, perinde esset, atque illum vel nullo modo, vel tanquam merũ nihil concipere. Quod ve-

verò attinet ad perfectiſſimam illius cognitionem in meris negationibus conſtituendam, ſi res ità ſe haberet, nihil eſſet perfecta DEI cognitione facilius. Quoto enim cuique, qui ſpiritualem vitam vel à primo ſalutaverit limine, non facillimum ſit, creatarum, quaſcunque novit, perfectionum ſibi elenchum deſcribere, illáſque mox de DEO ſingillatim negare? Præterquam quòd, ſi poſt peractam earum omnium negationem nulla alia perfectio negatis excellentior, tanquam ipſius propria, & in ipſo revera exiſtens, mente apprehendatur; quidnam, rogo, bonæ frugis ex hujuſmodi cognitione animus referet: quémque vel tenuiſſimum admirationis, & amoris ſenſum concipere erga objectum poterit, in quo plurima quidem bona deſiderari, nihil verò boni exiſtere agnovit? Poſtremò, qui apud ſe ſtatuat, DEUM nullo modo eſſe neque ſapientem, neque bonum, neque pulchrum, neque amabilem, neque æternum, neque Dominum, neque DEUM; quidnam, amabò, dicendus eſt facere aliud, niſi ipſum negare, æquè ac perfidiſſimus quiſque Atheorum negaverit? Si ergo cordi eſt fructuosè DEUM cognoſcere, & talem cognoſcere, qualem omnibus orthodoxa fides proponit; nullam purarum perfectionum ei ſubtractam

ve-

velimus: sed, negando, earum ullam in ipso reperiri, secundùm imperfectam rationem, qua ibi à nobis concipitur; fateamur simul, omnes excellentiori alia, & nobis prorsus incognita ratione ab eo possideri. Ità ut iste modus, omnes in se perfectiones colligendi, novus, singularis, & omnem intelligentiæ nostræ captum exuperans, totum illud sit, quod de essentia divina affirmamus, & illa DEI unica imago, quæ, post omnia de ipso negata, in nostris mentibus remanet: qualem in marmore, post plurimos scalpri ictus, & varia hinc illinc decisa segmenta remanere hominis, vel alterius rei imaginem cernimus: nisi quòd imago ibi residua distinctè atque exactè suum prototypum repræsentat; cùm hæc, quæ in nostris mentibus supereſt, perfectionis de DEO affirmatæ intellectio, usque adeò sit confusa, ut non tam dici imago, quàm tenuis quædam umbra imaginis queat.

13. Neque verò hæc quisquam à me dici ex privato, & peculiari meo sensu opinetur. Expressissima quippe, & minimè dubia nobilissimorum quà mysticæ, quà scholasticæ Theologiæ Principum, Dionysii Areopagitæ, & Thomæ Aquinatis, sunt placita. Consulatur hìc in quæst. 13. p. 1. ubi in nominibus de DEO aliquid affirmantibus duo distin-

ſtinguit, perfectionem videlicet ibi ſignificatam, & modum, quo eadem ſignificatur: ſubjungens, quamvis reſpectu hujus illa ſint impropria; quod tamen ad perfectionem ipſam pertinet; quàm aptiſſimè propriiſſiméque DEO convenire. (*Art. 3.*) *In nominibus, quæ DEO attribuimus, duo eſt conſiderare: ſcilicet perfectiones ipſas ſignificatas, ut bonitatem, vitam, & hujuſmodi; & modum ſignificandi. Quantum igitur ad id, quod ſignificant hujuſmodi nomina, propriè competunt DEO, & magis propriè, quàm ipſis creaturis. Quantùm verò ad modum ſignificandi, non propriè dicuntur de DEO. Habent enim modum ſignificandi, qui creaturis competit.* Talis eſt præſtantiſſimi illius Doctoris ſententia, ſolida, perſpicua, & loquendi formis expreſſa, quas potiùs docti intelligant, approbéntque, quàm imperiti & rudes mirentur. Unde manifeſtum, & cuivis perfacilè colligendum relinquitur, num prædicta DEI nomina omnino, & ſecundùm totam ſuam ſignificationem, an verò, ceu ſuprà ego ajebam, ſecundùm merum, quem apud nos habent, imperfectè ſignificandi modum de illo negare fas ſit. Quod porrò ad Areopagitam pertinet; eſto ille pluries cognitionem DEI negativam, & ignorantiæ ſimilem magis ea probet, quæ in DEO aliquid affirmat, & ponit: non tamen expli-

ca-

care omisit, cujus generis sint negationes à se ibi laudatæ: negationes nimirum, quæ removeant à DEO, non prærogativas ipsi attributas, sed modum duntaxat, quo hæ à nobis in eo concipiuntur: neque hunc ipsum merè ab illo removeant, sed alterum confestim excellentiorem, & DEO magìs dignum substituant. Apparet id in capite quinto Theologiæ mysticæ: ubi, cùm negâsset de DEO, quidquid penè illi potest attribui perfectionis & laudis, dicens, eum non esse neque mentem, neque sapientiam, neque substantiam, neque vitam, nec veritatem, nec unum, nec Divinitatem, nec bonitatem, nec spiritum; subdit extemplo, *ùt nos Spiritum cognoscimus*: nempe secundùm imperfectam rationem, qua hæc nomina à nobis intelligi solent. Super quibus verbis bene animadvertit ejus interpres S. Maximus explicationem illam, *ùt nos cognoscimus*, quamvìs expressè non addatur, nisì Spiritui; extendendam nihilominus esse ad omnia alia pridem negata. *Observa, quòd neque Spiritus sit, ùt nos Spiritum cognoscimus: & illud, ùt nos cognoscimus, in omni superiorum negatione accipe.* Apparet præterea in capite septimo *de divinis Nominibus*, ubi sanctus Doctor palàm tradit, negare aliquam perfectionem in DEO, nihil esse aliud, quàm ejusdem exupe-

uperantiam illi attribuere. *Verùm, ùt sæpe dixi, divina, prout DEO competunt, accipienda sunt. Nam amentia, & insensibilitas* (id est negatio mentis, & sensûs) *per excessum, non per defectum DEO tribuuntur.* Quod ipsum suprà etiam expresserat in capite quarto, dicens, hoc nomen negativum, *substantiâ carens, substantiæ excessum esse:* & hoc aliud, *vitâ carens*, perinde esse, atque, *excellens quædam vita.* Apparet demum in Theologiæ mysticæ capite primo, ubi docet, in rebus divinis *negationes affirmationibus non esse contrarias.* Quod nullo pacto verè dici, aut intelligi potest, nisi, quatenus primæ non ipsam perfectionem negant, quæ ab alteris affirmatur de DEO, sed improprium duntaxat, nec convenientem DEO modum, quo illa à nobis concipitur, quíque objectum, & materia affirmationum non est: ut proinde, qui illum negat, non idcirco his contradicat.

14. Concludamus itaque, nullam ex puris perfectionibus omnino & simpliciter seu affirmandam, seu negandam de DEO esse: sed utrumque horum conjungi, & alterum altero temperari oportere: ità ut quoties peculiaris quæpiam prærogativa de DEO affirmatur, negetur simul modus, quo eadem in rebus creatis existit, quoque à nobis concipi so-

ſolet: & illo negato alius continuò affirmetur, DEO dignus, & noſtræ mentis captu ſuperior. Hinc enim fit, ut, cùm puræ affirmationes parum perfectionis, & puræ negationes nihil perfectionis in DEO ponant; utræque ſimul miſtæ perfectionem in eo repræſentent uſquequaque infinitam, propriéque divinam: ceu, quamvis arithmetica unitatis figura exiguiſſimum numerum, & nihili figura nullum numerum denotet; hæc tamen illi addita, amplioris decuplò numeri denotandi vim habet. Ubi etiam animadvertendum eſt, quemadmonum quantò plures nihili figuræ unitati adjunguntur, tantò illius numerum magis multiplicant; ſic quantò plura de DEO creatarum perfectionum vitia negantur, tantò plùs augeri excellentiam unicæ illius, ſimpliciſſimæque affirmationis, qua eaſdem perfectiones, ſinè ullis earum vitiis, ipſi tribuimus: nimirum, non veluti ab eo, inter ſéque diſtinctas, & alias ideo unius, alias diverſi alterius generis, ſed veluti in unum quidpiam conflatas, ejuſdémque ideo ſingulas, cujus univerſæ ſunt amplitudinis, eminentiæ, ac virtutis: adeò ut exinde non aliter concipiamus DEUM ſub uno quopiam peculiari ſuo nomine, ac ſub altero quolibet, imò ac ſub nominibus ſuis univerſis: &, ſive il-

illius contemplemur sapientiam, sive pulchritudinem, sive potentiam; semper nobis appareat, quasi ens non in uno singulari, & ab aliis quibuslibet per propriam suam speciem distincto, sed in omni laudis genere omnino infinitum: utpote quod unaquaque suarum laudum, quidquid intelligi laudum potest, confusè permistéque, & sinè ulla distinctione complectitur. Quæ illius cognitio, quamvis ratione objecti adeò extraordinarii, singularis, & ab omni perceptarum nobis rerum specie remoti, nostrámque omnem intelligentiam excedentis sit, quantùm esse potest, confusa, nebulosa, cæcutiens, & stupori, inscitiæque, quàm intellectioni propior; nihilominus hac ipsa de causa maximè omnium, quæ concipi à mortalibus possunt, & infinitæ divini Numinis Majestati consentanea est, & ad nostros animos in summam illius admirationem, ac reverentiam rapiendos idonea: amplissimísque ideo illis digna præconiis, quæ duo suprà nominati Doctores de ea posteritati reliquere: alter illam vocando (*Dion. de Myst. Theol. c. 1. & Ep. 1.*) *Caliginem plusquam lucentem, & tenebras supereminentes omni lumini*; Alter in ea constituendo *ultimum, ad quod pertingere possumus circa cognitionem DEI in hac vita.* (*S. Th. lect. 5. in c. 1. de div. Nom.*)

15. Quæ cùm ità se habeant, nihil jam mihi ad hujus conclusionem Proœmii reliquum est, nisi petere à Lectoribus meis, quod Timæus ille apud Platonem, cùm de mundi procreatione verba facere aggrederetur, à suis auditoribus petiit: *Æquum est meminisse*; inquiens, *& me, qui dissera m, & vos, qui judicabitis, homines esse*: nimirum ut nemo hìc flagitet, vel expectet notiones planas, dilucidas, usquequaque exactas, & primo auditu percipi faciles, sed quales tradi, & accipi ab hominibus possunt, circa tam excelsum, adeóque incomprehensibile objectum: de quo, quantumcunque intelligatur, & dicatur, tantò tamen plura intelligenda, & dicenda restabunt; ut, pergentibus aliis usque, & aliis scriptoribus, de eo agere, non multum diceret, qui cum Euangelista Joanne affirmaret,

Nec ipsum mundum capere eos posse, qui scribendi sunt libros. (c. ult.)

CA-

CAPUT XIII.

DEum utpote primam omnium causam à semet ipso, pérque neneceſſitatem in natura ſua inſitam habere, ut ſit, atque exiſtat.

SOlemnis Oratorum mos eſt, ſi quando illuſtrem meritis virum publice commendandum ſuſceperint, à Majorum geſtis, & ſtirpis vetuſtate laudationis ſuæ ducere primordia. Idem & à nobis fiet in præconiis DEI pertexendis. Primum omnium indagare aggrediemur, quænam, & quàm longè retroducta illius ſit origo, quandonam principium ſumpſerit, quo ex capite & fonte profluxerit. Imò, quoniam talia indagare, deliri, & ſomniantis res foret, confeſtim dicemus, nullum aſſignari poſſe tempus, quo eſſe cœperit, ità ut ante illud non fuerit; nullam cauſam, cujus virtute in lucem productus ſit, quaſi alioquin remanſurus in nihilo: ſed ſemper eum fuiſſe id, quod eſt, & ſemper à ſeſe uno habuiſſe id, quod habet, ipſum ſuam geneſim, ipſum totam ſuam ſtirpem, tanquam ens, in quo exiſtendi actus ab alienis arbitriis non pendet,

nec inter casuum incerta durandi, an deficiendi ambiguum fluctuat, nec ab ulla possibilitate & privatione præceditur, sed est bonum quoddam semper, & necessariò ipsi debitum quoddam privilegium, in natura ipsius penitissimè insitum, quædam postremò maximè propria singularis essentiæ illius notio: ut proinde sicut homo, cùm ratiocinandi facultatem pro natura sua habeat; nunquam citra contradictionem illius expers concipi animo potest; sic & ipse, cui natura est existere, nunquam possit absque simili contradictione non existens intelligi. Ità de illo senserunt, nullo licèt supernaturali lumine colluſtrati Theologorum vetustissimi, Trismegistus, atque Orpheus: hic nomen ei faciens, *Apator, Autopator* (*Hym. 9.*) hoc est patre carens, & ipsemet sibi pater; ille autem pro certissimo statuens, *ex se totam esse naturam* DEI: (*Asel. 7.*) qui alibi quoque hanc veritatem declarat exemplo unitatis, ex nullo alio numero suam trahentis originem, eò quòd ipsa omnium sit numerorum origo. (*Pim. c. 4.*) *Monas omnium principium, radix, atque origo. Sinè principio autem nihil: initium verò est non principii, sed alterius. Monas ergo principium, omnémque numerum continet, à nullo numero contenta, omnémque numerum gignit, à nullo numero genita.* Nec

in

in alia fuêre ſententia, alitérve ſcripsêre Plotinus, vel qui Ægyptiorum Theologiam literis prodidit. Quorum prior DEUM appellat, *Fontem, principium aliud non habentem*: ut proinde in eo conſiſtere debeamus, *neque ulteriùs, unde exortus ſit, indagare, cùm revera exortus non ſit.* (*En. 3. L. 8. c. 9. & En. 6. L. 8. c. 10.*) Alter verò, eundem tam neceſſariò per ſe ipſum exiſtere affirmat, ut impoſſibile ſit, ullam in eo potentiam intelligi, è qua in actũ exiſtendi alterius beneficio educatur. *Nè cogitatione quidem fingi poteſt, DEUM in aliqua potentia exiſtere: alioquin altero indigeret, cujus vi in actum excitaretur.* (*Theol. Æg. L. 3. c. 3.*)

2. Nollem tamen hìc quiſpiam imaginaretur, DEUM ità per ſe exiſtere; ut vera & propria fuerit ſui ipſi cauſa: perinde quaſi ad acquirendam exiſtentiam opus habuerit tum voluntate illam ſibi tribuendi, tum actu aliquo, per quem ſibi illam re ipſa tribueret. ſomnia iſthæc ſunt, è rebus inter ſe diſſidentibus coagmentata, omnibúſque contraria humanæ ratiocinationis principiis: ſecundùm quæ impoſſibile omnino eſt, quidquam eſſe veram ſui cauſam: tum quia hinc diſtingueretur à ſe ipſo, tum quia in producendo ſe ipſum, non illud eſſe ſibi tribueret, quod jam habebat, ſed illud ſolummodo, quod ſibi de-

erat: ac propterea vel non haberet ſuum eſſe, quando ſibi illud tribuit; vel illud haberet, quando illo adhuc caret. Cùm igitur DEUS dicitur habere à ſe ipſo, quòd ſit; non ità id accipiendum eſt, ut putetur, aliquo uſus eſſe virium conatu ad impertiendam ſibi exiſtentiam, cujus alioquin expers fuiſſet: ſed ità, ut intelligatur in admirabili ejus natura ineluctabilis quædam ineſſe exiſtendi neceſſitas, quæ per ſe ipſam efficaciſſimæ quaſi productionis locum obtineat, & à qua ipſe multò certiùs, quàm aliæ res à cauſis ſuis habeat, ut ſit. Quod nihilominus, quî re ipſa eveniat, nimirum quonam pacto citra cujuſvis cauſæ operationem, prædicta exiſtendi neceſſitas in eo ſemper fuerit, útque per meram hujus vim, ſinè ullo alterius, proprióque conatu ille ſemper exiſtat; percipiat ſanè, explicétque, ſi cui tantum facultatis ſuppetit. Ego quippe tam arcanæ rei percipiendæ imparem prorſus eſſe me fateor,, nec exempla reperire, quibus eam mihi, vel aliis declarem, tanquam prodigium omnino ſingulare, nec uſquam alibi cognitum. Cùm, veluti ſuprà citatus ſcribit Ægyptiacæ Theologiæ author, reliquæ omnes naturæ, priuſquam naſcerentur, non paucorum menſium, ſed innumerabilium ſæculorum ſpatio, intrà cæcum meræ poſſibi-

li-

litatis uterum, informissimo quovis fœtu informiores delituerint: donec benefica quæpiam virtus superveniret, ad eas indè obstetricis ritu in lucem existentiæ promendas. *Omnia, quæ ab illo diversa sunt, priùs in potestate esse intelliguntur, quàm in actu. Quia privatio in talibus antecedit entitatem, & potentia necessitatem.* (*L. 3. c. 3.*)

3. Tria igitur quàm maximè singularia, intérque se conjunctissima supremi Entis decora, in pervestigenda illus origine invenimus. Primum, quòd suum esse nemini acceptum refert, sed à se ipso duntaxat, & per propriam virtutem suam habet. Alterum, quòd indissolubili necessitatis metaphysicæ nexu cum existentia colligatur; ut nihil impossibile magìs illius negatione fingi queat: neque tam necessaria certissimi cujusquam principii veritas, quàm existentia ipsius sit: utpote quæ primum æternúmque est totius veri, certi, & necessarii fundamentum. Tertium, quòd, cùm nullis exterioribus causis indigeat, & tam intima & immobili necessitate nitatur, nullum existendi habere initium potuit, neque terminum nanciscì potest: sed, quotcunque sæcula, sive ex præteriti, sive ex futuri temporis parte mens concipiat; semper fateatur, necesse est, infinito priùs tempore

ipsum extitisse, infinitóque adhuc ulteriùs extiturum. Quamvis autem hujuscemodi decora, propter extraordinariam & singularem suam excellentiam humanæ mentis captum excedant; nihilo tamen minùs præter supernaturalem certitudinem, quam à divina revelatione habent, adeò per humanam quoque rationem sunt certa; ut non modò Ethnicorum sapientum præcipui DEO illa tribuerint, sed ipsimet Athei indubitabili evidentia coacti, fateantur admittendum omnino esse in rerum universitate primum aliquod ens, increatum, necessarium, æternum. Expendamus tantisper utramque hanc eorum certitudinem, & duorum quidem primorum, id est increatæ, necessariæque existentiæ in hoc capite. Nam de tertio, quod æternitas est, commodiùs in sequenti tractabimus.

4. Et sanè DEUM nemini extra se debere, quòd sit, sed primam esse, ac per sese existentem causam omnium, quæ sunt, præcipuum Christianæ fidei dogma, imò & fundamentum omnium ipsius dogmatum est; ut, licèt nîl privatim de illo divina testarentur eloquia: in quibuscunque tamen aliis veritatibus, quæ cum ipso cohærent, tradendis id ipsum quoque traditum jure optimo dicendum esset. Sed neque desunt loca, quæ pe-

eu-

culiarem quoque & expressam illius mentionem faciant. Quò enim aliò spectant illa Apostoli ad Romanos verba? (*c.* 11.) *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Aut quid exprimit aliud singulare, illud principii nomen, quod sibi attribuisse DEUS legitur, tum in Euangelio, ubi, interrogatus à Judæis, *Tu quis es?* respondit, *principium, qui & loquor vobis.* (*Joa. 8.*) tum in Apocalypsi, ubi semel, atque iterum, in primo videlicet, ultimóque capite illud repetit, dicens: *Ego sum Alpha & Omega, principium & finis.* Certè, si alteri cuipiam deberet suum esse; causa, cujus beneficio illud accepisset, neutiquam *esset ex ipso, & per ipsum*, sed *prior dedisset illi*: eadémque ipsius locò appellari tunc posset principium, ceu rite animadversum, expressúmque à Theodoreto est, ubi scripsit: *Unum est omnium principium, quod non est genitum. Si enim genitum sit, non utique erit principium, sed principium potiùs illud erit, unde id sit exortum, quod vocabamus principium.* (*Lib. 2. Adv. Græc.*) Jam verò, cùm Orthodoxa fides palam doceat, DEUM non nisi à se ipso, & per se ipsum existere; næ, qui certò persuasum id habet, dubitare jam minimè potest, quin supremum illud ens, quemadmodum externa productione non in-

diget; sic à propria naturæ suæ vi, & necessitate habeat, quòd sit. Adeò quippe intima cognatione duo hæc entis increati, atque entis necessarii decora inter se copulantur; ut impossibile sit concipi aliquid, sinè ullius causæ opera existens; nisi concipiatur, immobilis & perpetua ei inesse existendi necessitas. Neque solùm sacra eloquia certos nos faciunt, DEUM non nisi per sese, ac proinde necessariò existere, verùm etiam duas hasce prærogativas adeò singulari & proprio jure illi attribuunt, ut nemini convenire alteri queant. Cùm & à D. Paulo in verbis suprà citatis, & à D. Joanne in primo Euangelii sui capite disertè affirmetur, quidquid extra DEUM est, ab ipso accepisse, ut sit, nec proinde increatum & necessarium instar illius esse posse. *Omnia per ipsum facta sunt, & sinè ipso factum est nihil.*

5. Videndum jam est, num veritates prædictæ ità per divinam revelationem sint certæ, ut per naturale rationis lumen perspici nequeant, magnámque ideo mens nostra sibi debeat vim inferre, ad eas firmissimo illo assensu amplectendas, quem fides divina suis præstari placitis jubet. Verùm non ità profectò se res habet. Quin potiùs, quacunque ex parte DEUS spectetur, sive ùt prima, & in-

increata omnium causa, sive ùt insitam naturæ suæ vim & necessitatem semper existendi habens, sive ut ejusmodi privilegia proprio & singulari jure sibi uni vendicans; unaquæque harum partium usque adeò cum rationis humanæ principiis congruit; ut quamvis nulla superior authoritas indubiam iis tribueret firmitudinē; quisquis tamen aliquo ratiocinandi usu pollet; plus difficultatis experiretur in neganda, quàm in adhibenda illis fide.

6. Utque à prima ordiamur, neminem sanè inter homines, seu literis expolitum, sive earum penitùs rudem, sive fidelem, sive ethnicum reperire erit, qui DEUM nominari audiens, vel tacita cognitione secum versans, aliter eum sibi repræsentet, quàm ùt naturam supra modum eximiam, perfectissimam, & omnibus aliis longè antestantem. *Talem esse* DEUM, *certa animi notione præsentimus; ut in omni natura nihil sit præstantius*, verba sunt ethnici hominis apud Ciceronem: (L. 2. *de Nat. Deo.*) qui addit, talem de illo fuisse ipsiusmet Epicuri sententiam, hac duntaxat ratione adducti, ut Deos esse crederet, *quia necesse sit præstantem aliquam esse naturam, qua nihil sit melius.* Quapropter, si à vera DEI existentia, & possibilitate abstrahere hìc disputationem

nem vellem; promptum nihi esset demonstrare evidenter, siquidem revera in mundo ille existit; ità existere, ut à nemine, nisi à se ipso existentiam suam habeat. Nam alioqui ens non esset quovis alio perfectius, quale nimirum DEI nomine significari omnes sentiunt. Præterquam quòd, si eum fingeremus non habere à se ipso suum esse; quærenda necessariò esset causa, à qua illud accepisset: déque hac ipsa rursum quæri oporteret, num ab alio, & à quonam alio fuisset producta. Atque ità ulteriùs, ulteriúsque progredientes, vel infinitos comminisceremur Deos, quorum unusquisque ab aliquo alio (nescias quando, & num necessariò, num libere) procreatus fuisset; vel ad aliquē devenire contingeret, non habentem, nisi à se ipso, qui proinde, veluti unus nemine indigens, & reliquis omnibus necessarius foret; ità quoque unus ob suam hanc singularem præstantiam dignè DEI, hoc est perfectissimi entis, nomen ac personam ferret.

7. Sed quoniam permagni momenti esse duco, ut veritas tam præcipua, quàm est, DEUM re ipsa in mundo existere, clarissimè omnibus pateat; quemadmodum palàm feci, DEUM, si in mundo existit, non posse, nisi per se ipsum, & sinè alterius cujusquam ope-

ra existere; ità demonstrandum jam sumam necesse omnino esse, ut aliquid per se ipsum, & sinè alterius cujusquam opera in mundo existat: nullo indè negotio illaturus, DEUM in mundo quàm certissimè existere. Quonam igitur argumento perspicua, & omnibus patens prædicta necessitas fiet? Nempe hoc planissimo, & nemini dubio: quia, si nihil in mundo reperiatur per se existens, impossibile prorsus erit, quidquam rerum in mundo, ipsúmque adeò mundum existere. Utque allati argumenti vis evidentiùs cernatur, imò ipsis quodammodo manibus contrectetur, finge sis nullum in omni rerum universitate corpus per se se, & suapte natura lucidum esse, aut unquam fuisse: tecúmque mox exquire, num quidquam, hoc posito, in ea lucis existeret: & palàm videbis, quemadmodum nihil tunc reperiretur per se aptum lucem habere, aut producere; sic nullum hujus radium, nullámque repertum iri scintillulam: sed omnimodam noctem, & tenebras Cimmeriis densiores ubivis futuras. Nec secùs continget, si fingas nullum objectum per se amari, nullámque propositionem per se sciri posse. Nempe hinc evidenter perspicies, impossibile omnino futurum, ut ullius tunc objecti amor, ulliúsve propositionis scientia in-

ter

ter homines detur. Cùm nulla alia de causa, quod non est per se amabile, amari possit; nisi quia aliud per se amatum ad illius amorem impellit: nec alio pacto propositioni per se ignotæ obscuræque præstari assensus queat, nisi, quia alia per se evidens suam illi perspicuitatem affundit: ceu quilibet facillimè agnoscet, si ad suos intelligendi, volendíque actus paulò attentiùs cogitationem reflectat. Nè plura. Universalis, & per omnia rerum genera excurrens inductio quàm certissimè evincit, si in omni aliqua multitudine nemo reperiatur per se idoneus ad habendum, acquirendúmve aliquod bonum (quod cæteroqui ex mera multorum conjunctione non proveniat) nullo fieri modo posse, ut in ea multitudine, seu finita, seu infinita illa sit, & sive illius partes unà omnes existant, sive aliis aliæ succedant, illud boni genus reperiri contingat: sed, nè penitùs desit, opus esse, ut aliquid ibi existat, à quo per se haberi possit, atque in alios diffundi. Consultò addidi, seu finita, seu infinita, & seu tota simul existens, seu ex partibus, aliis post alias subeuntibus, coagmentata multitudo illa sit: cùm finitus, & simul existens partium numerus ad prædicti principii vim, & veritatem nihil penitùs faciat, adeò ut minùs certum existimari possit, ubi

ubi vel infinitæ illius partes sint, vel aliis aliæ succedant. Nemo quippe non videt, si in catena, ex centenis annulis ferreis conserta, quia horum nullus per se potest à terra sublimis pendere; nullus quoque aliorum ope ità potest suspensus detineri, sed, ut in sublimi consistant, necesse omnino est, ut ab aliquo sustineantur, qui aliunde sustineri non egeat, possítque per se ibi consistere: nemo, inquam, non videt, si hoc ibi ob allatam rationem contingit, pariter necessariò ex eadem ratione eventurum in alia item catena, quam ex infinitis annulis ferreis contexi, & per infinita supra ultimum cælum spatia extendi fingamus: nimirum omnes eos annulos, cùm nullus sustinere se à terra sublimem suis viribus valeat, nisì Angelus quispiam, aut aliud principium, virtute, qua ipsi carent, præditum eorum aliquem, omnémque ex eo pendulam reliquorum seriem sustentet; præcipiti lapsu rituros deorsum, & immani circa terram cumulo perpetuùm sessuros. Quemadmodum nemo etiam non videt, si ex iis, quæ in mundo nunc existunt, corporibus, omnia fingerentur esse naturaliter lucis expertia; nullum hanc posset, seu per se habere, seu ab aliis mutuari, altissimísque in tenebris mundus latè omnis jaceret; idem pariter consecuturum,

si

si etiam comminiscamur, mundum infinito jam tempore extitisse, infinitiésque corporum, ex quibus constat, seriem mutâsse, sed ità, ut nullum eorum unquam lucendi, & illuminandi suapte natura potens fuerit. Cùm eadem utrobique ratio manifestissimè evincat, ceu non minùs in hac, quàm in priori illa positione omnis per se lucem producens causa deficeret; sic non minùs in hac, quàm in illa perpetuam obscuritatem, & omnimodam lucis privationem in mundo futuram. Undè licèt ad extremum, quod initio affirmâram, ceu pleniſſimè demonstratum, colligere: nimirum, si nihil reperiatur in mundo per se potens existere, impossibile omnino futurum, quidquam rerũ in mundo, ac proindè ipsum mundum existere: sed, ut dentur entia secundaria, & quæ per alterius operationem existunt, debere necessariò primum aliquid dari, quod externi nullius principii egens, à se ipso duntaxat, pérque propriam virtutem existentiam suam habeat.

8. Quemadmodum igitur descendentes obtutu per Titi amphitheatrum, vel aliud similis magnificentiæ ædificium, quærentésque inter nos, quonam pacto immania illa saxa, quæ ab imo usque ad verticem, aliis alia superposita, giganteam illius molem compo-

nunt,

nunt, firma possint atque immota in situ tam sublimi perstare; cernimus ea de causa id accidere, quia eorum unumquodque ab alio inferiùs succedente fulcitur, & omnia postremò super fulcrum desinunt, per se firmum atque immobile, nec ab alio sustentari indigens, cujusmodi est terra, ad quam devenientes concludimus, hoc esse unicum molis totius, omniúmque illius partium fulcrum: quo sinè fieri nullo modo posset, ut ullus ex vastis iis lapidibus, ceu nequaquam suapte natura immobilis, vel se ipsum, vel alios sustentaret; sic, cogitatione ascendentes per quamcunque rerum creatarum, putà hominũ speciem, exigentésque nobiscum, undenam quisque eorũ, quanquam existendi per se impos, in lucem emerserit; deprehendimus, indè id evenire, quòd, qui hodie esse cœpit, suo à genitore existentiam acceperit, & hic rursus ab alio, atque ità gradatim, donec perveniamus ad principium, alio superiori non indigens, sed à se ipso, pérque meram virtutem suam habens, ut sit, cujusmodi DEUS tantummodo est: & hanc demum principem esse causam concludimus, unde cætera omnia prodierint, & sinè qua nulla inferiorum causarum aut existere potuisset, aut aliis existentiam tribuere: secundùm certissimum Philosophi effatum, nul-

lo modo fieri posse affirmantis, ut nisi prima aliqua detur causa, ulla quæpiam ex secundis, atque inferioribns detur. *Quare, si primum nihil est, omnino nulla causa est* (L. 2. Metaph.)

9. Atque hoc super principio communis illa hominum persuasio fundatur, ubicunque ultimum aliquid, mediúmque appareat; non posse ibi primum deesse. Quò fit, ut naturali quadam mentis aversione repudiemus tanquam impossibile, & rationi contrariam omnem causarum seriem, ubi ab una ad alteram sinè ulla reperiendæ ultimæ spe procedatur. Quemadmodum etiam hinc oritur acre illud, quo omnes flagramus discendi, sciendíque studium, pertingendi videlicet ad ignotam effectuum notorum originem: tunc solùm, ceu Philosophus scribit, *putantes unumquodque cognoscere, cùm causas primas cognoverimus, & principia prima, usque ad elementa.* (L. 1. Phys.) Neque ideo contenti proximas tantummodo detexisse causas, sed pergentes porrò ulteriùs, atque ulteriùs rimari, quoad unam illam tenuerimus, quæ à nulla superiori profluit, & è qua omnes reliquæ, ceu rivi è suo fonte promanant. Quod si nulla hujusmodi posset deprehendi, sed quantumcunque mens multas, ab alia in aliam progrediens, assecu-

ta

ta esset, plures semper restarent, citra ullum finem quærendæ: quotusquisque non videt, omem tunc è mundo sublatum iri scientiam: sciendique appetitum, ceu qui escam reperiri impossibilem quæreret, stultissimum fore, nec alia, quàm nos excruciandi causâ, nobis à natura insitum? Quæ cùm externis quibuslibet corporum quà gravium, quà levium motibus suum, in quo conquiescerent, assignaverit terminum; solis illum denegâsset humanæ mentis motibus: damnatæ hoc pacto ad perpetem illum irriti laboris circuitum, quem in Sisypho, & filiabus Danai propriam inferorum pœnam existimârunt Poëtæ.

10, Quid plura? allatum modò argumentum tam evidens est, ut ipsimet Athei nullam, ùt suprà dixi, invenientes ab eo expediendi se viam, fateantur demum, aliquam in rerum universitate primam, & per sese existentem causam dari necessariò debere. Quamvis altera ex parte, cùm perfectissimum, & infinita intelligendi, agendique vi pollens DEI esse perhorrescant; negent, ullam indè admittendi illius necessitatem sequi: eò quòd scilicet producendis, qui in mundo cernuntur, effectibus, satis esse, absque alio excelsiori principio, possint sive elementorum, & cælestium orbium natura, sive fortuita innumerabilium

conjunctio atomorum, quæ infinito jam tempore hac illac per vacuum errantes, ceu in plurimas pridem alias, abnormes & inordinatas ſpecies coaluerunt; ità hanc demum ingentem, pulcherrimam molem, quæ mundus appellatur, ſolo caſu dirigente condiderint: & priſtinam ſeriem, ac ſitum identidem variando, illorum effectuum ſint cauſa, qui alii quotidie, aliíque in ea ſpectantur exiſtere. Talis eorum deliratio, & hoc eſt miſerabile aſylum, in quod ſeſe à DEO fugitantes recipiunt, tartareis deteriores ſpiritibus, cùm hi ſupremam Conditoris ſui majeſtatem, quia credunt, formident; *Dæmones credunt, & contremiſcunt* (Jac. 2.) ipſi verò eandem, quia ſuorum quaſi ſcelerum vindicem expaveſcunt, non credant, imò, ut veriùs loquar, contra diſertiſſimam ſuimet animi teſtificationem conentur non credere. Qui, ſi quemadmodum pro viribus ſtudent, omnem illius ſcientiam & finem ſuis à mentibus ablegare; ità poſſent illi exiſtentiam, vel ſaltèm ſupremum in res humanas dominatum auferre, nullus dubito, quin ſacrilegum id conſilium ſinè ulla cunctatione perficerent. Sed contendant miſelli, quantùm valent, DEUS quippe nihilominus perget ſemper DEUS eſſe, ens ſcilicet neceſſarium, & totius univerſitatis Rector. Utque illum ſpo-

spoliare increata existentia sua nequeunt, sic frustrà laborant, splendidissimum primi rerum principii decus ipsi eripere, atque in causas tam ineptas transferre.

11. Nam, ut earum posteriorem, fortuitam nempe atomorum conjunctionem, ad examen primò vocemus; quemnam, rogo, reperire unum in universo hominum genere erit mentis tam fatuæ, ut non dicam, sibi persuadeat, & vel tenuissimè suspicetur, cælos elementa, & quidquid præterea rerum cernimus, effectum esse causæ penitùs cæcæ, & omni intelligentia, imò etiam sensu carentis? Certè hæc mundi universitas opus est tam mirabile, tantóque artificio compositum, ut non modò tota ipsa, sed vel minima quæque illius partium celeberrimis omnibus mortalium opificũ monumentis elegantia & venustate antecellat. Si ergo præstantiora humanæ artis opera, putà Vaticanum Apostolorum Principis templum, aut Virgiliana Æneis à nemine existimari possunt, sinè ulla attentione & industria, temerè ac fortuitò facta; sed quicunque illa observat, omni procul dubio arguit, esse effectus & labores artificis peritissimi, quique in iis conficiendis summo ingenii, atque studii conatu usus sit; quantò dicendum idem justiùs videtur de opere tam eximio, quàm amplissi-

ma hæc rerum universitas est: cui, ùt Plinius observat, (*L. 2. c. 4.*) *à perfecta absolutâque elegantia mundus* nomen Latini fecerunt, quemadmodum propter tot, támque varia, & exquisita ornamenta κόσμον nuncupaverant Græci? Et, si hominis effigiem respicientes, à Polycleto, vel Praxitele aliquo perquam graphicè exsculptam, nullo modo fieri potuisse arbitramur, ut imperitus puer quisquam scalpro temerè utens, & alia interim omnia cogitans, talem eam conformaverit; quonam pacto credemus, ipsum vivum hominis corpus, in quo tantò plus artificii apparet, quàm in mortua externæ duntaxat configurationis suæ imagine authorem sui casum habuisse: opificem, imperitissimo quovis puero imperitiorem, utpote omnis sensûs, omnísque artis, consilii, & animadversionis expertem? Minimè, minimè, exclamat Trismegistus. Nimis quippe incredibile est, à maximè informi, & exlege causa ordinatissimum, pulcherrimúmque effectum produci. *Ordo fieri à deformitate nequit.* (*Pim. c. 5.*) Minimè excipit Aristoteles. Nam, *ubi plurima mens & ratio, ibi fortuna minima.* (*L. 2 Magn. Mor. c. 9.*) Quare alienissimum ab omni specie veri est, totum ibi assignare fortunæ, ubi nihil non summo consilio effectum apparet. Minimè, subjicit Balbi

bi ore Marcus Tullius. Quomodo enim peragi sinè aliqua mente illud opus potuit, cujus admirabile artificium nulla mens potest dignè æstimare, & ad plenum comprehendere. (*L. 2. de Nat. Deo.*) *Quæ natura mentis & rationis expers hæc efficere potuit, quæ, non modò, ut fierent, ratione eguerunt; sed intelligi, qualia sint, sinè summa ratione non possunt? Aut quis hunc hominem dixerit, qui ea casu fieri dicat, quæ, quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus?* Nec omittendum, ad probationum huc usque adductarum coronidem, Chrysippi argumentum videtur, nulli alteri subtilitate secundum, & evincens. Si opus aliquod videas, ipse ait, quod perficere scientia, ingenium, & industria nullius hominis valeat, næ confestim, & sinè ulla dubitatione affirmabis, authorem illius præstantiorem homine esse. Atqui sphæræ cæleſtes, aliæque substantiæ, è quibus mundus contexitur, ejusmodi sunt, ut ad earum effectionem pertingere nulla hominum ars & solertia, quantocunque ingenii, & studii sui usu queat. Licet ergo concludere, illarum authorem (*Ibid.*) *esse aliquid homine melius.* Cujus igitur esse generis hoc principium dicemus, quod rationali hominum naturæ cogimur anteferre? *Id autem quid potiùs dixerim, quàm DEUM?* subdit Chrysippus: *Id autem quid*

potiùs dixerim, quàm casum? subdit Democritus. Judicandum cuivis relinquo uter eorum rationi congruentiùs, & saniùs.

12. Sed progrediamur ulteriùs ad rationem refellendam, qua adversariorum opinio, tanquam fundamento suo nititur. Quemadmodum (inquiunt) ex innumeris dispositionibus, secundùm quas ordinari possunt characteres, unde Homerica Ilias contexitur, negari non potest, unam esse hanc peculiarem, secundùm quam in ea ordinati re ipsa cernuntur; sic neque inficiari possumus ex innumerabilibus modis, secundùm quos atomi mundum componentes necti inter se possunt, unũ hunc esse, secundùm quem in eo nunc nectuntur. Sicut ergo, si omnium illorum characterum formæ infinitis vicibus temere permiscerentur; diversas omnes, secundùm quas ordinari possunt, dispositiones fieri contingeret, & proinde inter alias hanc quoque, secundùm quam in Homerica Iliade nunc ordinantur; simili ratione, cùm atomi, unde mundus componitur, per totam retrò æternitatem temere hac illac in vacuo volitaverint, infinitísque vicibus diversimodè inter se concurrentes, infinitos diversi generis nexus sortitæ fuerint; dicendum necessariò est, diversis omnibus modis, secundùm quos conjungi possunt,

sunt, fortuitò conjunctos fuisse: unde mirum non sit, si post alias atque alias conjunctiones inordinatas atque abnormes, hanc quoque tam elegantem & concinnam, quæ in præsenti rerum universitate cernitur, quæque inter omnes una erat, formaverint. Verùm enimverò nihil in hac eorum conclusione solidi est, nihil quod legitimè probatum & confectum videri possit, quódque veri, non dicam pondus obtineat, sed vel speciem præseferat. Unde enim, quæso, habent, quod fidenter adeò, & sinè ulla probatione, quasi certum statuunt, innumeram partium multitudinem, si infinitis vicibus quomodocunque, quamvis temere & incogitanter permisceatur, composituram, quidquid diversorum corporum seu casu & fortuitò, seu per consilium, atque artem ex ea potest componi? Nempe, hoc admisso, sequeretur, posse evenire, imò etiam necessariò eventurum, ut, si quispiam fingatur, eversi funditus regalis palatii rudera infinitis vicibus huc illuc, quocunque casus tulerit, projicere, temerario ejusmodi jactu aliquando iis tribueret, nedum artificiosam illam dispositionem & structuram, quam in stante palatio pridem habuerant; sed & omnes itidem alias, quas ab excellentissimis quibusque architectis possunt accipere: atque ità non modò reædi-

ficaret palatium, quod ex iis fuerat constructum; verùm etiam construeret, tametsi nihil cogitans, & quid, aut quo pacto agat nesciens, quotquot alia palatia, templa, theatra, & cujuscunque alterius generis ædificia ex iisdem illis ruderibus, aliter, alitérque dispositis excitare possit omnium hominum, imò & omnium Angelorum solertia. Quod adeò incredibile prodigium cui unquam comminisci vel audacissimo fabulatori venit in mentem? aut in cujus fabricantis cerebro repræsentatum unquam est è plusquam poëtica, & nihil non monstri effingente somniorum licentia? Respondeo itaque, si, quotquot sunt in typographicis officinis, characteres infinitis vicibus sinè lege, & consilio in latissimam aream simul omnes effunderentur; secuturum hinc quidem, ut jam hac, jam alia, aliáque inter se conjunctione omnes struant ordinationes ac series, in quas è causa sensûs experte, cujusmodi est casus, possunt disponi, series nimirum, ordinationésque anomalas, rudes, abnormes: at nunquam indè eventurum, ut omnes omnino struant, quæ quomodocunque possibiles sunt, & in quas possunt à quibuslibet causis disponi: nempe illas etiam, sibi usquequaque respondentes, & ad continuatam certarum rerum significationem scitè accommo-

modatas, quas in tot editis hactenus libris, hominum consilio dirigente, struxerunt, inque aliis pluribus possent, ab eodem directi, adhuc struere: & proinde, quamvis per totam æternitatem pergerent infinities, sed citra ullum artis moderamen, variare situs, & nexus; nunquam composituros vocabulorũ seriem, à capite ad calcem omnino eandem cum illa, quam in carmine Homeri componunt: quin imò ingentis speciem miraculi fore, si mille inter prorsus inconditas, & vel nullius, vel ridiculæ & absurdæ significationis syntaxes, duos alicubi, aut tres versus contexerent, neque illos elegantiâ,, & majestate Homericis pares, sed certum aliquid vel obscurè, impropriéque significantes, & ad metri normam quomodolibet factos, quales à pueris, inter prima poëseos rudimenta consueverunt procudi. *Nunquam enim*, ceu sapienter pronuntiatum à Cicerone est, *perfectè veritatem casus imitatur.* (*L. 1. de Divin.*)

13. Neque profectò sentire aliter potest, quisquis duo hæc principia probè cognita habet: nempe & casum suapte natura imperfectiorem arte esse; &, quantò minor est causarũ perfectio, tantò etiam minorem, & angustioribus circumscriptam terminis earum in operando vim esse, ut proinde imperfectior neque-

queat ea omnia efficere, ad quæ perfectioris virtus porrigitur. Principia sanè ambo nemini obscura, & ex quibus manifestè colligitur, nullo fieri modo posse, ut casus, qui penitùs cæca, & omnis sensus expers causa est, ultra constitutos à natura imperfectiori virtuti suæ limites prodeat, & causarum, quæ secundùm artis leges operantur, altioríque generis sunt, efficacitatem adæquet: prout illam revera adæquaret, si omnia, quæ ab iis fiunt, posset efficere. Cujus rei veritatem satis cæteroqui per se notam, si quis cernere adhuc apertiùs cupit; age, luteum quodpiam sigillum minutatim conterat, collectúmque indè pulverem pergat millies, ac millies intrà vas aliquod, sinè ulla lege, dextrorsum, ac sinistrorsum quatiendo permiscere, contingétne, rogo, ut hic toties totiésque situm, & dispositionem partium commutans, sortiatur aliquando eandem figuram, quam priùs in sigillo obtinebat, aut aliquam ex tot aliis, quas sciens figulus artificioso motu illi posset tribuere? Nunquam enimverò id contigerit, sed quotcunque, & quantumlibet variæ dispositiones partium ex temeraria illa concussione proveniant; nihil ulla earum pulchri, & concinni exhibebit, nihil in ulla, præter confusam informémque pulveris congeriem spe-

ctabitur. Namque hæ demum compositiones sunt motûs irregularis propriæ, neque ultra hos effectus illius natura, atque virtus extenditur. Si ergo fieri minimè potest, ut ex fortuito corporum motu omnes illæ dispositiones figuræque oriantur, quas per regularem motum producere ars solet; quantò fieri poterit minùs, ut naturæ opera indè existant, ad quorum effectionem etiam scitissima quæque partium dispositio per se unam non sufficit, quibúsque producendis nè ipsa quidem ars, quamvìs casu longè perfectior atque efficacior, par est: quæ imitari quidem potest animalium, aut florum exteriorem figuram, sed vera animalia, verósque flores nullo effingere potest suarum virium conatu? Quapropter, etiamsi concederemus, potuisse atomos fortuito suo discursu dispositionum omnium, quæ in tot mundi corporibus tam concinnæ & elegantes cernuntur, causã esse; neque tamen post concessionem tam gratuitam, sequeretur, mundum ab iis esse conditum secundùm meram solummodo figuram & speciem: quatenus inter corpora ab ipsis formata, & hæc, è quibus mundus componitur, illud discrimen intercederet, quo vivum animal à suo differt simulacro, & cadavere.

14. Ad-

14. Adde, quod præter illas singulares substantias, seu plantarum, seu brutorum, seu hominum, quæ in prima mundi procreatione extiterunt, innumeras quotidie alias videmus subnasci, primis iis, nec naturâ dissimiles, nec opificii elegantiâ impares. Quidnam ergo? adeóne faciles, ad alia super alia impossibilia admittenda erimus; ut unumquodque etiam ex hisce tam quotidianis, & miris operibus concedamus ex fortuito atomorum concursu progigni? An potiùs tot deliriorum tandem pertæsi negabimus, tanquam rem omnino incredibilem, fieri posse, ut causa sinè mente atque sensu, nec proinde ad effectus tam artificiosos vel semel producendos idonea, pergat assiduè pari, & nunquam titubante successu alios atque alios sinè numero ad eandem exquisitissimæ artis normam exactos, & suis omnibus numeris absolutos producere? enimverò, si hæc ità se haberent, casus nullo modo casus jam foret, sed dicendus esset priorem suam naturam atque essentiam mutâsse. Hactenus siquidem sub hoc nomine nihil intellectum est ab hominibus aliud, quàm principium heteroclitum, cæcum, delirans, & in quo miraculi simile posset videri, si mille inter absonos atque exleges effectus, nescio quo pacto unumquempiam cum aliqua imperfecti ar-

artificii ſpecie produceret. *Quæ fortuitò eveniunt, non plerumque, ſed rarò eveniunt*, Peripateticæ cortinæ oraculum eſt. (*Ariſt. in Lib. Poſter.*)

15. Et tamen neque hìc deſinunt vaniſſimæ opinionis portenta. Si enim hæc naturarum diſpoſitio, & varietas, quæ in mundo cernitur, & mundum conſtituit, ex mero caſu profecta eſt; undenam, rogo, fit, ut tot annorum millibus adeò immota, & ſibi ſimilis duret: neque repente diſſolvatur, ínque aliam diverſam mutetur, ceu diſſolutæ, & mutatæ ſunt innumerabiles aliæ, quæ, eodem caſu authore, per totam retro æternitatem præceſſêre? Unde etiam fit, ut in nulla ex præcipuis mundi partibus ejuſmodi novitas & mutatio unquam contigerit: ità ut aliquo ex tot ſæculis viſus ſit celſiſſimus mons in plano repente attolli: aut alter ſol ſubter lunam enaſci, aut hæc temporis momento deficere, ínque alium terreſtrem globum converti? Nemo eſt certè, qui neſciat, præcipuam inter casûs proprietates, quæque ab illius operandi ratione ſeparari nequeat, eſſe mutabilitatem, atque inconſtantiam. Quapropter, ſi mundus, quæque in eo ſunt peculiares ſubſtantiæ non nisì ab eo fabræfactæ eſſent; cogeremur perpetuo in metu verſari, nè atomi, ex quibus

ter-

terra coagmentatur, ceu fortè inter se coierunt; sic fortè ab aliis aliæ discedant: ipsáque adeò sub pedibus nostris, quando id minimè cogitabimus, labefactata, & deficiens evanescat. Imò justam insuper haberemus timendi causam, nè ipsummet nostrum corpus, quod ex præsenti atomorum inter se nexu constituitur, per fortuitam hujusce nexûs mutationem solvatur, & veluti casu hominis corpus nunc est, ità casu mox in arborem aut saxum vertatur. Quæ phantasiæ & metamorphoses possunt quidem permitti Poëtæ, Lectorum delectationem fabulosa novitate aucupanti, nullo certè modo Philosophum decent, qui seria disputatione veritatem requirat.

16. Quamobrem Atheorum alii, omnimoda casûs inhabilitate ad rerum generationem, & conservationem palàm perspecta naturam ei subrogant: prædicantes, hanc esse universale principium, quod mundum & primò condiderit, & conditũ hucusque pergat sustentare ac tueri. Sed contra ipsos quoque, & novum hoc ab eis erectum idolum redit in aciem illud idem argumentum, à quo profligatus suprà est, cum levibus innumerabilium suarum atomorum manipulis, casus. Si enim sub magnifico naturæ nomine nihil aliud intelligunt, præter cælos, sidera, aërem, terram,

ram, aquam, cæteráſque id genus ſubſtantias, quæ ſenſibilium effectuum generationi operam, & virtutem ſuam commodant; quonam hæ modo ſuſtinere unquam poſſunt impoſitũ ſibi munus primarii in ampliſſima hac mundi officina effectoris? Cùm certiſſimè conſtet, nihilo illas atomis minùs eſſe mentis expertes, ineptáſque ad operandum ex idea, ex ratione, ex conſilio, adeò ut cognoſcant ſuos effectus, & modum agendi, quo ad eorum productionem uti oporteat. Nimis, ah nimis diſconvenit inter opera tantum artificii, concinnitatíſque præſeferentia, quantum hæc præſeferunt, quæ in rerũ univerſitate admiramur, & cauſas omni arte, ſcientiáque vacuas, quales ſunt prædictæ ſubſtantiæ. Quocirca, ſi in ejuſmodi operum efficientia locum ipſæ aliquem habent; non poſſunt profectò habere locum principis cauſæ, ſed inſtrumenti ſolummodo impulſi, & gubernati ab externa ſuperiori virtute: à ſapientiſſimo ſcilicet quopiam artifice, qui, quaſi earum mens, earum oculus, eárumque regula ad finem, quem per ſe ignorant, certo tramite eas ducat: ſimiliter ac penicilli, & colores, quibus utebatur Zeuxis, cùm neſcirent, quid ſit pulchritudo, quídque agere neceſſe ſit, ut ea rite exprimatur, nullo pacto idonei per ſeſe fuerunt, ad

eam Helenæ effigiem pingendam, quæ non minus artis miraculum habita est, quàm vera Helena miraculum naturæ haberetur: sed quidquid artificiosum & elegans in ea tabula cernebatur, à Zeuxidis ingenio & scientia profectum est, qui, secundùm bene conceptam mente ideam, illa instrumenta adhibuit, & cujus ea prudenti consilio ac regimini, cur ità moverentur, ignara cæcam prorsus operam commodârunt.

17. Præterquam quòd, etiamsi id genus substantiæ intellectu & scientia præditæ essent; neque sic tamen, propter alios peculiares suos defectus, primum esse possent mundi seu creandi, seu conservandi principium. Non creandi; quia, cùm pleræque corruptioni sint obnoxiæ, necessarium, æternúmque esse non habent, quale cæteroqui ad primæ causæ rationem requiritur: sed neque conservandi, nam neque ulla peculiaris natura, nisi ab altiori motore quopiam regatur, aliò, quàm ad privatum suum bonum, & finem suis motibus tendit; & nonnullas ex naturis ejusmodi cernimus, finem, atque instinctum habere, aliarum fini, atque instinctui omnino contrarium. Quocirca cuinam credibile videatur, turbam causarũ adeò inter se non modò diversarum, verùm etiam discordium esse habilem per se posse ad constituendum ordinem tam harmo-

ni-

nicum, tam perfectum, támque sui semper similem, quàm ille est, quem hæc rerum universitas tot jam ab exortu suo annorum millibus retinet? Apage, apage opiniones tam absurdas, clamat Boëtius. (L. 3. *de cons. pr.* 12.) *Mundus hic ex tam diversis, contrariisque partibus in unam formam minimè conveniisset, nisi unus esset, qui tam diversa conjungeret. Conjuncta verò naturarum ipsa diversitas invicem discors dissociaret, atque divelleret, nisi unus esset, qui, quod nexuit, contineret.* Tantùm certè abest partium discordia à toto quopiam in stabili unitate continendo; ut, quamvis externum aliud principium in hac illud constituisset, ipsa sola nihilominus, ad eam quàm citissimè dissolvendam, sufficeret, ceu in nostromet corpore videmus contingere: quod, quia humoribus, & qualitatibus invicem contrariis temperatũ, quamvis & animam prospicientem incolumitati suæ habeat, & sexcentis medicæ artis fulciatur præsidiis; nequit tamen, nisi ad paucos annos, in habitu & tenore conservationi suæ necessario perstare. Quare, nisi locò mundi rite ordinati, chaos habere confusissimum volumus; necesse nobis est, ad supremi alicujus, & maximè universalis principii moderamen confugere: quod arte plusquam humana, vel cogat peculiares naturas, quan-

docunque usus id exigit, communi potiùs, quàm privato suo bono servire; quódque mirabili adeò ratione eas ordinaverit, ut, licèt diversos, imò etiam pugnantes inter se instinctus, finésque habeant; unaquæque tamen, dum ex naturali instinctu ad proprium suum bonum, & finem tendit, ordini, unitati, & conservationi totius famuletur.

18. Sin verò naturæ, quæ mundũ fabricata, eundem gubernat, nomine mentem intelligunt, increatam, perfectissimam, sumꝫæque sapientiæ ac virtutis, quæ & naturas quasque peculiares condiderit, & conditis assiduè præsit: dirigens singulas, vel tanquam fabrûm præfectus suas operas, vel tanquam artifex suæ officinæ instrumenta ad productionem effectuum, quorum ipsæ nec idæam habent, nec modum, rationémque noverunt; si talis, inquam, natura est, quam intelligunt, jam inter nos convenit: posúmque illis dicere, quod D. Paulus ignoti DEI cultoribus, (*Act. 17.*) *Quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* Nempe hoc principium ab aliis constitutum, illum esse ipsissimum DEUM, quem ego hactenus revera in mundo existere ostendi: qui, sicut prima est, atque universalis omnium causa; sic propriissimè etiam prima dici potest, atque universalis natura: adeò ut nihil aliud sit,

ità

ità eum nuncupare, quàm mutare ipsius nomen: quemadmodum nihil aliud, quàm solis nomen mutat, qui eum principem siderum, aut diei patrem appellat. Idque responsum rite à Seneca est nonnullis, qui præclaras sui animi, atque corporis dotes naturæ malebant, quàm DEO acceptas referre. (*De Benef. L. 4. c. 7.*) *Natura*, inquit, *hæc mihi præstat. Non intelligis, te, cùm hoc dicis, mutare nomen DEO? Quid enim aliud est natura, quàm DEUS, & divina ratio toti mundo, & partibus ejus inserta?* Quapropter, si quis est, qui naturæ nomen in splendidiori hoc sensu accipiens, ipsi tamen potiùs, quàm DEO, primi & universalis rerum principii decus attribuit; is procul dubio pugnantia invicem loquitur, nec veritati magis, quàm sibimet contradicit: ceu Lactantius Firmianus hisce, vel suis, vel citati modò Senecæ verbis illi exprobrat. (*L. 2. c. 8.*) *Cùm igitur ortum rerum tribuis naturæ, detrahis DEO; in eodem luto hæsitans versuram solvis. A quo enim mundum fieri negas, ab eodem planè fieri, mutato nomine, confiteris.*

19. Et hæc dicta sint circa primam propositionis partem, in qua ex principiis ipsiusmet rationis humanæ deducendum susceperam, non posse DEUM, nisi à se ipso, habere ut existat: & revera in mundo existere, ut

principem causam omnium, quæ sunt, Progrediendum jam est ad secundam, nempe ad alteram DEO item uni convenientem prærogativam, ut ens sit omnino necessarium, neque actu existendi carere unquam possit. Quod entis necessarii decus, quamvis à primo entis increati nullo pacto dividi queat, satisque proinde per illius probationem videatur assertũ, libet tamen illud adhuc per sese, & peculiari argumento probare. Sic itaque arguo: quod possibile ex natura sua est, nullo pacto potest contingere, ut evadat omnino impossibile. Atqui si nullum in mundo ens necessarium existeret, quidquid in mundo est possibile, posset fieri omnino impossibile. Ergo fatendum est, debere in mundo aliquod ens necessarium existere. Syllogismus rem conficere satis videtur, dummodo media illius propositio vera esse ostendatur. Neque verò id tardum & difficile factu est. Nam, si nullum ens necessarium existeret, quæcunque in mundo sunt, ità essent, ut possent vel nunquam fuisse, vel deinceps non esse. Fac ergo, contigisse, ut nunquam fuerint; vel contingere, ut deinceps non sint. Nónne hinc palàm sequitur, nihil eorum, quæ sunt possibilia, ullo modo futurum possibile? sequetur profectò, sicut enim nihil rerũ in mundo tunc exi-

ste-

ſteret, ità etiam nihil exiſteret, à quo aliquid per totam porrò æternitatem produci poſſet: & ità omnium rerum exiſtentia non jam ultra maneret, qualis revera eſt, contingens, potens ſcilicet eſſe, aut non eſſe: ſed è præſenti contingentis, ac poſſibilis ſtatu in omnimodæ, ac perpetuæ impoſſibilitatis neceſſitatem transiret. Unde manifeſtò, quod probandum erat, colligitur, ſi nihil in mundo neceſſariũ ſit, nihil etiam certò poſſibile, & contingens futurum: ut proinde naturæ certò ac neceſſariò poſſibiles in eo exiſtant, aliquam neceſſariò exiſtentem naturam requiri, cujus firmitudini, tanquam ſolidiſſimo fundamento innixa reliquarum poſſibilitas, perpetuò, immobilitérque ſubſiſtat.

20. Video tamen duo effugia, per quæ Athei conabuntur argumenti hujus vim, quoad liceat evadere. Primum quidem, inficiando, poſſe unquam contingere, ut nihil rerum poſſibilium in mundo exiſtat. Quia, licèt ſingulæ ſint contingentes, earum tamen genus neceſſarium eſt: innato ſcilicet ſibi jure exigens, nè aliquod unquam, etiamſi contingens, principium deſit, à quo produci queat, & in cujus virtute, quaſi in ſuo ſemine, contineri jugiter pergat. Secundum, diſtinguendo poſſibilitatis duo genera, unum interius,

nec ab ipsa rerum contingentium essentia distinctum; alterũ exterius, ínque causarum eas producentium vi positum: quod, licèt his penitùs sublatis deficiat, & illæ propterea extrinsecùs impossibiles fiant, adhuc tamen, primo illo superstite, intrinsecùs possibiles permanent. Sed enimverò, utram libet viam insistant, nihil proficient. Nam primò, quòd ad hæc duo possibilitatis genera attinet, tam necessario, & indissolubili nexu ea sibi invicem copulantur; ut, ubicunque alterum existat, vel desideretur; ambo illic existere, vel desiderari sit necesse. Ac sicut, si aliquid intrinsecùs, & naturâ suâ sit impossibile, nulla unquam existet, aut existere poterit causa, illius producendi vim habens; ità è converso, si nulla sit, neque esse unquam possit causa, rei alicujus producendæ vim habens, nullo modo produci illa res poterit, sed omni possibilitate existendi carebit: adeò ut existentem, productámque affirmare sinè aperta contradictione non liceat. Finge, mundum nequaquam à DEO esse conditum, imò neque DEUM ipsum unquam seu extitisse, seu posse existere, omníque proin virtute operandi funditus, atque æternùm sublata, nihil usquam, nisi merum inane, & necessariam, ac perpetuò mansuram rerum omnium negationem, imò etiam im-

possi-

possibilitatem occurrere. Finge, inquam, animo hunc rerum statum: & vide, num in eo ullum possibilitatis genus tibi posses tribuere; an potiùs in omnimoda, & quanta esse possit maxima existendi impossibilitate tibi videreris futurus.

21. Neque plus quidquam præsidii habent in ente illo indefinitè necessario, quod à rebus per sese contingentibus ad possibilitatis suæ perpetuitatem exigi statuunt: perinde quasi hac ratione sinè ullo ente intrinsecùs, & suapte natura necessario, caveatur satis, nè illæ unquam omnino deficiant, hoc est è nativo, ac sibi debito rerum possibilium statu ad alienam, & oppositam impossibilium conditionem transeant. Commenta hæc sunt nullius ponderis, & magis facientia ad manifestandam imbecillitatem erroris, cui tanquam fulcra adjunguntur, quàm ad evertendam soliditatem veri, contra quod machinarum ritu adhibentur. Nam, si nulla reperiatur causa, per se ipsam exigens, necessariò, ac semper existere, sed omnes causæ suapte natura corruptioni & defectui subjaceant; quonam pacto illud rerum contingentium jus, nè aliqua unquam desit sui generis causa, cùm extra singulas quasque causas sit, neque idcirco earum naturam immutet, efficere poterit, nè illæ, si

quando casuum incidentium ratio sic tulerit, pro naturæ suæ conditione omnes deficiant? Nemo certè non videt, impossibile omnino esse, ut, quod suapte natura mortale, & obnoxium defectui erat, citra ullam sui physicam mutationem, ex mera vi alicujus sibi prorsus extranei, immortale ac perpetuum evadat. Fac igitur, in aliqua rerum exempli gratiâ hominum specie, duo tantùm, reliquis omnibus casu aliquo extinctis, individua superesse, quot scilicet ad eam conservandam, propagandámque sunt necessaria. Enimverò manifestum cuique est, per omnium reliquorum interitum duos hosce homines nihil esse in se ipsis verè, physicéque immutatos. Quæro itaque ex adversariis, num prædicto in eventu pergerent esse, quales naturâ suâ pridem fuerant, contingentes, & occidui; an derepente omnino necessarii, & immortales evaderent: adeò ut nulla adversa vis in eos quidquam valeret, sed in flammas conjecti, mille gladiis confossi, omni alimento destituti, vitam nihilominus prorogarent. Quid, quæso, respondebunt? num primum? atque jam ipsimet ultrò, & palàm confiterentur, suum illud inventum, de innato rebus contingentibus jure, nè unquam omnes omnino deficiant, déque ibi fundata indefiniti alicujus ea-

earum principii neceſſitate, ad earum poſſibilitatem ſartam tectam tuendam, ſinè aliquo ente intrinſecùs, & per ſe neceſſario, haudquaquam ſufficere. Num ergo alterum? atque ſic reſpondendo, contra manifeſtã veritatem ſtatuerent, poſſe aliquid, naturâ caducum & deficiens, ſinè ulla interioris habitûs mutatione, labefactari neſciam rerum perennium ſtabilitatem æquare. Quo admiſſo, ſupervacua etiam fuiſſet induſtria, qua DEUS animantium conſervationi providit, nonnulla cujuslibet ſpeciei ab univerſalis diluvii clade in Noëmicam arcam ſubducendo. Nulla ſiquidem non aquarum modò, ſed nec ignis diluvia ſatìs habuiſſent virium, ad ultimum ex quavis ſpecie par abolendum: utpote cui reliquorum omnium interitus nullis ſuperabile adverſis caſibus robur, & certam contuliſſet vivendi etiam inter extrema quævis diſcrimina neceſſitatem. Quapropter, nisì tam inepto & abſurdo erroris ſui præſidio uti velint; fatendum iis denique eſt, ad excludendam à rebus poſſibilibus impoſſibilitatem, opus eſſe principio, quod exigat per ſe ipſum ſemper exiſtere: ſuper cujus perpetua & immobili neceſſitate fundata contingentium poſſibilitas rerum, ſinè ullo deficiendi periculo,

ipſa

ipsa quoque necessaria, sempiterna, & immobilis perseveret.

22. Postremò dubitari non potest, quin hoc ens increatum, & necessarium, quod hactenus palàm fecimus, reipsa in mundo existere, sit DEUS, nec alteri, quàm ipsi tale esse conveniat. Nam si prærogativæ modò dictæ ipsi deessent, non jam ille esset, prout DEI nomen significat, substantia, qua nihil possit melius intelligi, ac propterea nec revera DEUS esset. Si verò posset illas quidem, sed ità, ut easdem cum alio item aliquo ente haberet communes; jam alterum illud ens par ipsi secundùm perfectionem, ac proinde nihilo, quàm ipse, minùs DEUS foret. Illâ siquidem decoraretur prærogativâ, quæ divinarum omnium perfectionum primaria quasi radix est, neque à germana DEI notione separari potest: ùt Ethnicus quoque ille sapiens, à quo Ægyptiorum Theologia literis consignata est, probè intellexit: non tantùm affirmans, (*L. 3. c. 3.*) *DEUM ens necessarium esse*; sed protinus etiam subjiciens, hoc nomine definitionem illius contineri: *siquidem hoc ipso describitur.* Und colligere licet illorum vesaniam, qui decus tam singulare, admirandum, ac prorsus divinum, quale est virtus per se, & necessariò existendi, nîl dubitâ-

tárunt communicare cum ſubſtantiis, ſenſu, & vitâ carentibus, quibúſque nihil eſt in rerum univerſitate imperfectius, corporibus nimirum cæleſtibus, & vili atomorum plebecula: infinita hoc pacto ſecundùm eſſe, ac DEO ipſi paria fingentes illa entia, quæ, ſi ad Philoſophiæ regulas exigantur, nulli non vermiculo & culici de naturæ dignitate, ac præſtantia concedunt.

23. Hìc porrò velim te, pie Lector, aliquantiſper conſiſtere, ut perſpicias, quàm immenſo DEUS intervallo, non tibi duntaxat, ſed & creatæ omni naturæ antecellat, tuum eſſe contingens cum illius neceſſario, tuum ab alio productum cum illius increato, nec nisì per ſe ipſum exiſtente componere. Quod ad priorem comparationis partem ſpectat; communis vitæ uſus nos docet, etiam abjectiſſimas naturâ ſuâ res, ſi neceſſariæ ſint, ad nobiliſſimarum æſtimationem atque pretium evadere. Quidnam aſinino capite ignobilius? & tamen, quia urgens cibariæ rei inopia vitæ alendæ neceſſarium effecerat, octogenis illud argenti denariis in Samaria veniiſſe, ſacra Regum hiſtoria (*L. 4. c. 6.*) teſtatur. Quid vulgaris aquæ hauſtu contemptius? & tamen hunc Lyſimachus, quòd ab hoſtibus circumſeſſus, omni potu careret, tanquam rem neceſ-

ceſſariam non minore, quàm regni & libertatis ſuæ pretio (*Plut. de ſanit.*) ſibi emendum putavit. Jam verò DEUS & excellentiſſimum eſſe habet, & neceſſarium præterea eſt creatæ cujuslibet rei, naturæque totius fulcimentum: cùm nos contra ſive homines, ſive Angeli, præterquam quòd eſſentiam habemus perangustis certæ unius ſpeciei limitibus definitam; non aliter in mundo ſimus, quàm ritu accidentis, *quod adeſſe, & abeſſe poteſt, præter ſubjecti corruptionem*, omnino ſupervacui, quibúſque tam exiſtere, quàm deficere, tantidem reliquæ univerſitati ſit. Quanta igitur cum reverentia, & ſubmiſſione animi verſari nos oportet ante illam tanto nobis, cæteríſque rebus omnibus eminentiorem ſubſtantiam? Pergamus in comparatione. Quodvis bonum, quantò eſt ſtabilius, tantò plus æſtimationis meretur; unde majore in pretio adamantem habemus, quàm vitrum, & pluris domum facimus vivo ſuper ſaxo, quàm ſuper mobilibus arenis extructam. Jam verò eſſe divinum ſua ſemper exiſtendi neceſſitate, non invictam ſolùm adamantum duritiem, ſed & corrumpi neſciam cælorum perennitatem exſuperat, nihílque habet, à quo conſervari egeat, ſeu deſtrui timeat. In ſumma eſt purum putum eſſe, in quod nullum jus nihilo con-

convenit. At noſtrum, nullo non fragiliùs vitro, nullo non flore caducum magìs, ſexcentis in ſingulas horas cortrariorum caſuum incurſibus patet, aſſiduéque ad interitum tendit. Quapropter neque verum eſſe appellari meretur, ſed aliquid potiùs in confinio entis, ac nihili poſitum. Quidnam igitur habere proportionis ad illud poteſt, à quo tanta dignitatis pretiúque intercapedine exceditur? denique nemo eſt, cui non major videatur opulentia, plenum rei alicujus dominium, quàm mera utendi facultas; imò cui, abſque pleno illo dominii jure, quiſquam poſſe videatur verè ac propriè opulentus vocari. Atqui DEUS, cùm ſuo, & quidem neceſſario jure exigat ſemper eſſe, pleniſſimum obtinet exiſtentiæ ſuæ dominium; nos verò noſtram, non nisì uſuariam, & commodatam habemus, alteriúſque ex arbitrio continenter ſuſpenſam. Quanta ergo illius ſupra nos dignitas eſt? Quotque cauſas vel ex uno hoc capite habemus, tum deſpiciendi nos ipſos, tanquam rem ſupervacuam, nullius momenti, caducam, mortalem, affinem nihilo, & alieno arbitrio ſubjectam; tum extollendi præcellentiſſimum eſſe divinum adeò creatæ rerum univerſitati neceſſarium, ut nihil, nisì ab eo fulciatur, ſubſiſtendi vim habeat: adeò

in existentia sua immobiliter fixum, ut nihil æquè impossibile, ac ejus negatio, excogitari possit: ità nullius dominatui obnoxium, ut in reliquas etiam res universas pleniſſimum dominii jus habeat?

24. Quid deinde, si post hujusmodi comparationem, nostræ contingentis cum necessaria illius existentia, ad alteram quoque entis una ex parte producti, & ex alia increati antithesim progrediamur: revocantes in memoriam, nihil ipsum ex toto infinitæ suæ essentiæ, ac perfectionis peculio, nisi per se ipsum, propriámque suam virtutem habere; nos verò in exiguissimo illo, quod sumus, quódque habemus, nè atomum quidem reperire posse, quæ illius beneficium, & opus non sit? Quantò hinc exinanietur magis nostri æstimatio? Quantò ampliora incrementa illius admiratio & reverentia capiet? O excelsissimum, & incomparabile singularis illius naturæ privilegium! O nusquam alibi auditam, & ubique prædicandam DEI Optimi Maximi gloriam! omnes scilicet ipso indigere; & eum unum sibi prorsus sufficere: omnes ipsi debere, quidquid sunt, & quidquid possident; unumque illum esse, qui omnibus omnia largiatur, à nemine quidquam accipiat: omnes demum non habere à se, nisi hi-

hilum; illúmque esse immensissimum fontem totius, quà suæ, quà aliorum essentiæ. Certè, etsi nullo alio nomine creatis quibuslibet rebus DEUS antestaret, non esset infinitus, non omnipotens, non imensus, neque ob tot alias, támque miras suas dotes, omnibus, quæ extra ipsum concipi possunt, superior, sed duntaxat ille à se ipso haberet suum esse, cætera verò omnia ipsius munere existerent; unum hoc decus abunde sufficeret, ut omnis amor, æstimatio, atque gloria nemini præter eum deberetur. Ac proinde, veluti virtus à se ipso existendi fons, quodammodo & caput est universæ illius excellentiæ; ità è contrario impotentia existendi, nisi per alium, præcipua totius nostræ humilitatis est ratio. Neque enim fieri potest, ut, qui eam in se agnoscit, quanquam eximiis naturæ dotibus reliquæ omni mortalium, imò & Angelorum multitudini superemineat, gloriari idcirco ausit, séque vel infimo eorum præferre. Cùm tam humana ratio, quàm fides divina ei palàm demonstrent, in quantocunque illo naturalium decorum cumulo nihil omnino reperiri suum, nihil, unde vel minimam mereatur laudem, nihil, quod à se effectum possit dicere, vel suo marte acquisitum, & non ab aliena potiùs benignitate, & munificentia in se derivatum.

Quod consequens per se cæteroqui manifestum, ut in exemplo aliquo adhuc manifestius fiat, imaginemur præstantem ludimagistrum varias à se elucubratas scriptiones scholæ suæ pueris recitandas distribuere. Num, quæro, ex his quemquam existimamus futurum, qui, scriptionis sibi assignatæ causâ, doctum sese, ingeniosúmque arbitretur: aut, quia fors excellentiorem, quàm reliqui condiscipuli, fortitus est, iis propterea se audeat ingenio, & scientiâ anteferre? Nullus sanè, nisi amentissimus sit, hujusmodi erit: sed, post partium distributionem, eandem prorsus eorum quilibet de sua facultate, & doctrina opinionem retinebit, quam pridē habuerat, & adhuc haberet, si nulla ipsi scriptio obtigisset. Certissimè enim novit illam, quæ sibi obtigit, totam unius magistri opus esse, nec aliter suam dici posse, nisi quia ab authore oblatam acceperit: quod sicut nullius habilitatis industriæque specimen est; ità neque laudis materia esse potest. Atqui hoc idem, expressum in re nostra, est videre. Omnes nos merum nihil eramus, nec quidquam aliud nobis suppetebat proprii. Supremus rerum Author, volens drama perpetuum, & sua dignum arte in temporis theatro exhibere varias nobis naturas, & dotes, suæ opus infinitæ sapientiæ,

& virtutis, totidem quasi personas distribuit. Quonam igitur pacto, qui compertum id habet, potest, citra summam dementiam, ob præclaras ab eo acceptas qualitates, magnificam sui opinionem concipere; aut aliis se præponere, quòd earum plures sibi contigisse, quàm iis videat; aut demum, post collata sibi hujusmodi munera, ampliori æstimatione dignum se ducere, quàm dignus fuerit, antequam ea acciperet, vel dignus foret, si etiamnum iis careret? Quinam in mente, hujus veritatis conscia, fastui esse potest, arrogantiæque, & superbis cogitationibus locus? An non meridiana clariùs luce hinc apparet, quòd quidquid præclari in hominibus est, totum uni DEO ad illius laudem, atque gloriam debeatur, nec possimus indè ullam nobis partem decerpere? Apparet enim verò: nam neque cuiquam laus & honor debetur, nisi, quia bonus est, nec quisquam dici bonus potest, nisi ratione bonitatis psopriæ, nec propriam habere bonitatem cuiquam, nisi DEO convenit. Ideoque quàm certum est illud Christi Domini effatum: (*Luc.* 18.) *Nemo bonus, nisi solus DEUS*, tam certò item constat, quod Apostolus, velut consequens indè erutum, scripsit: honorem nimirum & gloriam tributa esse, DEI unius propria: (1. *ad Tim. c.* 1.) *Re-*

gi ſæculorum immortali, inviſibili, ſoli DEO *honor & gloria.* Unde etiam duo alia ſcitu & obſervatu valde digna colligi poſſunt. Primum, cur ſuperbia vitium ſit adeò deteſtabile, & quovis alio deterius. Quia nimirum ſuperbus DEO præripit tum maximè proprios dignitatis ſuæ fructus, eam ſibi gloriam uſurpando, quæ ipſi duntaxat, velut unico bonorum omnium authori debetur; tum ipſammet divinitatem, nemini ſcilicet extra ſe ipſum accepta referendo, quæ poſſidet bona, ſibique vendicando omnimodam ab externa cauſa independentiam, quæ primariò divinam naturam à quavis alia diſcriminat, perinde quaſi quidam & ipſe in terris DEUS ſit: eorum exemplo, qui, cùm in Pſalmo undecimo gloriati eſſent, *Labia noſtra à nobis ſunt;* continuò, quaſi creatarum rerum ſortem ſupergreſſi addiderunt: *Quis noſter Dominus eſt?* Alterum, quod colligere poſſumus, eſt, nequaquam opus nobis eſſe, ut vitii hujus extirpandi, altiſſimæque conſequendæ humilitatis cauſâ, ullo artificii genere utamur, celando videlicet, vel minora veris fingendo, quæ à DEO accepimus decora: ſed, locò piarum ejuſmodi, ut ſic loquar, fraudum, ſat fore, ſi clarè compertum, firmitérque perſuaſum habeamus indubitabile hoc verum, quòd, quidquid

in

in nobis boni est, munus sit à DEO Optimo Maximo gratuitæ eleemosynæ ritu nobis collatum, quódque summa naturæ nostræ inopia, atque impotentia nihil aliud proprii possit ibi agnoscere, nisi quòd illud, mendicorum more, à divina benignitate acceperit: (*Vid. in 3. parte c. 26. a. n. 10. usque ad* 16.) quod, ùt quivis apertissimè videt, humilitatis potiùs, quàm superbiæ in animo pariendæ vim habet. Si ergo, pie Lector, elatior forte aliqua cogitatio, ob eximias corporis, vel animi dotes, unde aliis præstas, in tua mente consurgeret, facillimum tibi erit, eam confestim elidere, revocando in memoriam, & adversùm te contorquendo illud D. Pauli enhtymema, (1. *ad Cor.* 4.) *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Heus, quidnam hoc ineptissimarum cogitationum tibi venit in mentem? Numquid ob aliena decora dignum putas, te in pretio & honore haberi? aut ullum in te potes decus agnoscere, quod alienum non sit? Quodnam verò, si etiam ipsum esse, quo constas, nulla ex parte tuum est, qui nihil ad productionem illius contulisti, sed totum DEI, qui sua illud omnipotenti virtute ex nihilo eduxit. *Quid tam tuum, quàm tu? & quid tam non tuum, quàm tu, si alicujus est, quod es?* (*Aug. Tr. 29. in Joa.*)

Diſce igitur, in DEI donis, nempe in tuis bonis, partem diſtinguere, quæ ad te ſpectat, ab ea, quæ illi propriè debetur. Tibi, naturâ egentiſſimo, qui donum accepiſti, non poteſt convenire illius gloria, ſola convenire utilitas poteſt. DEO, qui nulla re indiget, doníque effector eſt, indè nulla provenire utilitas poteſt, ſola poteſt, ac debet provenire gloria; tota itaque ſuorum munerum utilitate ille voluit te frui: & hoc uno contentum te eſſe oportet. Gloriam, quæ ſibi uni debetur, tibi cedere non potuit; debes igitur hanc ipſi totam relinquere. *Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Et ô quis ardor me corripit, infringendi hoc eodem argumento ſublata contra DEUM Luciferi cornua, cùm eas temerarii recordor ſuperbiſſimas voces, (*Iſai. c. 14.*) *Similis ero Altiſſimo*? Quid ais paupercule? quid ais ſacrilege? quid ais dementiſſime? tu Altiſſimo ſimilis? Mittamus, quòd tuum eſſe anguſtis finibus claudatur; divinum nullos ſimiles novit. Iſtud ipſum eſſe finitum potéſne tuum meritò dicere? tuíſne illud viribus tibi parâſti? ullúmne ſuper illud certi & immobilis dominii jus habes? Vaniſſime, non aliud jure dici tuum poteſt, præter nihilum, in quo æternum jacuiſti, & adhuc jaceres, niſi

sì te ſupremus indè Author omnipotenti, ac miſericordi ſuâ dextera eruiſſet. Tu Altiſſimo ſimilis? tu non es per te ipſum plus, quàm muſca, aut vermiculus, non es per te ipſum plus aliquid nihilo. *Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

CAPUT XIV.

DEUM eſſe abſolutiſſimè æternum.

TErtia DEI prærogativa, quam illius originem indagantes deprehendimus, eſt negatio omnis principii, à quo ille exiſtere inceperit: utpote qui ante omnes, quæcunque poſſunt animo concipi ſæculorum ſummas, eandem, quam nunc, exiſtentiam habuerit. Prærogativa etiam iſta maximopere mirabilis, nec alteri congruens, quàm enti neceſſario, & increato, quale unus ipſe eſt. De ipſa igitur pergemus hìc aliquid dicere, quantùm imbecillitati humanæ fas eſt: quantùm ſcilicet homini ab exortu cæco fas eſſet, quid & qualis lux ſit, explicare. Cùm huic eſſe ſimillimus à D. Gregorio affirmetur, quiſquis mortali-

um in tractanda hac materia versatur, *Cùm enim homo in tenebris positus internum lumen, sicut est, nesciat, de æternitate differere cupiens, cæcus de luce loquitur.* (*L. 27. Mor. c. 25.*) Quòd si Lectorum quispiam post decursum hoc caput, etiamnum in obscuro hærere se dicat, quídque, & cujusmodi divina æternitas sit, minimè se assequi; nihil indè, quasi ex inopinato eventu, admirationis, aut ægritudinis capiam: cùm nunquam spe præsumpserim, planam & perspicuam rei tam abstrusæ cognitionem aut ipse animo concipere, aut aliis dicendo impertiri: sed D. Augustini verbis exhortabor hominem, nè & ipse ulla indè perturbatione afficiatur, quin potiùs, tanti arcani majestatem admirans, gaudeat, DEUM se habere, sua cognitione majorem. *Quid ad me, si quis non intelligit? Gaudeat & ipse, dicens, quid est hoc? Gaudeat etiam sic, & amet, non inveniendo invenire potiùs, quàm inveniendo non invenire te.* (*L. 1. Conf. c. 6.*)

2. Jam verò ut æternitas, secundùm absolutissimam illam rationem, quæ solius DEI propria est, concipi faciliùs possit; utile factu erit, eam priùs contemplari, nonnullis defectibus mistam, & qualem in creatis etiam rebus invenire, vel saltèm comminisci licet, per hos siquidem humiliores gradus paulatim ascen-

ascendentes, minori cum labore ad suprema enitemur fastigia: & infirmam mentis aciem in hæc, ut sic loquar, sidera defigentes, efficiemus, ut, moderatori eorum lumini assueta, immensos æterni solis fulgores patientiùs mox ferat. Ordiamur igitur ab ea æternitate, quæ minimè ardua intellectu est, vocatúrque in Academiis *à parte post*: eò quòd ex futuri temporis parte nullius termini patiens, ulteriùs usque, atque ulteriùs protenditur, cujusmodi est Angelorum, & rationalium animarum duratio. Verùm hæc, ùt cuivis patet, immortalitas potiùs meretur, quàm vera, germanáque æternitas dici: tum quia substantiis hoc pacto ævum ducentibus, ut omnino sint, & ad plenum æternæ, omne illud deest infiniti temporis spatium, quod earum creationem præcessit; tum quia, de hac ipsa loquendi sic dimidiata, atque mutila venturi solius temporis æternitate; in assiduo illæ potiùs cursu ad eam sunt, quàm vel pervenerint, vel perventuræ unquam sint, ità ut dici aliquando possint, infinitum jam tempus durando exegisse. Potiori jure æterna nuncupari mereretur substantia, quæ, licèt mortalis, nullum existendi haberet initium. Quamvis enim ex futuri temporis parte desineret, quod tamen ad præteritum attinet, gloriari

posset, ævo sese infinito vixisse. Sed neque huic infinito revera illius ævo solidæ absolutæque æternitatis nomen congrueret, eò quòd non nisì dimidiam complecteretur possibilis totius durationis partem. Reliquum proinde est, ut ambas hujuscemodi partes in una eadémque substantia copulemus, quam nullum fingamus sui ævi seu principium habuisse, seu finem esse habituram: cujusmodi esset Angelus, quem DEUS sibi coævum, & possibili quovis tempore anteriorem creâsset. Num hìc saltèm habebimus, quidquid ad plenam, omnibúsque absolutam numeris æternitatem requiritur? Haudquaquam, nè sic quidem habebimus: ídque ex gemino, ac permagni utroque momenti defectu. Primò nimirum, quia talis substantia neque ad temporis punctum permanere suis viribus posset, sed assidua conservantis DEI ope, extemplo alioqui desitura, indigeret: nec proinde ex certo quopiam suo jure, sed alieno duntaxat arbitrio sempiterna esset. Secundò, quia, tempora continenter permutans, nullúmque finem faciens è præterito transeundi in futurum; nullo totius ævi momento præsens sibi haberet, ac revera simul collectum possideret, quidquid infiniti temporis vel ante illud momentum præteriit, vel post idem sequetur; neque

que jactare unquam posset, totum sese æternum suum ævum tunc ducere. Semper quippe saltèm in futurum infinita supereſſet, novi, nondum ab ea delibati temporis series.

3. Age igitur, altiùs in rem descendamus: removentésque à propria & perfecta æternitate, qualis divina est, omnes hactenus memoratos defectus, statuamus tandem, eam esse, vel, prout à Boëtio definitur, (L. 5 *de Consol. Pr. 6.*) *Interminabilis vitæ totam simul, & perfectam possessionem*: vel qualem Ricardus à S. Victore expressit (L. 2. *de Trin. c. 4.*) *Diuturnitatem sinè initio, & fine, & carentem omni mutabilitate*; vel cùm D. Anselmo, (*Monol. c. 24.*) *Vitam interminabilem, quæ simul tota existit.* Ex quibus definitionibus synonymis, inque eandem conspirantibus sententiam, colligitur, duo ad perfectam æternitatem necessariò requiri. Primum, ut juxta voces, *interminabilis vitæ*, & *diuturnitatis sinè initio, ac fine*, nullum sive ab anteriori, sive à posteriori parte terminum habeat, nullum videlicet seu principium, ante quod non fuerit: seu finem, post quem futura amplius non sit. Alterum, ut, quemadmodum additur, *omni mutabilitate careat, & tota simul existat*: nimirum nè partibus constet, quarum aliæ aliis succedant, néve intrà se admittat *herì, & cras, prius, & poste-*

sterius, *præteritum*, & *futurum*, aliáſque hujus generis diverſitates, quas rectè Nazianzenus appellat, (*Or. 2. de Paſch.*) *Noſtri hujus temporis, fluxæque & caducæ naturæ ſegmenta*: Sed, quæ, & quanta ſecundùm longitudinem totius præteriti temporis fuit, quæque, & quanta ſecundùm longitudinem totius temporis futuri erit; eadem & tanta ſit in deſignabili quolibet temporis puncto, tota ubique ſibi præſens, tota ſimul ſemper exiſtens. Quod ut intelligi meliùs queat, obſervandum eſt cum Boëtio, (*De Trin.*) *præſens* unam eſſe & communem tam temporis, quàm æternitatis menſuram, ſed non eodem modo utriuſque. Nam *præſens* proprium temporis eſt *nunc currens*, ſcilicet *nunc*, quod vix ortum deficit, locum alteri proximo cedens, quod & ipſum pari celeritate cedit ſequenti: ut proinde nihil aliud ſit tempus, quàm ſeries continua diverſorum præſentium, quæ perpetuò aliis alia ſuccedant, ceu aquæ rapidi fluminis irrequieto curſu aliæ alias extrudunt *Neque enim conſiſtere flumen, nec levis hora poteſt: ſed, ut unda impellitur undâ, urgetúrque eadem veniens, urgétque priorem; tempora ſic fugiunt pariter, paritérque ſequuntur, & nova ſunt ſemper.* (*Ovid L. 15. Metam.*) At *præſens* æternitatis proprium, eſt *nunc permanens*, fixum, immobile, ſempiternum, nec ca-

cãpax habere ullũ aliud, quod vel præceſſerit, vel ſucceſſurum ſit: utpote quod ſeſe uno totum æternæ rei ævum conſtituit. Unde æternitas nequaquam inſtar temporis, ſemper eſt nova, ſed contrario prorſus modo ſemper eadem: neque variis, ùt illud fugitivis præſentibus texitur, ſed in uno tota conſiſtit ſemper ſtabili immotóque præſente: quod, licèt ſolum, & indiviſum, ſuâ nihilominus longitudine æquat, excedítque totam illam ſeriem iñumerabilium præſentium, quorũ perpeti deceſſione, & ſucceſſione tempus componitur, totámque itidem, *quaſi omnium durationum temporalium centrum ſimul, & circumferentia*, (*S. Bonav. tin. Ment. c. 5.*) in ſimplici, & ſemper fixa unitate ſua colligit. Quod utriuſque diſcrimen perquam commodè appoſitéque expreſſum à Platone eſt, ubi tempus appellavit, *æternitatis in unitate manentis, in numero fluentem imaginem.* (*In Tim.*) Eſt itaque æternitas, ſive ſecundùm negationem omnis principii, ſive ſecundùm præſentem infinitatem ſui *nunc*, & indiviſam ſimplicitatem, immotámque permanſionem ſui *ſemper*, contemplanda ſumatur, objectum præter modum inſolens, ſuáque novitate non admirationem ſolùm, verùm etiam terrorem menti noſtræ afferens: quæ nec invenit, quonam pacto rem concipiat, o-

mnia

mni anteriorem principio; &, veluti in noſtro labili tempore nullum præſens, nisi breviſſimum, nullámque longitudinem, nisi ex multis contextam præſentibus, reperit; ſic audiens æternitatem non nisi unicum præſens eſſe, difficillimum reperitur, eam omnibus ſæculis longiorem agnoſcere: rursúmque audiens, infinitè eandem protendi, neſcit cogitando apprehendere, quinam id fieri ſinè horarum, dierúmque numero queat: nec poteſt in ſumma non perturbari, & confundi, momentum conſiderans, ità prorſus indiviſum, ut ſit pariter uſquequaque infinitum: ità merè præſens, ut tamen cum præteritis quibuſque, & futuris ſimul exiſtat: ità denique nullum in ſe tempus admittens, ut nihilominus omnium temporum prolixitatem contineat. Quamobrem, ſi ampliſſimo de argumento verba facturus, dixit olim Romanus Orator, (*In Or. pro Leg. Man.*) *Hujus orationis difficilius eſt exitum, quàm initium invenire*; de æternitate cogitans, poteſt veriùs dicere, hujus conſiderationis tam impoſſibile eſt initiũ, quàm exitum invenire: imò juſtam quoque habet cauſam, cur addat, nullam hìc prorſus vel medii inveniendi facultatem ſuppetere: cùm æternitas ità ſit indiviſa atque ſimplex, ut, qui totum

non

non apprehendit, nihil de illa dicendus sit apprehendisse.

4. Sed, quantumcunque hic existendi, & durandi tam mirabilis modus nostræ mentis captum excedat, firmissimis tamen quà divinæ fidei, quà ipsius rationis humanæ argumentis compellimur DEO illum tribuere: pro indubitatissimo habentes, nec potuisse ipsum unquam incipere, nec posse unquam desinere, sed veluti necessariò semper fuit, sic necessariò semper fore: imò, prout scitè animadvertit D. Anselmus, propriè loquendo, nunquam fuisse, nunquam fore, sed semper tantummodo esse. (*Prosl. c. 18.*) *Non ergo fuit herì, aut erit cras: sed herì, & hodie, & cras est. Imò nec herì, nec hodie, nec cras est, sed simpliciter est extra omne tempus.* Siquidem infinitum illius *semper* nihil est revera aliud, quàm simpliciſſimum *nunc*, excludens à perfecta sua unitate omne prius, omne posterius, omnémque aliam ex iis qualitatibus temporis, quibus ob inopiam aptiorum specierum & vocum, noster seu intellectus in eo concipiendo, seu sermo in explicando uti solet. *Anni tui*, ità cum eo D. Augustinus loquitur, *nec eunt, nec veniunt. Isti autem nostri & eunt, & veniunt, ut omnes veniant. Anni tui omnes simul stant, quoniam stant, nec euntes à venientibus excluduntur, quia*

quia non transeunt. Isti autem nostri omnes erunt, cum omnes non erunt. Anni tui dies unus: & dies tuus non quotidie, sed hodie: quia hodiernus tuus non cedit crastino, neque succedit hesterno. Hodiernus tuus æternitas est. (L. 11. *Conf. c. 13.*) Et satis profectò, plúsque etiam, quàm satis aperta sunt testimonia, quæ de illius hoc existendi ac durandi modo sacræ nobis Paginæ exhibent. Tale est, quantum ad negationem omnis principii, ille Regii Vatis versiculus (*Ps. 89.*) *Priusquam formaretur terra, & orbis, à sæculo, & usque in sæculum tu es DEUS.* Tale itèm ille *antiqui dierum* titulus, qui in Danielis prophetia (*c. 7.*) ipsi attribuitur: cùm nemo indefinitè antiquus appellari possit, nisi qui sit omni tempore anterior. Nam, si ante omne tempus non extitit, aliquo tempore inceperit necesse est: cúmque incepit, antiquus certè dici non potuit, sed novellus & recens. At DEUS, quocunque spectetur tempore, sive in mundi exordio, sive millenis, & centies millenis ante exortum mundi annis, eandem semper antiquitatem præsefert, semper nobis, quasi *antiquus dierum*, objicitur, utpote qui vel tunc infinita sæcula, & totam, quanta est, æternitatem vivendo egerit. *Laudatur autem DEUS* (sic prædicta verba Dionysius accipit) *ab antiquitate dierum, quia ipse*

est

est omnium ævum, & tempus, ante ævum, & ante tempus. (*De div. Nom. c. 10.*) Circa verò remotionem omnis termini imposterum, non poterat significantiùs ea exprimi, quàm expressa sit iis Exodi verbis (*c 19.*) *Dominus regnabit in æternum, & ultrà.* Ubi nempe DEI duratio ex parte futuri temporis non æterna duntaxat, & sinè ullo fine, sed plùs etiam, quàm æterna, & infinita appellatur. Super quæ addit D. Paulus, hujusmodi infinitatem durandi propriam omnino ipsius esse, vocans eum (*1, ad Tim. c. 1.*) *Regem sæculorum*, supremum videlicet, nec ulli obnoxium interminabilis vitæ suæ Dominum: simúlque testificans soli ipsi convenire, ut per se ipsum, & naturæ suæ jure immortalis sit. (*Ib. c. 6.*) *Qui solus habet immortalitatem.* Res enim creatæ, vel quæ immortales vulgò audiunt, nequeunt dici immortalitatem suam per se habere, cùm tota hæc alieni sit arbitrii, atque juris: ceu de Angelis nominatim citatus paulò antè Dionysius scripsit, (*Ibid.*) *Immortales dicuntur Angeli, & rursus non immortales, quia non ex se habent, ut immortales sint.* Postremò Regius Psaltes, neque immutabilitatem perpetuæ, & tamen ejusdem semper vitæ, quæ à DEO agitur, sinè diserto, & peculiari testimonio reliquit: dum ipsum alloquens, non satis habet dixisse, (*Ps.*

101.) *Tu autem idem es;* sed protinùs subdit, *& anni tui non deficient.* Quod annorum illius privilegium si quæramus ex D. Augustino, ubinam propriè consistat, respondebit, consistere in permansione omnino immutabili, transacti, & futuri penitùs nescia, nec ulli subjecta earum successionum, ac vicissitudinum, inter quas paulatim atteruntur, aliique post alios deficiunt nostri anni mortales. (*In Ps.* 121.) *Anni nostri deficiunt, nec stant omnino. Nam & , qui venerunt ,jam non sunt; & , qui futuri sunt, nondum sunt. Jam illi defecerunt, & illi defecturi venturi sunt. Qui sunt anni, qui non deficiunt, nisi qui stant? si ergo anni ibi stant : ipsi anni, qui stant, unus annus est, & ipse unus annus, qui stat, unus dies est: quia ipse unus dies nec ortum habet, nec occasum, nec inchoatur ab hesterno, nec excluditur à crastino, sed stat semper ille dies. Et, quod vis, voca illum diem. Si vis, anni sunt: si vis dies est; quod cùm cogitaveris, stat tamen.*

5. Sacrarum Literarum oraculis humanæ rationis argumenta succenturiantur, tantæ & ipsa perspicuitatis, ut iis contradicere perinde esset, ac sua sese intelligentia abdicare. Cùm enim non alia afferri possit ratio, cur res creatæ hoc potiùs, quàm alio tempore esse incipiant, nisi quòd earum causa hoc potiùs, quàm alio tempore iis producendis ope-

operam dedit; quemadmodum DEUS à nullo externo principio habet, ut sit, sic concipi nequit, quanam de causa existere inceperit, nunc potiùs, quam antea, hodie potiùs, quàm heri, hoc potiùs tempore, quàm ante omne tempus. Præterquam quòd, ut probè argumentatur D. Bernardus, si aliquo tempore habuisset initium, à statu non existendi, in quo priùs versabatur, ad statum existendi transisset, quem deinde acquisivit, ac proin necesse esset, aliquam extitisse virtutem, quæ illum indè huc traduxisset. Atqui hæc omnino impossibilis esset: nam vel aliena esset virtus; eáque admissa, non jam dici prima omnium causa ille posset, vel suamet virtus esset; &, quod indè consequitur, nec sinè manifesta contradictione admitti potest, à se ipso ille esset productus. (L. 5. de Cons.) *Ex quo universum cœpit, ipsum profectò minimè cœpit. Nam, si cœpit, aliunde cœperit necesse est: à se enim cœpit nihil. Nisi fortè quis putaverit, quod non erat, dare sibi potuisse, ut esse inciperet, aut fuisse aliquid, antequam esset. Quod quia ratio non consentit; constat, nihil sibimet extitisse principium. Quod verò aliud principium habuit, primum non fuit. Verum ergo principium nequaquam cœpit, sed totum ex ipso cœpit.* Nec minùs perspicuè idem licet colligere ex eo, quòd DEUS est

ens neceſſarium, ens ſcilicet, cujus eſſentia, & poſſibilitas nullo pacto ab exiſtentia diſtinguitur. Palàm quippe hinc conſequitur, quemadmodum nullum reperiri tempus poteſt, quo ille cœperit eſſe poſſibilis, & ante quod non eſſet poſſibilis; ità neque reperiri ullum poſſe, quo exiſtere primùm cœperit, & ante quod non extiterit. Nè multa: quicunque entis increati, & neceſſarii naturam rite intelligit, omni procul dubio fatebitur, tale illud eſſe, ut vel nequeat ullo tempore exiſtere, vel omni priùs tempore debeat extitiſſe.

6. Quid porrò de negatione interitûs, atque finis dicemus? nonne & ipſa DEO evidentiſſimè convenit? convenit ſanè: tum quia eædem rationes, quibus evincitur, neceſſe eſſe, ut ex parte præteriti temporis ille ſemper extiterit; evincunt ſimiliter, neceſſe eſſe, ut ex futuri quoque temporis parte ſemper exiſtat, proin ſcitiſſimè concluſum à D. Hilario fuiſſe, ubi cecinit, (*Carm. de Geneſ.*) *Semper erit, quia ſemper erat*; tum quia, ſi aliquando DEUS poſſet deſinere: non aliunde id contingeret, nisi vel ex defectu cauſæ, à qua conſervaretur, vel ex incurſu alicujus contrarii, à quo interimeretur. Atqui ea duntaxat ab ab alio conſervari egent, quæ ab alio eguerunt pro-

produci. Ipse autem, cùm sibi per se unus ad habendam existentiam suffecerit, quidni per se etiam sibi unus, ad eandem retinendam sufficiat? Quantùm verò ad contrarium illius interimendi vim habens; cuinam vel per somnium venire in mentem potest vis DEO metuenda, vis DEO fortior, vis ad DEUM è medio tollendum sufficiens? aut quomodo ille, cùm unicus rerum omnium Procreator sit, stultus adeò fuisset, ut producere aliquid vellet, à quo perimi, & spoliari existentiâ suâ posset?

7. Veniendo denique ad immotam, & semper eandem vitæ hujus, nunquam seu cœptæ, seu desituræ unitatem; clarissimum licet ex infinita divinæ essentiæ perfectione, atque omnimoda simplicitate illius argumentum desumere: nam & quilibet per se videt, & à nobis suo loco probabitur, si aliqua in DEO locum haberet Physica, & propria essentiæ cum actibus suis vitalibus, aliisque perfectionibus compositio, ità ut hæc illius decora non unum & idem cum ea essent, sed in ea tanquam formæ, & qualitates in materia à se distincta existerent; quilibet, inquam, videt, si res ità se habeat, DEUM ex se ipso, & secundùm meram suam essentiam, omnis prorsus perfectionis expertem futurum: utpote qui vi-

vens, intelligens, & quacunque alia perfectione insignis haud quaquam per se ipsum esset, sed per aliquam à se distinctam, & sibi superadditam formam. Quod cùm veritati, & rationi palàm repugnet; statuendum certissimè est cum D. Gregorio, (*L. 16. Mor. c. 20.*) *DEUM hoc esse, quod habet*: ac proinde illius vitam, & durationem nullo pacto à simplicissima illius essentia distingui: *neque enim aliud ipse, aliud dies ejus.* Unde manifestè colligitur, quemadmodum ejus essentia ex nullis partibus constat, sibi invicem succedentibus, neque alia cras erit, quàm quæ hodie est, sed illa eadem semper est, sempérque erit, quæ semper fuit; sic neque illius ævum ullis decessionibus & successionibus variari, sed perpetuò esse unum atque idem: secundùm veriſſimam illam D. Augustini conclusionem, (*In Ps. 101.*) *Anni DEI æternitas DEI est: æternitas DEI ipsa DEI substantia est, quæ nihil habet mutabile.*

8. Hinc, cùm hæc veritas ipsius naturæ lumine pateat, mirum non est, in ea testificanda conspirâsse cum sacris Ecclesiæ Doctoribus celeberrimos ethnicæ antiquitatis magistros. Libétne ex iis quempiam audire? En primò Trismegistum, qui Lectoribus suis ad primum nostri ævi mortalis, quasi orientem per-

perductis, protentóque, versùs immensa illa spatia, quæ indè ulteriùs se exporrigunt digito, divinam ibi æternitatem iis commonstrat, infiniti præsentis instar, totam in sese collectam, sinè ullo secum existente adhuc tempore, sed futuro tamen omni tempore, & omnibus, quæ in tempore mox peperit, gravidam: DEUS, inquiens, (*Asclep. 11.*) *stabilis fuit, semperque cum eo æternitas similiter constitit, mundum non natum intrà se habens.* Succedit Plotinus, sempiternam DEI vitam indè probans, cùm enim vivere non sit aliquid fortuitò ipsi accidens, sed ex ipsamet natura, & essentia sua debitum; fieri minimè potest, ut modò ille vivat, modò non vivat; sed immobili necessitate semper eum vivere oportet. Similiter atque albedo, cùm nequaquam ex casu aliquo, sed per essentiam suam talis color sit, nequit talis jam esse, jam non esse, sed necesse omnino est, ut semper sit talis. (*En. 4. L. 7. c. 9. & 11.*) *Si oportet huic veram ipsius entis appellationem inesse, non debet aliàs quidem esse, aliàs non esse. Quemadmodum color per se albus non tum quidem albus est, tum verò non albus. Si autem ipsum album esset ipsum ens unà cum eo, quod semper est album, semper quoque esset. Nunc verò solum hoc habet, ut sit album. At illud, cui ens ipsum per se adest, procul dubio semper existit. Nemo igi-*

tur sanæ mentis, rem talem intuitus, dubitabit, quin sit immortalis, cui ex se ineſt vita. Nec præterire Platonem, & Plutarchum fas eſt, qui ambo certare ſecum videntur, in eo explicando infinito, immotóque præſenti, intrà quod divini ævi amplitudo colligitur. Unde, improbantur à priore, (*In Tim.*) ubi de hac materia fit ſermo, quævis ſeu præteriti, ſeu futuri temporis verba, ceu quæ *temporis ævum imitantis, & ſecundùm numerum circumvoluti ſpecies ſunt*, neque ſatis congruunt ſubſtantiæ, quæ, *ſemper eadem, atque immobilis perſeverans, neque fuit hactenus, neque erit in poſterum, neque recipit eorum quidquam, quibus res corporeæ, mobileſque ex ipſa generationis conditione ſubjiciuntur.* Cujus ſententiæ alter quoque eſt, non admittens, volenti propriè de DEO loqui, alia verba, quàm ſolum præſentis. *DEUS enim, ſi ità dicendum ſit, eſt, & eſt nulla ratione temporis, ſed æternitatis immobilis, & inclinatione carentis, in qua nihil eſt prius, nihil poſterius, nihil præteritum, nihil futurum, ſed una cùm ſit, unico nunc ſempiternam implet durationem.* (*De inſcr. Templ. Del.*)

9. Quapropter nimio nobis dedecori foret, ſi, cùm prædictis ſapientibus ſolæ demonſtrationes humanæ ſuffecerint, ad divinam æternitatem diſertè adeò, indubitantérque pro-

profitendam, nos, qui præter êorum argumenta habemus, quod ipsis defuit, quódque vel sinè alio ullo argumento unum sat foret, (*2. Petr. c. 1.*) *firmiorem propheticum sermonem*, minùs ei promptum, atque firmum præstaremus assensum. Et qua id tandem de causa? nempe quia nostri intellectûs comprehensionem excedit. O rationem indignissimam! ut ea moveatur, qui vel scintillulam rationis in animo habeat. Quasi verò mirum sit, divinæ prærogativas essentiæ, essentiæ omnino singularis, & nihil simile uspiam habentis, quæque etiam beatarum mentium intelligentiam transgreditur, humana ratione comprehendi non posse. Nequimus percipere, quonam pacto DEUS sinè ullo principio semper extiterit, útque omni excluſa præteriti & futuri successione, totam semper habeat præsentem interminabilis suæ vitæ amplitudinem: Ast hocce quid facit ad rem? cùm nihilominus & divina fides nos certissimos faciat, & naturalis insuper ratio evidenter demonstret, non aliam esse posse illius existendi rationem. Egregiam enimverò arguendi regulam, si ad certissimam quamque veritatem in dubium revocandam, sufficiat dixisse, rei modum non assequor; Perinde quasi nullam haberemus, metiendæ rerum certitudini, aptiorem de-

cempedam, quàm noſtræ mentis captum, quæ, quàm luſca, tarda, & debilis ſit, ad percipienda etiam ſenſibus maximè obvia, quotidiano uſu tenemus: & quaſi idem ſit, eſſe aliquid nobis obſcurum, atque eſſe in ſe minùs certum. Nemo eſt tam felicis ingenii, qui inexplicabiles difficultatum nodos non reperiat, in exquirendo, unde oriatur ventus, quomodo fiat motus, quibus componatur partibus tempus, ínque aliis de hoc genere arcanis naturæ rimandis. Et tamen quotuſquiſque deliræ adeò mentis fuit, ut, difficultatum hujuſmodi causâ, de ventorum, de motûs, déque temporis exiſtentia vel minimam dubitationem concipiat? *Non ideò negandum eſt, quod apertum eſt, quia comprehendi nequeat, quod occultum eſt*, prudentiſſimè ſcriptum à D. Auguſtino eſt: (*De Bono Perſer. c.* 14.) neque imbecillæ mentis, qualis ab Ariſtotele nuncupatur; (*De Lin. Inſec. c.* 2.) ſed nullius ſe mentis probat, qui ſophiſmatis ſibi inenodabilis objectu, quaſi larvæ terriculamento ad deſerendam veri evidentiam inducitur. Quòd itaque DEI æternitas noſtro captu ſuperior ſit, non debet ad minuendam illius fidem, ſed ad æſtimationem intendendam valere: neque efficere, ut in dubium vocetur, ſed ut in majori pretio, & veneratione habeatur: adeo ut

eam,

eam, si æquè intellectu facilis, ac re certa esset; summa quidem cum firmitudine, sed sinè ulla admiratione crederemus; nunc, quando maximæ, quantùm ad rem, certitudini, maximam, quantùm ad modum, obscuritatem conjungit, & firmissimè eam credamus, prout certam, & summopere item miremur, tanquam nostro intellectu altiorem.

10. Cæterùm, quacunque demum ex parte illius obscuritas consideretur, nimirum vel secundùm exclusionem omnis principii, vel secundùm permansionem illius sempiterni, & nunquam non ejusdem præsentis; non videtur admodum difficile, ut animus bene affectus in utraque acquiescat. Nam, si primam attendamus, adeò necesse est, in alicujus rei duratione illam concedere, ut ii ipsi, qui existentiam DEI negant, ineluctabili ratione compulsi, fateantur, admittendum procul dubio esse aliquid aliud, omni tempore anterius, & sinè ullo æternæ suæ existentiæ principio: probè animadvertentes, nisi quid hujusmodi fuerit in mundo, neque ullam potuisse in eo esse primam rerum causàm: & si hæc auferatur, necesse est, tolli simul omnium causarum sequentium, omniúmque ab ipsis productorum effectuum seriem: quod perinde est, ac cujuslibet rei existentis, ipsi-

úsque mundi possibilitatem tolli. Quare, cùm hæc pars duo contineat capita, nempe aliquam reperiri substantiam, sinè ullo existendi principio; & substantiam hujusmodi DEUM esse: circa primum caput, in quo tota est obscuritas, quódque unum nostra mens nequit intelligendo assequi, nulla potest controversia intercedere, nè ipsis quidem, ùt dixi, atheis necessariam adeo veritatem diffiteri audentibus: sed tota cum iis altercatio, circa alterum caput intercedit, ubi statuitur, hanc principio carentem substantiam DEUM esse: caput, in quo vel probando, vel percipiendo, nulla est difficultas.

11. Idem circa alteram quoque partem observare fas est, unde mentis nostræ comprehensionem divina æternitas fugit, nempe circa illius longitudinem, & undique interminatam, & totam nihilominus intrà unũ, atque indivisum præsens collectam. Quamvìs enim id speculari perinde sit menti nostræ, ac in labyrinthum desperati exitûs ingredi; similem tamen labyrinthum etiam sinè ullo in DEUM mentis ascensu reperimus intrà nos ipsos. Cùm non multò difficilior perceptu videatur indivisi, simpliciſſimíque divini ævi extensi, per quæcunque alia aliis succedentia temporis spatia, quàm spiritualis, indi-

diviſæque noſtræ animæ extenſio, per diverſa quælibet corporis membra. Quapropter, ſicut certa ratione adacti, eſto rei modus nos lateat, non gravatè concedimus, noſtram hanc animam, eodem totam tempore in quavis parte corporis degere: haud aliter certiori multò ratione convicti, quantumcunque id obſcurum, & incomprehenſibile menti noſtræ accidat; fateri indubitanter debemus, æternam DEI vitam in quocunque temporis puncto ſemper totam exiſtere. Adeò ut, quemadmodum anima, licèt in diverſis ſimul membris, puta in capite, ac pedibus degat; non tamen propterea plures, diſtinctáſque habet partes, quarum altera capiti inſit, videndi, audiendíque facultatem ei præbens; altera verò in pedibus ſedem habeat, ad inceſſum eos adjuvans; ſed tota ipſa, citra ullam diviſionem, utrobique ſimul adeſt: ac proinde illa eadem, quæ eſt in pedibus actiones capitis proprias exequitur, & illa, quæ eſt in capite, motibus pedum propriis operam navat; ſic æterna DEI vita, quanquam cum omnibus ſimul exiſtat, quotquot unquam fuerunt, atque erunt, diebus, annis, ſæculíſque diverſis; non tamen idcirco in plures diſtinguatur vitas, quarum alia ſit vita merè heſterna, alia merè craſtina, alia æternitas ex præteriti tantùm temporis par-

parte, alia ex parte duntaxat futuri: sed tota sit unicum præsens, idem omnino hodie, quod fuit herì, & in quolibet alio præteritorum omnium dierum, quódque erit cras, & in quolibet alio venturorũ omnium dierum, poténsque idcirco peculiari quovis tempore propriis aliorum quorumlibet temporum nominibus nuncupari. Nam neque herì hodiernus ille dies defuit, neque hodie hesternus, vel craſtinus deest: imò suum herì non distinguitur à suo hodie, & cras: & præteritum, & futurum tempus, una ibi res sunt: duratio nimirum infinita, eadémque in unicum momentum collecta, non magìs divisa simplicissimo *nunc*, nec minùs longa pleniſſimo *semper*.

12. En itaque admirabilis speciès, quam nobis exhibet, consideratus secundùm æternitatem suam DEUS. Nempe, dirigentibus primò obtutum ad transactas ætates, occurrit extra ultimos nostri retro temporis fines, quasi interminatus quidam horizon existentiæ atque vitæ, per quem sinè ullo fine possit semper ulteriùs, atque ulteriùs mens progredi. Et pergat illa quidem concipere, quæ vastissima potest, ante mundi exortum temporis spatia, & ea quot vult vicibus conduplicare, omnes usurpando, & exhauriendo humanæ arithmeticæ numeros; postquam enim irrito

se

se labore defatigaverit, novas usque summis summas accumulans, infinitè adhuc amplius ei concipiendum supererit: neque solùm nunquam perveniet ad detegendum durationis illius immensissimæ caput, ità ut possit aliquando dicere: Hìc cœpit, sed eam semper aspiciet, tantò anteriorem innumerabilibus iis sæculis, quæ supputando coacervare potuerit, quantò est hodierna die anterior. *Curre sensu*, scribit S. Hilarius, (*L. 2. de Trin.*) *Si quid putas ei ultimum esse, eum semper invenies. Quia, cùm semper intendas, semper est, quò intendas. Iterum revolve tempora, esse semper invenies: &, cùm numerus calculi in sermone defecerit, DEO tamen semper esse non deficiet. Intelligentiam commove, & totum mente complectere. Nihil tenes. Totum hoc habet reliquum.* Nec secus eveniet, si futura versùs tempora cogitationem tendamus. Cùm neque ibi perveniri ad punctum aliquod possit, ultra quod DEUS duraturus non sit: sed, sicut ex altera parte, quantumcunque mens progrederetur, totum semper & solidum reperiebat divinum *erat*; ità ex hac pariter, quantumcunque pergat currere, & volare ulteriùs, semper videbit infinitam, nec permeabilem longitudinem divini *erit*. Ac proinde, ùt scribit D. Gregorius (*L. 27. Mor. c. 3.*) *Nusquam finis superior, quia esse non incipit: nus-*

quam

quam finis inferior, quia esse non desinit. Quod si hæc æternitas, ut sic loquar, futura non tam nobis videtur singularis, admiranda, & nostro captu superior, quàm quæ mundi exortum præcessit, non ideò id contingit, quia verè minùs talis ea sit; sed ex occulto quodam, in ea concipienda, nostræ imaginationis errore. Non enim eam cogitatione apprehendimus, qualis revera est, ùt præsentem, sed qualis rebus creatis naturâ perpetuis convenit, veluti futuram: nunquam scilicet totam simul, & ad modum illius infiniti præsentis, quod Philosophi categorematicum vocant, sed frustillatim, ac divisim: imaginando unam primò aliquam ejus partem, deinde alias, atque alias majores, ità tamen, ut præter has, infinitam adhuc summam concipiamus restare, instar alicujus futuri, & possibilis. Quod revera evenit in duratione futura rerum creatarum natura immortalium, at non etiam in divina: quæ, cùm sit indivisa, nec ullam temporum successionem, & diversitatem recipiat; colligit in se hodie, ad modum infiniti præsentis, quævis sæcula, nobis per partes succedaneas ventura: non aliter, ac copulata in se hodie continet quælibet retro lapsi, seu veri, seu possibilis, & merè imaginarii temporis sæcula. Adeò ut ceu hodie propriè &

per-

perfectè ducit DEUS vitam omnem ante mundi exortum à se actam; sic non minus præsentem hodie habeat vitam omnem à se post mundi occasum ducendam.

13. Quæ cùm ità sint, fas est hinc cuivis arguere, quantum venerationis mereatur summum DEI esse, respectu suæ hujus adeò à nobis remotæ, & nunquam inchoatæ antiquitatis. Insitum siquidem à natura omnes habemus sensum quemdam peculiaris reverentiæ, atque æstimationis erga personas, & res, originis vetustate, & ut sic loquar, canitie insignes: uti & animadversum à Philosopho est, ubi pronuntiavit, (*Metaph. c. 3.*) *Quod antiquissimum sit, honorabilissimum esse.* Et comprobatur quotidie, tum enixis & flagrantibus studiis, quibus urbes, atque familiæ conantur, quàm longissimè retro extendere suorum natalium memoriam; tum æstimatione, in qua haberi communiter solent numismata, statuæ, aliæque id genus vetustiorum ætatum reliquiæ. Quæ æstimatio nemini obscurum est, quàm singularis, & eximia esset, si fors alicubi extaret arcæ Noëmi fragmentum, seu Tubalcaini fabrûm primi malleus, seu vestis pellicea, qua recente mundo indutus est Adam: res quidem secundùm materiam contemptæ & ignobiles, sed quæ nihilominus,

ſuæ antiquitatis causâ, aſſervarentur inſtar theſauri, quovis pretio majoris. Quapropter, etſi DEUS nequaquam expers principii, omníque eſſet tempore antiquior; ſed centenis duntaxat annorum millibus ante mundi primordia extitiſſet; reputet ſecum quilibet, quantum ipſi venerationis reconciliaret ſua illa tam diſtans à nobis origo, támque longa creatis quibuſque rebus anteceſſio: colligens hinc, quantò plus reverentiæ illius mereatur æternitas, infinito intervallo præcurrens longiſſima quæque temporis ſpatia, quæ non modò memoriâ homines tenent, ſed nec intellectu poſſunt concipere.

14. Valet præterea hæc eadem vitæ infinitas ad divinæ beatitudinis, & perfectionis æſtimationem immensùm augendam. Nam, quantò quodvis bonum durat longiùs, tantò ſolet majus cenſeri: nec quiſquam eſt, quin duplò pluris faciat, eſſe divitem, ſanum, potentem, ac lætum duûm annorum, quàm unius anni ſpatio: & centuplò pluris, hujuſmodi prærogativas duobus ſæculis, quàm duobus tantummodo annis obtinere: & infinitè pluris per totâ æternitatem iis frui, quàm ad certum quodlibet temporis ſpatium. Si ergo, quando etiam DEUS non niſi uno die viveret, nihilominus ephimera illa ejus vita, ut-

utpote DEI vita, hoc est infinitis bonis referta, infinitè æstimabilis foret: &, si quando etiam illius vita non nisi finito bonorum censu esset dives, quia tamen finitis illis bonis per totam æternitatem frueretur, infinito in pretio habenda esset; quisnam dignè explicet, quanto adjectu utraque nunc geminetur illius pretii infinitas, quando & copia bonorum, quæ possidet, & tempus ea possidendi omnem prorsus modum, ac terminum excedunt,

15. Sed multò adhuc amplius hujusce modi pretium intenditur, si altera perpendatur divinæ æternitatis proprietas, ea nimirum: semper plena, & perfecta totius simul interminabilis sui ævi possessio. Nempe hinc consequitur, DEUM quovis nostri ævi momento plenam, & integram vitæ beatissimæ æternitatem ducere: ac proinde ejus vitam tot quodammodo perfectissimæ beatitudinis æternitates complecti, quot temporis sunt momenta, quibus æquivalet, & quibus transeuntibus coëxistit, sed non simul transiens infinita ejus duratio. Utque id planius intellectu fiat, fingamus illum ex Euangelio divitem, qui *epulabatur quotidie splendidè*, capacem fuisse vorandi quovis die totam illam eduliorum copiam, quam universis suæ vitæ diebus parti-

culatim abliguriit, & revera illam omnem quotidie appetitu ad extremum usque bolum integro ac recenti vorâsse; dubitari certè non potest, quin, re ità se habente, totam ille in unoquoque ex quotidianis suis conviviis simul collectam voluptatem percepisset, quam toto vitæ suæ tempore percepit: ejúsque pro-in vita tot vicibus tunc fuisset jucundior, quot fuerunt dies, quibus tam opipara instauravit convivia. Nec secùs dicendum de aliis quibuscunque ejusdem generis casibus: ut, si exempli gratiâ quæcunque alicui prospera, & jucunda toto vitæ suæ tempore eveniunt, iis ipse omnibus nullo non die conjunctim frueretur. Qua ex inductione licet demum colligere, quemadmodum unusquisque talium dierum non minorem afferret sic venti, quàm solida & universa afferre possit vita jucunditatem; sic non minorem DEI esse peculiari quovis pempore ac momento, quàm in universa æternitate sit, beatitudinem.

16. Neque id duntaxat, sed & plura alia maximæ admirationis consectaria ex hac æternæ DEI vitæ indivisa unitate eruuntur. Eruitur primò, verè dici posse, DEUM nec fuisse, nec fore, imò, ùt Magnus Areopagita addit, neque esse: (*De Div. Nom. c. 5.*) *DEUS neque erat, neque erit, neque fuit, imò neque est:* sed

sed nihilominus posse item verè affirmari, ipsum fuisse, esse, atque fore, prout in Apocalypsi legimus, (*c. 4.*) *Dominus DEUS Omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est.* Ità sanè, quodvis prædictorum temporum verè de DEO potest negari, utpote ipsi minimè congruens, secundùm ordinariam significationem, in qua solet accipi, cùm sermo est de rebus creatis. In his enim præteritum, & futurum, significata verbis, *fuit*, *erat*, atque *erit*, reipsa haud existunt: præsens verò, expressum verbo *est*, non nisi ad momentum existit, & confestim mox deficit, nec propterea totam rei existentis durationem, sed minimam tantùm illius particulam continet. At in DEI vita nullæ sunt partes, quæ vel desierint esse, vel tendant ad non esse, vel expectari debeant, ut incipiant esse; sed interminabilis ejus vita tota semper existit in unum, immobile, atque infinitum præsens collecta. Nihilo tamen minùs omnia item hujusmodi tempora, in aliquo alio sensu DEO verè possunt attribui: nimirum vel ità, ut significent nullum fuisse, neque futurum esse tempus, quo verè potuerit, aut possit de DEO dici, non est: vel ità, ut denotent, illius immobili, & semper eidem durationi præsentia fuisse, quæ præterierunt, & præsentia fore, quæ porrò

erunt, omnia. Addo præterea, quamvis verbum præsentis temporis, nempe *est*, melius quovis alio exprimat immobilitatem durationis divinæ, illóque DEUS ipse, tanquam notâ sui propriâ se descripserit Moysi, dicens: (*Exod. c. 3.*) *Ego sum, qui sum*; nihilominus, quia vix à nobis illud concipi potest, nisi instar durationis fugitivæ, & brevissimæ; non satis per se unum sufficere, ad repræsentandam extensionem æternitatis divinæ per quæcunque temporis genera: opúsque idcirco nobis esse, ut, ad hunc illius defectum supplendum, addamus ei verba *erat*, & *erit*, non veluti ab ipso distincta, sed ut in ipso per miram, & arcanam virtutem comprehensa. Inter quæ D. Thomas principatum defert verbo *erat*: utpote illi, quod duas simul temporis differentias suo sensu complectitur, significans: (*In Cap. 1. Joa.*) *Aliquid fuisse, nec defuisse, sed adhuc remanere*: solitúmque hac de causa à D. Joanne Euangelista usurpari, quando agit de rebus æternis. Quod porrò de verbis diximus, nihilo seciùs & nominibus convenit, ad certam aliquam temporis mensurã designandam institutis: cùm ipsa quoque, & secundùm usitatam suam significationem à divina æternitate omnino dissentiant, & nihilominus per analogiam aliquam ei possint attribui, & hesier-

sterni, crastini, prioris, posterioris, dierum, annorum, sæculorum appellationibus insigniri: prout magnus Ecclesiæ Doctor Augustinus, tum alibi, tum speciatim secundo tractatu super Epistolam D. Joannis affirmat his verbis: *Dies est ibi unus, sed sempiternus. Non ponunt in medio diem illum hesternus, & crastinus. Quod vis, illum dic: si vis, dies est: si vis, annus est: si vis, anni sunt.*

17. Eruitur secundò, nihil seu præteritum, seu futurum posse à DEI æternitate distare, sed, quidquid respectu nostri fuit, aut futurum est, præsens quovis tempore illi esse. Adeò ut hoc ipso hodierno die præsentes ei adsint, tum Antichristus, qui in fine mundi erit, tum Adamus, qui in mundi ortu fuit. Cùm enim illa per disjunctissimas quasque ætates indivisa longitudine extendatur, non alia est hodie, quàm quæ fuit in exordio, quæque in exitu mundi erit: & idcirco verum de illa est hodie, quod alio quovis tempore fuit verum, aut erit. Quapropter, licèt ego, Adamus, & Antichristus, nequaquam simul hodie existamus, sed longo ab invicem disjungamur temporis intervallo; simul tamen hodie præsentes divinæ æternitati adsumus. Quemadmodum, licèt caput distet à pede, anima tamen, quæ in capite residet, propter indivisam

ſuam in corpore toto præſentiam, non eſt propior capiti, quàm pedi, nec minùs hunc tangit, & præſentem habet, quàm illud. Audiamus, quàm luculenter veritatem hanc explicet D. Gregorius, (L. 20. *Mor. c.* 23.) *In illo* (en ejus verba) *nec præterita, nec futura reperiri queunt, ſed cuncta mutabilia immutabiliter durant: & quæ in ſe ipſis ſimul exiſtere non poſſunt, illi ſimul omnia aſſiſtunt: nihilque in illo præterit, quod tranſit: quia in æternitate ejus modo quodam incomprehenſibili cuncta volumina ſæculorum tranſeuntia manent, currentia ſtant.* Cui non poſſum, quin adjungam D. Petrum Damianum, egregiè ipſum quoque, in eadem divinæ æternitatis proprietate exprimenda verſatum, qui ſcribit, (*Opuſc. 36. c. 8.*) *Omnia, quæ apud nos elabendo diſcurrunt, aut per temporum viciſſitudines ſe variant, apud illum hodie ſtant, & immobiliter perſeverant. In illo ſcilicet hodie dies ille adhuc immobilis eſt, in quo mundus ſumpſit originem: in illo nihilominus jam & ille eſt, quo judicandus eſt per æterni Judicis æquitatem.*

18. Infertur tertiò, DEUM ratione ſuæ ejuſdem ſemper æternitatis poſſe dici, hodie feciſſe, & facturum eſſe, quidquid alio quovis vel præterito, vel futuro tempore fecit, & faciet: puta hodie mundum creâſſe, hodiéque judicaturum illum eſſe. Qua loquendi for-

forma utitur Psaltes Regius, in iis æterni Genitoris ad æternum Filium relatis verbis, (*Ps.* 2.) *Ego hodie genui te*: quaque adhuc expressiùs, & magis universaliter D. Augustinus utitur, ità DEUM in suis confessionibus alloquens, (L. 1. *c.* 6.) *Tu autem idem es, & omnia crastina, atque ultra, omniáque hesterna, & retro, hodie facies, hodie feciſti*: subjungénsque confestim, satìs se prænosse, talia minimè intellectum iri ab audientibus, & legentibus: sed tamen in DEO plura esse, quæ admirari debeamus, quàm quæ possimus percipere. *Quid ad me, si quis non intelligit? Gaudeat & ipse, dicens: Quid est hoc?* Quod, licèt ego quoque profitear, nihilominus ad rem, quoad fieri potest, declarandam, opportunum fore censeo, aliquod ipsius exemplum subjicere, quantò magìs sensibile, tantò fini meo aptius. Fingamus igitur, solem, qua primùm vice hoc anno est exortus, tardè adeò iter feciſſe, ut in diurno ab oriente ad occidentem cursu semel peragendo, nihil minùs posuerit temporis, quàm in eodem per solidum annum toties, totiésque iterando cursum, soleat ponere. Nemo certè non videt, unicum illum diem solarem contenturum tot dies, tot hebdomadas, tótque menses; quot continentur in solido anno, per horologia machinica dimenso: ac

proinde, quamvìs, ſpectato ſolis curſu, non plùs, quàm unicus dies eſſet; ſpectato tamen prædictorum horologiorum curſu, poſſet dici annus, hebdomadæ, & menſes: nec falsò diceretur, quidquid unoquoque anni die, & menſe fiat, verbi gratiâ die Paſchatis, & Kalendis Auguſti, aut Decembris; intrà unici illius diei ambitum fieri. Simili, ſed longè excellentiori ratione, fixum, immotúmque *hodie* æternitatis divinæ quibuslibet, aliis poſt alias ſubeuntibus noſtri temporis partibus, ac menſuris æquivalet: & quidquid, ſecundùm volubilis hujus horologii normam retro evenit, ínque poſterum eveniet; in illo unico quaſi ſolari die ſemper exiſtit, illóque durante fit, nec reſpectu illius præteritum dici, aut futurum poteſt, ſed merè præſens.

19. Eruitur poſtremò, quamvìs aliunde etiam probetur, perfectam æternitatem unius DEI eſſe propriam, nec poſſe cuiquam præter eum convenire; nullo tamen ex capite adeò id evidenter conſtare, ut ex indiviſa hac infinitæ illius durationis unitate. Eſto quippe hic, aut ille præſidentis ingenii Philoſophus non dubitaturus ſit, eam enti creato habilitatem tribuere, ut poſſit ante omne tempus è nihilo in lucem produci, ſempérque fuiſſe, nec ipſimet ſuo Conditori de antiquitate exi-

existendi concedere, nunquam tamen audebit, tale illud comminisci; ut, quam nullo tempore inchoavit vitam, totam quovis tempore, absque ulla distinctione, & successione partium possidere immobiliter queat, nihilque de conditionibus, ad absolutam & omnimodam æternitatem necessariis, desideret. Nam cæteroqui, ùt verissimè definit Boëtius, (*L. 5. de Cons. pr. 6.*) *Quod temporis patitur conditionem* (fluxionem nimirum, & mutabilitatem) *licèt illud, sicut de mundo censuit Aristoteles, nec cœperit esse, nec desinat, vitâque ejus cum temporis infinitate tendatur; non tamen tale est, ut æternum esse credatur. Non enim totum simul infinitæ licèt vitæ spatium comprehendit, sed futuræ nondum, transactæ jam non habet.* Quare D. Thomas, hanc esse rationem, ait, cur DEUS dicatur in Exodo, ultra etiam æternum regnare: (*1. p. qu. 10. a. 2. ad 3.*) *Quia, etiamsi aliquid aliud semper esset, tamen DEUS ultra regnat, in quantum regnum ejus est totum simul.* Quam rationem distinctiùs explicat D. Anselmus, dicens DEO, ipsum esse ultra quæcunque etiam æterna, quia semper præsens sibi habet infinitum illud reliquum durationis futuræ, ad quod illa, utpote in diem, & particulatim viventia, nondum pervenerunt, neque unquam ità pervenient, ut dici aliquando possit, totum jam per-

percurriſſe. (*Proſ. 20.*) *Quia tua, & illorum æternitas tota tibi præſens eſt: cùm illa nondum habeant de ſua æternitate, quod venturum eſt: ſicut jam non habent, quod præteritum eſt. Sic quippe ſemper es ultra illa, cùm ſemper ibi ſis præſens, ſeu ſemper illud tibi ſit præſens, ad quod illa nondum pervenerunt.* Ipſámque hanc ſancti Patres cauſam eſſe ajunt, cúr DEUS affirmetur ab Apoſtolo, *ſolus habere immortalitatem*: quia ſcilicet, quamvìs non deſint aliæ item res naturâ immortales, earum tamen vita, cùm aſſiduè mutetur, nequaquam tota eſt immortalis, ſed per partes interit: ut proinde poſſint illæ quidem dici immortales, quatenus nunquam deficiunt; ſed non etiam dici poſſint habere ſuam immortalitatem, quatenus hæc nunquam tota ipſis adeſt. *Vera & integra immortalitas* (verba ſunt D. Bernardi) *tam non recipit mutationem, quàm nec finem: quòd omnis mutatio quædam mortis imitatio ſit. Omne enim, quod mutatur, dum de uno ad aliud tranſit eſſe; quodammodo moriatur neceſſe eſt, quod eſt, ubi incipiat eſſe, quod non eſt. Quod ſi tot mortes, quot mutationes, ubi immortalitas?* (*S. 81. in Cant.*) Quibus ſimilia videre eſt apud Gregorium Magnum, cùm alibi, tum in 17. cap. libri 12. moralium, ubi ſic loquitur. *Quid mutabilitas, niſi quædam mors eſt? quæ, dum rem aliquam in aliud*

ud immutat, quasi occidit, quod fuerat, ut incipiat esse, quod non erat. Et de Authore omnium scriptum est: Qui solus habet immortalitatem: quia videlicet in semet ipso solus immutabilis est.

20. Quæro jam ex eo, qui hunc & incomprehensibilem cogitatu, & creditu certum divinæ durationis modum hìc perlegit, quamnam de illo speciem, quósve sensus mente conceperit. Potéstne non attonitus, extremóque stupore perculsus, & sui penè impos hærere, dum illa animo peragrat secula, quæ ante mundum, & tempus DEUS egit: ubi nusquam caput, nec ullus progrediendi terminus, sed infinitum ultra, & majora usque, ac majora ævi spatia se offerunt? *Ante omnia enim occurrit semper illud erat, nimirum supra cogitationem omnem, & ascensionem mentis positum.* (*Anast. Sin. L. 1. de Fid. Dogm.*) Quid ei videtur de duratione illa, per quoscunque seu præteriti, seu futuri temporis tractus porrecta, & tamen adeò simplici, adeò indivisa, adeò semper eadem, ut nihil tota sit, nisì unicum *est*, immobile, sempiternum, quódque à nullo *fuit* præcedi, à nullo *erit* exturbari se sinat? Unde mox sequitur, in simpliciſſima DEI vita, innumerabiles, ut sic loquar, contineri æternitates: cùm in hoc nostri ævi momento totam ille, quantacunque seu ex præteriti, seu ex futuri tem-

temporis parte est, æternitatem suam vivat: & in eo, quod proximè succedet, momento æquè totam victurus sit, nec secùs in quolibet designabili alio: toties illam quodammodo iterans, quot momentis pergit eam vivere. Quàm singularia, & nusquam alibi audita hæc sunt perfectionis prodigia? Quósque submissionis, reverentiæ, & sacri horroris sensus excitare in nostris animis debent, erga esse, tanto nobis intervallo superius?

21. Comparemus, quæso, cum interminabili, æternáque illius vita nostram hanc brevem, fluxam, mortalem. Quot anni fluxerunt, ex quo partes viventium in mundi theatro agimus? Quinquageni fortè, aut sexageni, pauca scilicet quædam temporis frustula. O vitam, quæ, si cum divina æternitate conferatur, vix herì cœpta dici queat, vix umbra vitæ censeri. (*Job. 8.*) *Hesterni sumus, & ignoramus. quoniam sicut umbræ dies nostri sunt super terram.* Pergamus porrò, & ante id annorum spatium, quæ nostra conditio erat? ubinam versabamur? in vacuo, in nihili abysso, inter merè possibilia, inter negationes, inter umbras entium. Quàm verò diuturna in tenebroso, & informi illo chao fuit nostra permansio? Haud minùs, quàm infinita, quantùm nempe ex anteriori sua parte æternitas

ten-

tenditur. Cùm ergo sexagenos duntaxat numeremus vitæ nostræ annos; contra verò nunquam omnia enumerare possimus transacti nostri nihili sæcula; manifestum est plus non entis nos habere, quàm entis. Sed age, ipsam hanc pauciſſimorum annorum summulam expendendam sumamus, palámque illico fiet, quantò adhuc, ob suam in durando successionem, & mutabilitatem, sit minor. Sexagenos te habere annos prædicas? falleris: si eos habes, ubinam sunt? age sis, illos exhibe. At quomodo exhibeas, cùm jam effluxerint? habuisse illos saltèm te dices? en aliud mendacium. Nam insto iterum: quodnam hoc fuit habendi illos tempus? num cedo ex omnibus tuæ vitæ momentis, quo verè potueris dicere, sexagenos ego annos habeo, imò annum unum, imò unum diem, imò quidquam ævi, momento uno plus habeo: nullum certè hujusmodi invenies. Quidquid enim quovis momento, ultra indivisam illius parvitatem, sive ex anteriori, sive ex posteriori parte ad vitæ tuæ summam pertinebat, vel jam præterierat, vel nondum advenerat, cúmque tunc non esset, neque haberi à te poterat. Ac proinde nemo unus in toto hominum genere est, qui, licèt Nestore annosior, gloriari unquam possit, plus uno ævi momento se habere. O ævum!

vum! minùs quàm ephimerum, somnii simile, & de quo verè possit, qui illud ducit, ea Jobi verba usurpare, (*c. 7.*) *Nihil sunt dies mei!* Imò ex hac vivendi ratione, per assiduas se successiones mutante, & nunquam non alia deducitur, nostrum vivere nihil esse aliud, quàm continuum mori. Cùm enim non unicum illud sit, sed ex vitis, seu momentis perpetuò succedentibus compositum, necesse profectò est, nostram vitam præsentem non eandem esse, quæ paulò antè fuerat. Quid ergo de priore illa factum est? quid? dilapsa est cum tempore, desiit vivere, interiit. Nostrum itaque vivendi tempus pergit continenter mutari, nec ulla ex diversis illud contexentibus vitis momento longiùs durat, sed vix orta, decedit, & moritur: proximæ alteri locum præbens, quæ & ipsa simili celeritate exortui occasum continuans, deficiat. Ac proinde, quæ à nobis ducitur vita, nunquam nisi unica est: at mortes, quas per singula momenta obire pergimus, supputari numerando nequeunt: & quantò vitam longiùs prorogamus, tantò ampliùs earum numerus crescit: sed non item tantò plùs crescit vitæ nostræ longinquitas, cùm nunquam revera uno esse possit diuturnior momento. Quamobrem egregiè Plutarchus ei, qui hominis vitam

tam considerare instituat, idem usuvenire ait, quod volenti aquam fluminis intrà pugnum constringere. Quemadmodum enim hæc, ubi manus compressa fuerit, tota illico partim à superiori, partim ab inferiori parte diffluit, nec plus ex ea intus remanet, quàm quod manui humectandæ sufficiat; haud aliter, qui fluentem mortalis vitæ cursum considerat, nihil verè existentis in eo potest intelligendo apprehendere, nisi præsens instans, víxque ob suam parvitatem sensibile: reliqua omni serie hac illac dilabente, partim ad anteriorem præteriti, partim ad posteriorem futuri temporis partem. Quibus ille expositis subdit: (*De Inscr. Templ. Delph.*) *Sed nos ridiculi sumus, qui unam metuamus mortem, toties jam mortui, toties morientes. Interit vir facto sene: at vir factus erat intereunte juvene. Nullus autem manet, neque est unus, sed nascimur multi*: concludens postremò, cùm adeò constanter mutemur, nequaquam verè & propriè nos esse. *Nam, qui mutatur, idem non est: & si idem non est, nè est quidem, sed alius ex alio mutationibus factus. Sensus autem, ob ignorationem ejus, quod est, fallit nos, ut esse putemus, quod esse videtur.* Tale igitur est nostrum vivere, per momenta deficiens, consistendi nescium, assiduè moribundum, & nunquam idem. At non ità æternum DEI

esse: *qui semper vivit, & in quo nihil moritur:* (*Aug. L. 1. Conf. c. 6.*) utpote qui omnem omnino à se excludit compositionem partium, & successionem temporum: ità semper solidam, sempérque eandem possidens totam illam vitæ infinitatem, quam ante sæculorum initium possedit, & eorundem post exitum possidebit; ut eam possedisse, possidere, & possessurum esse, nihil in eo differant, nec aliud revera significent, quàm indivisum, immobile, & simplicissimum *semper.*

22. Æquum est itaque, ut *incurventur colles mundi ab itineribus æternitatis ejus:* (*Habac. c. 3.*) nempe, ut quævis humanarum mentium altitudo, singulari prodigiorum hujusmodi novitate perculsa, intrà nativum sui penè nihili centrum se contrahat, atque indè palpitantes pupillas ad immensissimum, splendidissimúmque divinæ æternitatis orbem attollens, humili cum terrore Conditori suo fateatur, ipsum unum esse illum, *qui est:* neque nostrum existere, nudius tertius inchoatum, & assiduis se mutationibus varians, si cum suo conferatur; existimari aliud posse, quàm nihili imaginem. *Substantia mea tanquam nihilum ante te. Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* (*Ps. 38. & 89.*)

CA-

CAPUT XV.

DEUM esse in omni perfectionis genere absolutissimè, simplicissiméque infinitum.

Si usquam alibi verum, verissimum certè in præsenti divinarum perfectionum materia reperitur illud Psalmi quadragesimi primi hemistichon: *Abyssus abyssum invocat.* (*Vid. explic. Bellarm.*) Eas quippe considerandas suscipere perinde est, atque ex una admirabilitatis abysso in aliam confestim succedentem transire, sinè ulla emetiendæ illarum altitudinis spe. Quantæ namque, quámque profundæ abyssi sunt illæ, quas hucusque transcurrimus, supremum contemplantes DEI esse, tanquam totum à se ipso, tanquam necessarium, tanquam æternum? En autem, vix indè egressi: cùm indigeremus, mentem reficere alio quopiam objecto, imbecillitati nostræ magis accommodo; ad alterius consistimus nihilo minus formidandæ abyssi crepidinem, qualis absolutissima divinæ essentiæ infinitas est. Abyssi, inquam, nihilo formidabilis minùs, ut neutiquam abyssus, sed labyrinthus potiùs credi queat, ex pluribus abyssis compositus. In-

grediamur eam tamen, si minùs fidentes comprehendere, *quæ sit ejus longitudo, latitudo, altitudo, & profunditas*; at saltèm parati, in immensæ illius magnitudinis admiratione demergi.

2. Infiniti notio non aliunde erui melius potest, quàm ex animadversa rerum finitarum natura. Hæ, prout tales, certæ semper magnitudinis sunt: magnitudinis scilicet, non ultra suum terminum exporrectæ: totque, nec plures continentis partes, inter se æquales, tot exempli gratiâ palmos, nec amplius, tot ulnas, nec amplius, tot milliaria, nec amplius: adeò ut in eas possit tota dividi, & earum quælibet proportionem cum ea aliquam habeat, putà tertiæ, decimæ, aut centesimæ partis: & omnibus iis numeratis, vel ablatis, nihil in ea jam numerandum, vel ex ea tollendum supersit. Jam verò his constitutis, quæ cuilibet rei finitæ necessariò insunt, facilè erit deprehendere, cujusmodi infinitudo sit, quídque ad eam requiratur. Differentes siquidem (prout contrarias inter res fieri solet) viâ & ratione prorsus oppositâ, videbimus illud posse dici, & revera esse infinitum, cujus magnitudo nullum certum terminum novit, nec circumscribi usquam potest additamento illo, *non plùs ultrà*: sed, post quamcunque de-

si-

signationem mensurarum, & spatiorum, exigit necessariò, ut eorum semper in se amplius, atque amplius superfit: nec proinde coarctatur ad ullum certum numerum peculiarium mensurarum, & spatiorum, veluti totidem suarum partium, quarum quælibet proportionem cum ea habeat, & omnes simul collectæ illam æquent: sed intrà immensum suum orbem, quidquid concipi potest, & ultrà quàm concipi possit, mensurarum, & spatiorum includit. Unde sequitur, non posse in ejusmodi magnitudine designari ullam partem, quæ toties duntaxat, nec pluries, eâ tota sit minor: quæ proin, toties congeminata, eam adæquaret, aut, toties detracta, eam omnino exhauriret: sed necesse esse, ut, quantumcunque certarum mensurarum, & partium indè auferatur, plus semper auferendum superfit. Sic (quò exemplis clarior res fiat) infinitæ longitudinis linea debet, si talis futura est, omnia certarum mensurarum genera continere, & singula ultra quemvis designabilem terminum, palmos e. g. ultra quemvis numerum, passus ultra quemvis numerum, milliaria, & parasangas ultra quemvis numerum. adeò ut quivis per eam æterno tempore iter facere, & progredi possit, quin ad extremam ejus partem unquam pertingat: imò quin un-

quam partem illius certam, putà milleſimam, vel centeſimam tranſgrediatur: ſed poſt quantoſcunque progreſſus, fateri cogatur, vix è veſtibulo ſe pedem extuliſſe, & quidquid ſpatiorum emenſus ſit, nihil proportionis habere cum ulterioribus ſpatiis, quæ percurrenda adhuc reſtant, & ſemper reſtabunt. Nec diſſimili ratione, quò infinitus dici aliquis numerus queat, neceſſe eſt, quaſcunque complectatur numerorum ſpecies, & ſingulas ſinè ullo termino, quoties, & quamdiu multiplicari queunt: tot nimirum binarios, tot vicenarios, tot centenarios, millenarios, & ſuperioris cujuslibet gradûs; quot recenſere, & diſtinguere arithmetica humana novit, imò incomparabiliter plures ab ea recenſitis: cùm hi nequeant unquam eſſe, nisi intra determinatam quampiam menſuram, tot duntaxat, nec plures. Quapropter, ſi peritiſſimus quiſpiam calculatorum, nihil aliud toto die, imò toto anno, imò millenis annorum millibus faceret, quàm certum aliquem numerum multiplicaret; tota illa humanæ menti incomprehenſibilis ſumma, ex innumeris adeò multiplicationibus collecta, quemadmodũ ex partibus determinatis, tot nimirum, nec pluribus componeretur. Sic præ infinito à nobis poſito numero, vix majori ſimplici monade eſſet:

esset: nec, sive illi superaddita, sive indè dempta, ullam in eo mutationem sensibilem faceret, sed posset per singula futuræ totius æternitatis momenta ab eo detrahi, quin omnes illæ tam multæ, támque vastæ detractiones sufficerent, non dico ad exhauriendam, sed neque ad tantulò minorem reddendum illius semper solidam, sempérque eandem infinitatem.

3. Talis itaque est, támque admirabilis infiniti natura: quod proinde multò veriùs, quàm de Nilo pronuntiaverit Lucanus (*L. 10. Ubicunque videtur, quæritur*: quia, quantumcunque de illo mente apprehendatur; semper tamen, secundùm illud tantò ampliùs, quod supereſt apprehendendum, nec apprehendi unquam potest totum; necessariò exigit quæri. Oceanus sanè vastissimus absque fundo, & absque litoribus, capáxque idcirco, ut, quæcunque fingi possunt spatia, absorbeat: ità ut, quantalibet eorum multitudo, atque vastitas in illius alveo spectata, ex oculis quodammodo evanescat, tanquam non exigua duntaxat, sed & insensibilis tam immensæ amplitudinis pars: cùm neque per sui adjectionem augere illam possit, neque per sui detractionem minuere. Ubi duo adhuc sunt, quæ majoris claritatis gratiâ, admonere Lectores de-

beam. Primum, non esse hìc mihi agendum de infinito secundùm magnitudinem materialem, & divisibilem, qualis est corporum magnitudo, consistens in eorum extensione per loca, sed de infinito secundùm magnitudinem spiritualem & indivisibilem, qualis propria est substantiarum corporeæ concretionis expertium, quæque in earum interiori perfectione consistit. Alterum est, hoc posterius infinitum considerari posse, ut respectu peculiaris alicujus perfectionis, vel respectu perfectionis generatim sumptæ: & ad primam quidem infinitatem sufficere, ut illa duntaxat peculiaris perfectio sinè ullo limite, & secundùm omnem, cujus capax est, amplitudinem possideatur; ad secundam verò requiri, nè ullum perfectionis genus ab ente ità infinito vel desideretur, vel intrà certam mensuram contractum, & minus, quàm quantum esse potest, obtineatur.

4. His ità præmissis, aio, & pro re certissima statuo, DEUM esse omnimodè, in posteriori hoc, quàm latissimo sensu infinitum: omnémque purarum perfectionum cumulum, & singulas earum, quotquot esse possunt, immensissimâ essentiâ suâ complecti: adeò ut, quidquid excogitari bonorum potest, in eo ultra omnem terminum sit, substantia ultra omnem

mnem terminum, vita ultra omnem terminum, veritas ultra omnem terminum, ſapientia, potentia, pulchritudo, ſanctitas, opulentia, beatitudo, miſericordia, juſtitia ultra omnem terminum: nec propterea, licèt omnes tam humanæ, quàm Angelicæ mentes per univerſam æternitatem certatim contenderent, novas uſque, & ſplendidiores ideas, ſeu pulchritudinis, ſeu ſapientiæ, ſeu cujuſquam alterius perfectionis effingere; quæ conceptæ ab iis eſſent imagines divinam pulchritudinem, aut ſapientiam, aut quamcunque aliam perfectionem adæquare ullo modo poſſent: ſed, velut intrà certam, tantæ duntaxat, nec ulterioris præſtantiæ menſuram concluſæ, immenſo ab ea intervallo excederentur. Quamobrem ſcitè admodum vetus ſapiens, ſeu Triſmegiſtus, ſeu Empedocles, ſeu quicunque alius fuerit, DEI infinitatem expreſſit, ſphæram eum nuncupans, *cujus centrum ubique eſt, circumferentia nuſquam.* Cùm enim circumferentia ultimus ſphæræ terminus ſit, centrum verò illud punctum, quod in ſphæræ medio à quavis circumferentiæ parte æqualiter diſtat; manifeſtò hinc conſequitur, quemadmodum fieri non poteſt, quin ſphæra omnis finita certum aliquem habeat cùm ſuæ circumferentiæ, tum centri ſui locum; ſic ſphæram è contrario

infinitam proprii hoc habere, ut nusquam illius circumferentia sit, ubique illius centrum. Nusquam circumferentia, quia, cùm nullum ea terminum habeat, neque ullum potest habere hujus locum. Ubique verò centrum, quia, cùm in omnem partem sinè ullo termino excurrat, nullum designari intrà eam spatium, sive hìc, sive illic, sive alibi uspiam potest, quod non ex quavis circum parte infinitè, ideóque æqualiter ab illa excedatur, quódque propterea illius medium, & centrum jure nequeat vocari. Illud siquidem in medio alicujus magnitudinis existere omnes consentiunt, quod ab ea non hinc magìs, quàm illinc, sed æqualibus undique spatiis exceditur. Cujus rei exemplum esse potest mundus, intra divinam immensitatem existens. En duas hìc habemus sphæras, finitam, & interiorem unam, quæ est mundus; infinitam, & exteriorem alteram, quæ divina immensitas est, Si ergo de primæ circumferentia, atque centro interrogemur; nullius negotii fuerit proprium, & peculiarem utriusque locum statuere, hujus quidem in imo globi terrestris, illius autem in superficie ultimi cæli. At si idem ex nobis quæratur circa alteram; quàm impossibile erit usquam locorum illius circumferentiam reperire; tam obvium, quacunque oculos

los convertamus, illius centrum videre. Cùm enim nullum esse usquam possit spatium, ultra quod infinitè, tam à dextra, quàm à siniſtra, támque à superiori, quàm ab inferiori parte illa se non protendat; nullum quoque esse potest, ultra quod non æqualibus quaqua versus spatiis se porrigat: quod ex dictis superiùs perinde est, ac nullum posse usquam esse certum spatium, quod illius medium, & centrum haud sit: ac proinde tam centrum illius erit Europa, quàm America, tàmque globus terræ, quàm elementum aëris, vel cælum: quando singula, & omnia hujusmodi loca æquali undequaque intervallo, quia undique infinito, ab illius magnitudine transcenduntur. Transfer jam conditiones hujus sphæræ ad infinitatem perfectionis divinæ: útque perspicias, nullum esse perfectionis genus, aut gradum, in quo vel circumferentiam habere illa possit, vel centrum non habeat; finge animo perfectionem, quam ampliſſimam & exaggeratiſſimam potes; erítne illa ultimus terminus perfectionis divinæ? Imò ab hac infinito quaqua versum ulteriore intervallo excedetur: nihílque aliud, quàm aliquod illius centrum dici poterit. Intende acriùs mentem, & aliam perfectionem decuplo primâ illâ majorem comminiscere? erítne hæc saltèm extre-

tremum & circumferentia perfectionis divinæ? Imò ab ea, ulteriùs, ulteriúsque in infinitum effusa, tanquam aliud quoddam centrum, in medio sui relinquetur. Idémque fiet de tertia, idem de quarta, idem de quibuslibet aliis, quæ semper excellentiores, majoréſque, sive ab homine, sive ab Angelo concipi valent: neque hæc toties, repetita crescentium semper perfectionum designatio, aliud erit, quàm nova & nova centrorum assignatio, interminatæ circumquaque perfectionis divinæ: de qua concludere tandem licebit, eam sphæræ instar quaquaversus infinitæ, nequaquam in certa quapiam, sed in qualibet designabili perfectione suum centrũ habere: nec proinde fieri posse, ut in ullo, quantumvis eximio, nobis cognitæ perfectionis gradu circumferentiam suam habeat: cùm omnem, quantacunque à nobis concipi potest, perfectionem suo immensùm ulteriori ambitu prætergrediatur, intra séque, centri instar, concludat.

5. Addo, tanquam propositionem, nihilo præcedente minùs certam, infinitam hanc omnis generis perfectionem, quam DEO attribuimus, nequaquam in eo reperiri, quasi cumulum aliquem rerum, ab illo, & à se invicem distinctarum, quo pacto universa creata-

tarum perfectionum genera, in mundo collecta, cernuntur, & non rarò varia pulchritudinis, sapientiæ, & virtutis decora in uno homine simul existunt: sed reperiri per identitatem, quasi unicum & simpliciſſimum bonum, neque intra se divisibile, neque ab essentia illius distinctum. Quamvis enim angusta hominum mens nequeat immensissimum illud esse, aut per unicam speciem concipere, aut nomine unico exprimere, pluribus, & diversis in eo tum mente apprehendendo imaginibus, tum ore explicando vocabulis egens, jam infinitè sapientem, jam infinitè pulchrum, jam alio, atque alio perfectionis genere eximium appellans; hæc tamen diversitas nusquam habet, nisi in nostris mentibus, locum: cùm singuli illi peculiares conceptus, appellationésque nihil aliud revera significent, quàm simpliciſſimã DEI essentiam, quæ idem prorsus cum prædictis perfectionibus suis est, & in qua peculiaris quæcunque perfectio idem omnino cum quacunque alia, & reliquis omnibus est. Idque indicare nobis voluisse Regius Psaltes videtur, dum cecinit: (*Ps.* 20.) *Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus, & psallemus virtutes tuas:* Divinam perfectionem singularis numeri voce appellans *virtutem*, dum in DEO illam contemplabatur, ubi

ubi unica, & indiviſa res eſt: eandémque paulò pòſt plurali nomine vocans *virtutes*, dum de illa loqueretur, prout eſt in mente, atque ore hominum, qui eam nequeunt ſibi, aliiſque repræſentare ſinè diverſitate plurium vocum; ac ſi diceret: Nos, Domine, te laudaturi, alia atque alia in te diſtinguimus decora: ſed illa tamen omnia nihil re ipſa aliud ſunt, quàm unicum decus, tuum nempe ſimpliciſſimum, ac perfectiſſimum eſſe. Hæc verò omnium perfectionum in unicam perfectionem collectio, etſi numerum tollat, pretium tamen earum amplificat: cùm per hanc unitatem earum quælibet quodammodo conduplicetur, propriæ ſuæ infinitati totam quoque adjiciens infinitam cæterarum præſtantiam, quæ ſecum unà in DEO continentur. Id autem quò commodiùs intelligas, finge in DEO reperiri ſapientiam, & potentiam, & utramque infinitam, ſed quaſi duas formas, ab illo & inter ſe diſtinctas. Enimverò, ſi ità ſe res habeat, videbis, utramlibet ex geminis iis perfectionibus infinitam quidem futuram, ſed non niſi in unico tantùm, proprio nimirum ſuo genere, quin ſuper id vel ſapientia illa infinitè potens, vel potentia infinitè eſſet ſapiens. Cùm in præſenti, quando ambæ unum quid ſunt, quælibet novam perfectionis infinitatem

tem acquirat, tantíque ſit pretii, quanti forent diſtinctæ: quemadmodum in Auguſtiſſimæ Trinitatis Myſterio, quòd eadem divinarum omnium perſonarum ſit eſſentia; *Tantus eſt ſolus Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus ſanctus; quantus eſt ſimul Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.* (*Aug. L. 6. de Trin. c. 8.*) vel quo pacto anima, nutriens, ac ſentiens, quod idem in homine cum rationali anima ſint, omnem hujus præſtantiam, virtutémque ſuam faciunt: adeò ut actus omnes illius proprios etiam ipſæ producant, cunctis, quarum illa eſt capax, prærogativis decorentur, nihilóque illâ minùs ſpirituales, inocciduæ, & rationis participes ſint. Omnis ſiquidem virtus, ſecundùm D. Bonaventuræ obſervationem, tunc plurimùm valet, cùm maximè in ſe fuerit collecta; nec unquam in ſe ipſa eſt collectior, quàm cùm ad unitatem redigitur. Unde arguit idem Doctor Seraphicus, *ſimpliciſſimum in eſſentia maximum eſſe in virtute: quia virtus, quantò eſt plùs unita, tantò plùs infinita.* (*Itin. Ment. c. 5.*)

6. Neque fors quiſpiam, divinarum rerum minùs ſciens, ſuſpicetur, quæ affirmata hìc ſunt, non nisì pias amplificationes eſſe, & conjecturas, probabilibus quidem, ſed dubiis argumentis ſubnixas. Utraque propoſitio-

tionum noſtrarum ſolidiſſimam cùm à fide divina, tum à naturali ratione veri firmitudinem habet. Nam, ut à prima ordiamur, quibus ea diſertioribus ſacrarum Literarum teſtimoniis conſtabiliri poteſt, quàm, quæ habentur ſive in Exodo, ubi DEUS vocat ſe ipſũ, *omne bonum*, quod idem ſonat, ac infinitum bonum, dicens Moyſi: (*c.* 33.) *Oſtendam omne bonum tibi*; ſive in Prophetia Baruch, ubi de eo ſcriptum exſtat: (*c.* 3.) *Magnus eſt, & non habet finem, excelſus, & immenſus*: ſive in Pſalmis Davidicis, ubi omnis pariter terminatio ab illius magnitudine excluditur, (*Pſ.* 144.) *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis?* Quibus in locis clarum cuivis perſpectu eſt, infinitam magnitudinem DEO attribui, non modò, quantùm ad exporrectionem per omnia locorum ſpatia verùm etiam quantùm ad collectionem in ſe ipſo perfectionum omnium poſſibilium. Præſertim quòd, ubi de ſubſtantiis ſpiritualibus agitur; magnitudo earum exporrectionis per loca non aliunde, quàm ex perfectionis magnitudine eruitur: nec aliud, teſte D. Auguſtino eſt, majus eſſe aliquid, quàm eſſe perfectius. *In iis, quæ non mole magna ſunt, hoc eſt majus eſſe, quod eſt melius eſſe.* (L. 6. *de Trin.* c. 8.)

7. A

7. A nemine igitur, qui divinis oraculis fidem habeat, absoluta, & omnimoda divinæ perfectionis infinitas revocari in dubium potest. Sed neque ulli de ea ambigere licet, qui humanæ rationis principiis palàm adversari nolit. Quid enim? nónne ostensum à nobis jam est, DEUM neque ullam habere sui causam; & primam esse causam omnium, quæ sunt? Age jam, ostendamus, quàm perspicuè ex utroque horum capitum infinitæ illius essentiæ perfectio eruatur. Eruitur quàm clarissimè ex primo: nam, cùm nullam ipse habuerit causam, cur esset; neque ullam habere item potuit, cur hoc potiùs, quàm illud, tantúsque, & non major esset: sed, sicut à se uno habuit suum esse, ità habere illud debuit, secundùm totam plenitudinem, cujus est capax, & citra ullam determinationem tantæ, & non amplioris mensuræ. Declaratúrque adhuc pleniùs consequentiæ hujus vis, inductione omnium effectuum finitorum: de quibus si quæramus, cur intrà hanc potiùs producantur, quàm intrà nobiliorem aliam speciem, cúrque hanc, nec majorem sortiti præstantiam sint; nullam invenire rationem aliam possumus, quàm quòd eorum causa melius aliquid producere vel nequiverit, vel noluerit. Ac proinde, ubi quis rogitaret, cur ex equo

equus potiùs naſcatur, quàm homo, éque homine homo potiùs, quàm Angelus? cur tardior ſit volatus avium, quàm fulminum, & lux à cereo diffuſa ſolis jubar non æquet; omnibus hiſce, & quibuslibet aliis id genus interrogationibus unica reſponſio eſſet, provenire id ex prædictorum effectuum cauſa, quæ vel ex virium inopia tantum poſſit, nec amplius; vel, ſi amplius poteſt, nolit, niſi tantùm efficere. Si ergo omnis rerum creatarum determinatio, quódque illæ hac potiùs, quàm diverſa, & majori perfectione ſint præditæ, non aliunde proficiſcitur, quàm quòd earum cauſis ſeu virtus, ſeu voluntas, alios, melioréſque effectus pariendi, defuerit; qui, ceu ſupremus mundi opifex non indiguit ab alio quoquam accipere, ut eſſet, ſed ſemper à ſe ipſo, pérque ſuam tantummodo virtutem fuit, neminem profectò habuit, qui intrà certos perfectionis, eſſentiæque fines ipſum concluderet, quaſi intrà litora, ubi ſcriptum ſit: (*Job. 38.*) *Huc uſque venies, & non procedes ampliùs:* dicendúſque eſt eſſe, qualis à Dionyſio Areopagita, & Gregorio Nazianzeno deſcribitur (*De Div. Nom. c. 5. Or. de Nat. Dom.*) *Non quovis modo ens, ſed ſimpliciter, & incircumſcriptè totum eſſe in ſe pariter complexus, & anticipans, tanquam infinitum quoddam & interminatum*

tum

tum essentiæ pelagus. Quam rationem opportunè attigit, ínque suam rem traduxit Cardinalis Cajetanus, cùm à Ludovico Sfortia, Mediolanesium Principe, ob exiguam corporis staturam, atque speciem, minoris se fieri intelligeret: (*Feder. Bord. Gr. Princ. c. 11.*) revocans illi in memoriam ea Psalmi nonagesimi noni verba, *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Quasi diceret, si egomet meum mihi corpus compegissem, haberem illud, quale mihi arridet, omnis expers vitii, & defectûs: nunc verò, cùm alius illud formaverit; tale mihi habendum est, quale illius opifex construendum, & nihi assignandum putavit. In summa longè diversa hæc duo sunt, participem alicujus esse, & bonũ illud instar rei propriæ, ac per se habere: participem verbi gratiâ thesauri, vel potestatis regiæ esse, & thesaurum, vel regiam potestatem suo jure obtinere. Primum significat partem tantummodo aliquam rei habere: alterum totâ illâ potiri. Entia creata, quemadmodum non nisi per participationem sunt, ità nunquam esse acquirunt, nisi dimidiatum, & certâ definitum mensurâ. DEUS, sicut à se ipso, pérque innatam virtutem suam est; ità esse integerrimum possidet, cui nihil ad summam plenitudinem desit. Illa perfectionem suam ex aliena liberalitate ac-

cipiunt, nec pro ſuæ voluntatis, & illius amplitudinis modo, quanta eſſe nunquam poteſt, ſed quantam largiri alius voluerit. Ipſe ſuam per ſe ipſum, & pro mero arbitratu ſuo ſibi ſumit, tantámque, quanta eſſe poteſt, cùm rei ſumendæ amplitudo, tum ſumentis voluntas. *Omnia bona*, inquit Auguſtinus, *ſed facta bona. Qui fecit hæc, ſuper omnia eſt bonus: quia nullus eum fecit, ſed à ſe ipſo eſt bonus.* (*Serm. 3. de Diverſ.*)

8. Sed fortè adhuc clariùs hæc perfectionis, eſſentiæque infinitas ex prædictorum capitum altero eruitur, ex eo nempe, quòd DEUS univerſalis cauſa eſt omnium, quæ ſunt, quæque eſſe poſſunt. Nam cùm nemo largiri bonum alteri poſſit, quod ſibi deſit, ideóque omnis cauſa continere in ſe debeat, vel eodem, vel excellentiori modo, totam rerum à ſe productarum bonitatem; neceſſariò colligendum indè eſt, quod D. Anſelmus colligit, in DEO perfectiſſima rerum omnium poſſibilium cauſa, contineri totum eſſe, & totam bonitatem poſſibilem: (*Proſ. c. 5.*) *Quod ergo bonum deeſt ſummo bono, per quod eſt omne bonum?* Jam verò eſſentiæ poſſibiles, & perfectionum iis convenientium gradus ultra omnem terminum ſunt: cùm produci è nihilo queant rerum ſpecies, aliæ ſemper aliis per-

fectiores, quin pervenire unquam sit sive in substantiis ad certam aliquam, qua creari nulla possit præstantior; sive in earum prærogativis & dotibus ad gradum aliquem, ultra quem nullus eminentior superfit, ceu in numeris percensendis, quantumcunque arithmetica progrediatur; nullum ità exaggeratum excogitare unquam potest, quin alius porrò major, imò infiniti alii majores se objiciant. Si ergo & in DEO, tanquam in perfectissima rerum omnium possibilium causa, contineri necesse est omne bonum possibile, & hoc ultra quosvis terminos; quonam pacto dubitari potest, quin DEUS bonum sit usquequaque infinitum, & omni termino ulterius?

9. Præterea argumentari sic licet. Nemo atheorum comminisci unquam rationem potuit, quæ evincat, necesse esse, ut semper, & ubique perfectio cum defectu, bonúmque misceatur cum malo: quin imò longè rationi congruentius videtur oppositum, nempe ut, si entia imperfecta existunt, possibile etiam sit ens absque ullo defectu: &, si bona passim malis temperata ac permista cernuntur; possit quoque esse bonum omnis mali expers: tum quia quævis contraria dissociari potiùs appetunt, quàm in unum coire; tum quia malum alioqui & defectus, necessarium aliquid

in natura essent, atque ab ea per se volitum, quod mens nostra, tanquam innato suo sensui contrarium, vix auditum omnino aversatur, & respuit. Si ergo, ubi res aliqua nihil veritati, & communibus rationis principiis repugnans præsefert, satis id esse, ad illius possibilitatem admittendam censemus; quidni causam idoneam putemus admittendi ut possibile ens purum à quovis malo, & defectu, quòd illud rectæ rationi nedum nulla in re opponi, sed peculiarem etiam cum ea videatur habere congruentiam? At, si illius possibilitatem fatemur, existentiam quoque fateamur, necesse est; idque ex duplici capite: primò, quia ut aliquid omni defectu, & imperfectione careat, debet necessariò à se excludere possibilitatem non existendi, quæ certè aliqua est imperfectio: neque hanc potest excludere, nisi sit ens necessarium, & cujus natura sit semper existere. Secundò, quia si nullum ens ità purè & absolutè perfectum in mundo re ipsa existeret, impossibile prorsus esset illud unquam existere. Cùm enim nihil rerum in mundo existentium par illi in perfectione esset, nihil item esset illi producendo sufficiens: ut proinde confitenda illius existentia, vel neganda possibilitas sit. Neque minorem conficiendæ rei vim hoc idem argumen-

mentum habet, si proponatur, quo pacto nonnulli illud adhibent: demonstrando videlicet, nullam rationem occurrere, cui repugnet, coadunari in uno aliquo ente, quidquid purarum perfectionum possibile est: cùm potiùs coadunatio hujuscemodi apprime consentanea videatur tum naturali appetitui, quo res omnes conjungi cum aliis sui similibus, & ejusdem generis quærunt, ceu aquæ exempli gratiâ, quas videmus ex diversis quibusque partibus in eundem maris alveum confluere; tum inductione complurium perfectionum creatarum, quæ per naturas inferiores singillatim dispertitæ, in excellentiori aliqua conjungi simul omnes cernuntur: ceu elementorum qualitates, in uno quoque ex corporibus indè compositis: ceu vitæ propriæ plantarum, & brutorum in homine: ceu peculiarium sensuum virtutes in sensu communi: & ceu, quæ cuivis facultatum sentientium conveniunt, in una intelligentia atque mente. Unde mox sequitur, ceu paulò antè argumentabamur, neque impossibile credi posse ens, in quo puræ omnes perfectiones concurrant, neque admissa illius possibilitate ejusdem existentiam negari.

10. Hæc igitur, pluráque id genus argumenta sua cuique naturalis suppeditat ratio

ad confirmandum, quod Orthodoxa fides circa infinitam perfectionem tradit. Quæ quanti ponderis sint, ad veritatem prædictam cuivis sanæ menti persuadendam, colligi abundè potest ex unanimi assensu, quem iis præstitere etiam ipsi sapientes profani. Et multi sanè horum in medium producendi essent, imprimis Trismegistus, qui DEUM planissimè appellat (*Pim. c. 4. & 6.*) *Bonum sinè termino*: addens, in boni nomine exprimendo, non aliud significari à se velle, nisi unum bonum, quod omnia in se colligat bona: *Bonum quoties nomino: id quod omnia bona, & bonum semper intellige. Hoc unico DEO adest.* Item Plotinus, qui, non contentus, infinitam DEO præstantiam tribuere, explicat itidem, quonam ea pacto intelligenda sit; nimirum non crassè, pérque rerum sensibilium speciem: (*En. 6. L. 9. c. 6.*) *Quasi sit magnitudo, vel multitudo quædam, quam non liceat pertransire. Sed quia sit potestas, quam comprehendere nequeas. Quantumvis enim excelsum pro viribus illum cogites, adhuc excellentius supereſt.* Et alibi, ex eo, quòd DEI natura cæterarum naturarum quasi universalis mensura sit, nullam arguit illius posse inveniri mensuram, (*En. 6. L. 5. c. 11.*) *Quæ determinet, quanta sit. Nimirum universa potestas est, nullo modo tanta, vel tanta.* Sed

his

his præteritis, satiùs credo fuerit cum D. Thoma breviùs dicere, communem hanc fuisse vetustissimorum quorumvis sapientum sententiam : (*L. 1, c. Gent. c. 43.*) *Qui omnes infinitum posuerunt primum rerum principium, quasi ab ipsa veritate coacti.* In sempiternum sanè opprobrium sacrilegi Vorstii, qui haud veritus est elapso proximè sæculo, novi atheismi vexillum attollere impietate execrabili, & ipsis etiam Calvinianis gregalibus suis erubescenda, pronuntians, DEUM esse in sua essentia, & perfectione finitum : (*Apud Becan. c. 5. de Deo. Vide & Rain. in Theol. Nat. dist. 7. n. 134.*) Et fortasse huc compulsus fuit, quia rem examinans, nodum aliquem extraordinariæ à nullo veterum animadversæ, & indissolubilis propemodum difficultatis offenderat ? Imò argumentis motus tam frivolis, atque inanibus, ut supravacaneum putem, eorum refutationi immorari, contentus ad aliorum specimen illud tantum referre, quòd, cùm nihil cæterarum rerum finitum non sit, DEUM quoque talem esse colligatur. O conclusionem Calvinianâ dialecticâ dignam ! O caput ! quod infinitæ magnitudini admittendæ impar fuisse mirum non sit ? En, qua mentis subtilitate novi isti sacrarum Rituum, & dogmatum emendatores polleant. En rationes, Areo-

pagitis, Nazianzenis, Aquinatibus, omnibúsque uno verbo sacris Doctoribus ignoratas; propter quas DEUS à nupero hoc theologastro tã insigni divinitatis suæ prærogativa exui deberet. Quid supereſt, nisi ut, pergentes hoc pacto argumentari, concludamus, DEUM esse aliquid contingens, ab alio productum, certo tempore inchoatum, mutabile, imperfectum, nec satìs per se sibi sufficiens? enimverò credi aliter nequit. Nimis necessariò id consequitur; cætera omnia sunt talia.

II. Sed relinquamus hunc vespertilionem in tenebroso suo specu, probemúsque, quod secundo loco est propositum, absolutissimam scilicet divinæ hujus assertæ infinitatis simplicitatem, eò quòd omnia perfectionis genera in summo illo ente reperiantur, non quasi plura bona inter sese, atque ab ipso distincta, sed quo pacto ipsummet in se est, nimirum sinè ulla compositione diversarum partium, quasi unicum omnino indivisum, & simpliciſſimum bonum. Quæ veritas, esto haud ità perspicuè in sacris voluminibus expressa habeatur, certissimum tamen Catholicæ fidei dogma est, útque tale concordibus sanctorum Patrum testimoniis adstruitur. Audiamus ex iis aliquot, incipientes à Magno Areopagita, qui DEUM, licèt omnia in se complectatur, ra-

ratione tamen ſimplicitatis, qua illa complectitur, non nisi unum quid eſſe affirmat. (*De Div. Nom. c.* 3.) *Unum dicitur, quia eſt omnia unicè.* Idem docet D. Auguſtinus, tradens, nullam reperiri in DEO diſtinctionem, ſive unius perfectionis ab aliis, ſive omnium à divina ſua eſſentia. (*L.* 6. *de Trin. c.* 7.) *DEUS multipliciter quidem dicitur; magnus, bonus, ſapiens, beatus, & verus, & quidquid aliud non indignè dici videtur. Sed eadem magnitudo ejus eſt, quæ ſapientia; & eadem bonitas, quæ ſapientia, & magnitudo; & eadem veritas, quæ illa omnia: & non eſt ibi aliud beatum eſſe, & aliud magnum, aut ſapientem, aut bonum, aut verum eſſe, aut omnino ipſum eſſe.* Qua etiam doctrinâ utitur ad eum locum ex capite ſeptimo Sapientiæ explicandum, ubi ſpiritus DEI appellatur *unicus*, itémque *multiplex* : dicens *multiplicem* eum vocari, (*L.* 11. *de Civ. c.* 10.) *eò quòd multa in ſe habeat* : ſed ità ut *unicus* ſimul appelletur, quia, *quæ habet, hæc & eſt, & ea omnia unus eſt.* Idem videri poteſt apud D. Bernardum ſermone octogeſimo ſuper Cantica Salomonis, ubi ait in divina natura, & *multa in unum, & diverſa in idem redigi*: ſubdens inferiùs, ſive conſideretur magnitudo, ſive ſapientia, ſive bonitas, ſive juſtitia; *omnia hæc unum in* DEO *eſſe, & cum* DEO. *Nec enim aliunde*

de bonus, quàm unde magnus, & bonus; nec aliunde simul hæc omnia, quàm unde DEUS *est.* Neque ibi duntaxat, sed in quinto etiam *de consideratione* libro videtur secum certare in hac veritate declaranda; cujus assertor præcipuus contra Gilberti Porretani errores fuerat: jam inquiens, *In* DEO *nihil esse, nisi* DEUM; jam subtiliter animadvertens, DEum se appellâsse non plurali nomine, ea *quæ est*, sed singulari, illum *qui est: Meus* DEUS *est, qui est, non, quæ est.* Dignus item audiri est D. Anselmus, tum ubi ex identitate divinarum perfectionum cum divina essentia colligit, nec plus, quàm unum aliquid posse illas omnes; nec aliud, quàm illas omnes unamquamque earum censeri. (*Monol. c.* 16.) *Necesse est, ut omnia illa non plura, sed unum sint, & idem unumquodque illorum, quod omnia sunt simul:* tum ubi singularum perfectionum nominibus non aliquod divinæ substantiæ ornamentum, sed ipsammet substantiam significari ait: (*Ibid. c.* 15.) *Quidquid de illa dicatur, non qualis, vel quantus sit, sed quid sit, demonstratur.* Qui divinæ simplicitatis exprimendæ modus, priùs etiam usurpatus fuerat à Paschasio Diacono, & D. Leone Pontifice Maximo: ab illo quidem, dum definiit, (*L.* 2. *de Spir. S. c.* 6.) *Nullum DEI nomen adjectivum esse;* ab hoc verò

dum

dum scripsit, *Quidquid dignè sentitur de DEO, non qualitatem esse, sed essentiam.* (*Ep. 93.*)

12. Quanquam, etsi fides divina nequaquam id cogeret credere, satìs tamen supérque ad certissimos nos de illius veritate reddendos, ipsamet naturalis ratio esse posset. Si enim DEI perfectiones formæ quædam ipsi adventitiæ, & distinctæ ab eo forent; neutiquam sanè dici posset per suam ille essentiam, sed per quidpiam duntaxat creatum, aliunde sibi accedens, bonus, pulcher, dives, justus, sapiens, beatus: illísque à se divisis qualitatibus maximopere indigeret, utpote qui sinè illis, & merè ùt DEUS est, nihil omnino præclari & eximii ullo in genere haberet: sed mera quædam esset quasi materia aliunde solummodo, pérque formas à sua essentia distinctas perfici valens. Unde etiam sequeretur, DEUM, quà DEUS est, & secundùm meram suam Divinitatem: non esse aliquid præstantissimum omnium,, quæ cogitari possunt. Totum quippe ex ipso, & perfectionibus ab ipso distinctis compositum, quidpiam certè ipso, per se tantùm spectato, esset excellentius: quemadmodum, quia hominis sapientia ab illo distinguitur, melius quid censetur sapientem hominem, quàm merè & simpliciter hominem esse. Consectaria profectò absurdis-

si-

sima, & immane quantùm aliena ab infinita summi esse divini præstantia, quod, secundùm Doctoris Angelici animadversionem, quemadmodum (L. 1. *c. Gent. c.* 18.) *est in fine nobilitatis omnium entium*; sic debet quoque esse *in fine simplicitatis*: nec ab ullo, qui justam germanámque illius speciem mente formaverit, alio potest concipi modo, quàm quo hìc propositum est, & quale in citato suprà Sapientiæ loco appellatur *multiplex* simul atque *unicum*: Esse videlicet, in quo omnia quidem possibilia bona contineantur, sed nec invicem à se ipsis, nec ab illo distincta; ut infinitus eorum cumulus nullum ibi numerum, nullámque compositionem pariat, neque revera aliud sit, quàm ipsum tantummodo in perfectissima simplicis suæ naturæ unitate subsistens.

13. Atque hinc factum est, ut veritas tam perspicua neque illos sapientes latuerit, quibus in caliginosa ethnicæ superstitionis nocte non alia, quàm humanæ rationis lux affulgebat. Unde expressam habemus à Hierocle, ubi ait, DEI bonitatem non distingui ab ejusdem substantia. (*Comment. Carm. Pythag.*) *DEUS non adventitiam habet bonitatem, sed substantivam.* Habemus disseminatam ab Aristotele per quodlibet ferè suorum operum: nimirum tum in libris Politicis, ubi affirmat, DE-

UM

UM esse felicem; (*L. 7. c. 1.*) *per se ipsum, non per aliquid externum*; tum in Moralibus, ubi ipsum docet, non expectare ab alio, sed per se sibi esse suum bonum. (*L. 7. Mor. Eud. c. 15.*) *Nobis bonum aliunde evenit, cùm ipse bonum sibi sit*: idque peculiariùs, ac nominatim de virtute exprimit, negans eam ab ipso distingui. (*L. 2. Magn. Mor. c. 6.*) *DEI virtus nulla; præstantior enim omni virtute DEUS; nec virtute probus: nam tum virtus esset DEO melior*; tum in spectantibus ad res physicas, ubi testatur: (*L. 2. de Mund. & Cæl.*) *Optimè se habenti inesse ipsum bonum sinè actione: est enim ipsum id, cujus gratiâ*; tum denique in metaphysicis, ubi tradit: (*L. 12. c. 7.*) *Ipsum DEUM esse actum: & actum per se illius vitam esse*: addens, si ipse distingueretur à sua vita, & intellectione; (*lb. c. 9.*) *aliquid honorabilius eo fore.* Habemus contestatam à Trismegisto, dum in cumulo omnium perfectionum ipsam DEI essentiam constituit: (*Pim. c. 11.*) *DEI quasi essentia est bonum, pulchrum, sapientia, beatitudo, ipsum idem.* Habemus declaratam ab Alcinoo, qui, cùm DEO attribuisset plura nomina supremæ illius naturæ propria, (*c. 9.*) *DEUS est omni ex parte perfectus, Divinitas, essentialitas, veritas, commensuratio, bonum*; profitetur nihil se intelligere in his omnibus aliud, nisi unam indi-

vi-

visam substantiam. *Dico autem hæc, non ut separans, sed ut per omnia unum intelligens.* Audimus comprobatam ab Hippodamo Thurio, (*apud Stob. S.* 101.) argumento diversitatis, quæ nos inter ac DEUM intercedit: dum, sicut in nobis distinctio à virtutibus, aliisque formis, unde perficimur, ex eo provenit, quòd illæ non sint nobis per necessitatem in nostra essentia insitam debitæ; sic ex eo, quòd DEUS suammet per essentiam sit bonus, ac perfectus, sequitur, nulla ipsi re alia, ut sit talis, quàm solâ suâ essentiâ opus esse. Videmus significatam à Pythagoricis nomine Apollinis, quo DEUM mysticè ipsi nuncupabant: (*Apud Plot. En.* 5. *L.* 5. *c.* 6.) *Apollinem secretiori quadam significatione inter se nominantes, ipsam scilicet negationem multorum:* cùm negatio hujuscemodi, eo nomine apud Græcos contineatur. Videmus postremò repetitam à Plotino pluribus locis: jam interrogando (*En.* 6. *L.* 8. *c.* 20.) *Quid est ipsius, quod non sit ipse?* jam affirmando, ejusmodi eam esse; ùt in illo (*En.* 5. *L.* 5. *c.* 6.) *Ipsum quale significet non quale. Nam neque quale inest ei, in quo non est aliquid:* quique (*En.* 1. *L.* 8. *c.* 2.) *habet cuncta, non habens. Neque enim ea possidet, tanquam alia, neque ipse alius existit:* jam addendo, (*En. lib.* 6. *c.* 3.) *In natura infinita si quid apprehenderis, velut*

unum;

unum; ſubitò id occurrere, ùt multa. Eum verò ſi multa dixeris, iterum te mentiturum. Nempe ubi quodlibet non eſt unum, neque etiam omnia ſunt multa. Neque ſolùm toties, & tam variè ab eo repetitam videmus, ſed tribus etiam validiſſimis argumentis aſſertam. Primum eſt, quia in DEO nulla reperiri poteſt perfectio, nisi omnino infinita, quæque per ſe unam ſit tota perfectio poſſibilis (*En. 6. L. 7. c. 1.*) *Si oportet in DEO quamlibet actionem eſſe defectûs expertem, neque fas eſt penes eum eſſe aliquid, quod non ſit totum, & univerſum; profectò neceſſe eſt, in unoquoque eorum, quæ DEI propria ſunt, omnia contineri.* Secundùm, quia ipſe non ſolùm eſt bonus, ſed ipſamet pura bonitas: quod dici non poſſet, ſi haberet bonitatem à ſe ipſo diſtinctam: quemadmodum homo, cùm à ſapientia ſua diſtinguatur, dici quidem poteſt ſapiens, & ſapientiam habens, at nequaquam ipſa etiam ſapientia. (*En. 5. L. 5. c. 13.*) *Cùm DEUS ſit ipſum bonum, non verò bonus; oportet ipſum nihil prorſus in ſe habere, quando nec bonum habet.* Tertium, quia DEUS, cùm ſit prima & ſumma omnium cauſa, debet ipſemet ſibi unus pleniſſimè ſufficere, neque ulla re extranea, & à ſe diſtincta indigere. (*En. 6. L. 9. c. 6.*) *Oportet ſummum rerum principium nullo modo indigum eſſe, ſed ſufficientiſſimum, maximéque ſe ipſo*

contentum. Quidquid autem non unum est, sed multa, necessariò est egenum: Quippe cùm ipsum quidem non sit unum, sed ex multis unum evadat. Itaque ejus essentia indiget unum fieri. Quin etiam, quod in se multa est, tot indiget, quot existit. Si ergo necesse est, sufficientissimum esse aliquid, unum quoque esse oportet. Nam, cùm aliis ipsum sit tum essendi, tum bene essendi causa; meritò hoc ipsum, quod est, & bene est, non habet ab aliis.

14. Multa verò, & eximia admodum sunt divinæ naturæ decora, quæ ex sua hac tam omnimoda, & simplici infinitate colligi possunt. Colligitur primò, DEUM esse perfectum in quovis genere, nec bonum solummodo, sed ipsammet purissimam, universalémque bonitatem. Perfectum, dixi, in quovis genere. Tale enim per Aristotelem est, (*L. 5. Metaph. c. 16.*) *Cui nihil omnino deest, nec ab aliquo exceditur*: vel, prout alibi ab eodem definitur, (*lb. L. 10. c. 6.*) *Quod nullo indiget, & extra quod non est possibile aliquid habere.* Quas definitiones ratione infinitatis suæ DEO ad amussim convenire, nemo est, quin perspiciat. Imò Dionysius Areopagita parùm arbitratur, pro hac tam universali, támque immensa essentiæ plenitudine, eum simpliciter perfectum vocare: addens, esse (*De Div. Nom. c. 13.*) *supra quàm perfectum, secundùm omnium excessum.* Di-

xi

xi præterea, ex eadem simplicissima infinitate sui esse, non coagmentati ex subjecto, atque forma, neque à sua perfectione distincti, meritissimè ei convenire, ut vocari possit, ceu à D. Augustino vocatur, (*L. 7. Conf. c. 3. & in Ps. 26.*) *Non tantùm bonus, sed ipsum bonum: imò omnis boni bonum, cui non addatur, quid sit, nisi ipsum bonum*: útque de ipso affirmari substantivè, & in abstracto bonitas queat: neque hæc tantùm, aut illa, sed quæcunque est possibilis, absolutissima, integerrima, & secundùm omnem sui nominis plenitudinem bonitas: privilegio penitùs singulari, quódque nulli omnino ex aliis quibusque substantiis conveniat. Omnes hæ siquidem, cùm à perfectionibus suis distinguantur; bonæ solummodo, at non etiam sua dici bonitas possunt: earum bonitas, cùm certis definiatur limitibus; hæc, aut illa duntaxat, non verò universa, & omnigena appellari bonitas potest.

15. Colligitur secundò, propriè DEO convenire, ut sit omne esse, non suum modo, sed & omnium, quæ extra ipsum sunt: qualem eum, teste Plutarcho, agnoverunt Ægyptii, subjicientes illius simulacro hanc epigraphen, (*De Iside*) *Ego sum omne, quod fuit, quod est, quódque erit*: qualémque professi sunt Trismegistus, atque Aristoteles: hic af-

firmans, (L. 9. *Ethic. c.* 4.) DEUM *esse id, quodcunque est*; ille verò scribens, (*Pim. c.*5.) *Nihil est in rerum natura, quod ipse non sit. Est ille siquidem, quæ sunt: est etiam, quæ non sunt.* Id tamen accipiendum est non secundùm esse physicum, ità ut DEUS sit omnia, prout corpus dicitur esse omnia sua membra: sed secundùm virtutem, ac præstantiam, prout numus aureus dicitur continere plures numos argenteos, atque æreos. Quemadmodum enim hi verissimè in illo existunt, non tamen secundùm peculiarem suam speciem, sed secundùm merum suum pretium; ità in summo esse divino, continetur esse omnium rerum possibilium, non tamen secundùm ea, quæ singulis propriè conveniunt, sed secundùm puram putam rationem entis, à peculiaribus quibusque differentiis abstracti. Unde fit, ut, licèt multa entia creata secundùm rationem, qua in se ipsis existunt, hostilibus invicem odiis dissideant, nullum tamen ens creatum ab altero quovis dissideat secundùm rationem, qua ambo in DEO existunt. Extra DEUM quippe contraria inter se sunt, non quatenus purè sunt entia (neque enim ens, quà tale, contrarium enti potest esse, sicut neque ignis igni) sed quatenus per suas quæque differentias ab universali entis ratione ad certas ali-

aliquas illius ſpecies coarctantur. Quæ coarctatio cauſa eſt, ut quodlibet, ſicut excludit à ſe alterum, ſic alteri oppoſitum ſit, juxta illam Philoſophi regulam, qua definitur, ideo aliqua mutuò ſibi opponi, quia mutuò ſe excludunt: (*L. 10. Metaph. t. 16.*) *Omnis contrarietas habet alterius contrariorum privationem.* Quocirca, cùm creatæ res in DEO exiſtant, non ſecundùm contractionem ad certum propriúmque aliquod eſſe, cujus causâ mutuò ſe excludunt, ſed ſecundùm generalem, & puriſſimam entis rationem, in qua unumquodque amicum & cognatum cuilibet alteri eſt; ſequitur ſanè, ceu probè animadverſum à D. Thoma eſt, ut omnia ſociali, atque amico ibi fœdere inter ſe copulentur, (*1. p. qu. 4, a. 2.*) *Quæ ſunt oppoſita, & diverſa in ſe ipſis, in eo præexiſtant ùt unum:* tanquam ſuis omnibus differentiis ibi exuta, & in unum quoddam puriſſimum, indefinitum, & omnino indiviſum eſſe, quale eſt divinum conflata. *Quamobrem* (concudit egregiè Areopagita) *univerſa ipſi entia, ſecundùm unam omnibus eminentem copulationem ſunt attribuenda. Quandoquidem omnia præhabet ſecundùm pluſquam ſimplicem infinitatem ſuam. Etenim* (ceu antea ſcripſerat) *non hoc quidem eſt, illud verò non eſt, nec aliquo modo eſt, aliquo verò non eſt, ſed potiùs omnia eſt, ut omni-*

um Author, & ſupra omnia eſt, utpote ante omnia, ſupra eſſentialiter ſupra quàm exiſtens. (*de Div. Nom. c.* 5.) Paucis, res creatæ nequeunt invicem ſibi opponi, quatenus merè entia ſunt, ſed ſolummodo, quatenus hæc, & illa diverſæ ſpeciei entia. Atqui in DEO non exiſtunt, nisi ſecundùm puram, & ab omni diverſitate abſtractam entis rationem. Ergo, quamvis extra DEUM aliis aliæ opponantur, in eo tamen ſocialiter coëunt: imò unum & idem omnino ſunt, nec aliud, quàm ipſemet DEUS.

16. Colligitur tertiò, nihil eſſe in rebus creatis, quod de DEO affirmari, negaríque pariter nequeat: ùt & Triſmegiſtus apertiſſimè teſtificatur, ſcribens: (*Pim. c.* 5.) *DEUS nomina habet omnia, nomen quoque nullum habet:* & graviſſimi duo Doctores, Nazianzenus, atque Areopagita confirmant, iiſdem penè ambo verbis DEUM nuncupantes. (*Nazian. in Hymn. ad DEUM. Dion. c.* 1. *de Div. Nom.*) *Anonymum, & Omninomyum, omnia, & nihil eorum, quæ ſunt.* Omnia igitur affirmari de eo poſſunt, quia ſecundùm præſtantiam perfectionémque ſuam omnem in eo continentur: eo pacto, quo in principis cauſæ virtute totum eſſe effectuum, & in ultimo fine tota inſtrumentorum ipſi ſervientium amabilitas contine-

netur. Sed nihilominus omnia etiam de illo possunt negari, quia non sua naturali, sed alia omnio diversa ratione in eo sunt, pura nimirum ab omni defectu, nullis contracta peculiarium differentiarum limitibus, támque alia à se ipsis, quàm ab esse creato differt sumum esse divinum. Audiatur Plotinus, sic rem totam brevi concludens: (*En. 6. L. 7. c. 32.*) *Quod à nullo factum est, nullum entium est, & cuncta entia. Nullum quidem, quoniam posteriora hoc entia sunt: cuncta verò, quia ex ipso nascuntur.* Neque non aptum declarandæ huic rei exemplum in nostra mente habemus: quæ veluti præcellenter continet, quidquid virtutis ad cognoscendum habent universi quinque sensus corporei; ità vocari non absurdè potest facultas videndi, audiendi, tangendi, olfaciendi, gustandi, nempe oculus, auris, & reliqua id genus actionum organa. Sed nihilominus affirmari de illa etiam oppositum potest: nimirum non esse vel aurem, vel oculum, vel quemquam alium ex sensibus, neque vel audire, vel videre, vel quidquam eorum agere, quæ à sensibus fiunt. Nam diverso, & præstantiori modo, quàm oculus, spectabilia objecta repræsentat: & perfectiùs, quàm auris, vel quilibet reliquorum sensuum cognoscit, quidquid ab iis per species singulo-

rum proprias percipitur. Sed, ut meliùs declaretur, undenam proveniat inhabilitas cujuslibet nominis, creatarum rerum proprii, ad DEUM dignè exprimendum, & ratio proinde, cur ea omnia affirmari simul, negaríque de eo possint; libet eam cum D. Thoma revocare ad duo capita. (*1. p. qu. 13. a. 1. & 5.*) Primum est, quia, cùm quælibet hujusmodi nomina vel adjectiva sint, putà bonus, sapiens, magnus; vel substantiva, ùt bonitas, magnitudo, sapientia; neutra DEO aptè conveniunt. Non priora, quia significant aliquid ex subjecto, & forma compositum, quæ compositio à DEI simplicitate alieniſſima est. Sed neque altera, quia repræsentant potiùs id, *quo aliquid est*, quàm id, *quod est*, plenè absolutum, & per se omnino subsistens, cujusmodi est esse divinum. Alterum prædictæ inhabilitatis caput est, quia, sicut rerum creatarum perfectiones differunt, & distinguuntur aliæ ab aliis; sic nomina, quibus nos utimur, ad perfectionum hujusmodi aliquam significandam, id solùm de illa repræsentant, per quod illa ab aliis distinguitur. Unde fit, ut tribuendo alicui hominum nomen sapientis, exprimamus eo nomine ipsius sapientiam, qualis revera in ipso est, & secundùm totam significationis illius plenitudinem. At idem nomen DEO tribuen-

entes, nequimus eo exprimere sapientiam DEI propriam: utpote quæ neutiquam una singularis perfectio est, sed præter sapientiam eo nomine à nobis intellectam, pulchritudinem simul, bonitatem, potentiam, & reliquas omnes perfectiones divinas suâ essentiâ & nomine complectitur. Ideóque, quantùm sapientia, vel quæcunque alia singularis prærogativa (qualis revera in rebus creatis existit, & qualem nos in proprio illius nomine concipimus) universis prærogativis possibilibus cedit; tantùm nomen sapientis, & quodcunque aliud similiter determinatum, ubi affirmatur de DEO cum sua illa curta, & peculiari significatione, infrà immensam subsistit illius objecti amplitudinem, ad quod exprimendum adhibetur, neque infrà sapientiam, vel quamcunque aliam perfectionem divinam: Cùm unaquæque harum nihilo minùs latam, & universalem significandi vim habeat; quàm reliquæ omnes simul sumptæ, quámque ipse DEUS cum tota immensissimæ suæ essentiæ amplitudine. Ad summam, si res creatæ nullam à natura proportionem cum infinito Creatore suo habent; quonam pacto hanc habere nostra possint vocabula, non ad alium, quàm ad rerum creatarum modulum atque exemplar condita? exprimendi verbi gratiâ, quod

omnia unum possibilia bona est, nomen requireretur, quod omnium excogitabilium nominum significationem unum comprehenderet. At in quibusnam nostratibus Lexicis hujuscemodi nomen reperias? Præclarè D. Augustinus super illo Psalmi 35. versiculo, *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*; hìc inter nos, ait, aliud est fons, aliud lumen: ac proinde utrumque satìs exprimi à nobis censemus, si alteri fontis, alteri tribuamus luminis nomen. Sed quid faciendum nobis esset, si tertiũ quidpiam occurreret, in quo idem prorsus foret esse fontem, atque esse lumen? oporteret profectò aliud nomen excogitare, & interea quoad hoc reperiretur, ità illud vocaremus lumen, & fontem; ut simul fateremur, nec fontem esse propriè, nec lumen. *Hìc aliud est fons, aliud lumen. Ibi non ità. Quod enim est fons, hoc est lumen. Quidquid vis illud voca, quia non est, quod vocas. Quia non potes congruum nomen invenire; non remanet in uno nomine.* Addit S. Thomas, quemadmodum in terrestri hac peregrinatione divinam perfectionem expressuri, pluribus, variisque indigemus nominibus, eò quòd illã non aliter agnoscamus, quàm creatæ res eam exhibent, in plures nimirum perfectionis species divisam; sic in cælesti patria, ubi eandem intrà simplicis-

cissimum suum esse indivisim collectam spectabimus; unicum nobis nomen ad eam totam exprimendam sat fore. (*L. 1. c. Gent. c. 51.*) *Quia non possumus DEUM cognoscere naturaliter, nisi ex effectibus; oportet, quòd nomina, quibus perfectionem ejus significamus, diversa sint, sicut & perfectiones in rebus inveniuntur diversæ. Si autem ipsam essentiam, prout est, possemus intelligere, & ei nomen proprium adaptare; uno tantùm nomine eam exprimeremus. Quod promittitur his, qui eum per essentiam videbunt, Zachariæ ultimo: In die illa erit Dominus unus, & nomen ejus unum.* Concludatur ergo, posse nos quidem, quidquid illustrium nominum est, DEO accommodare: sed nullum tamen posse illi nomen tribuere, quod non æquè de illo possit negari. Nullum quippe inter omnia proprium illud erit, plenúmque ejus nomen, quòd, licèt unicum, possibilium quorumlibet nominum significationem contineat: illud scilicet *nomen super omne nomen*, quod in Apocalypsi dicitur, à nemine posse, nisi à DEO, secundùm totam sui sensûs amplitudinem comprehendi, (*c. 19.*) *Quod nemo novit, nisi ipse.* Quapropter sicut vetus illud manna, quod omnium continebat ciborum saporem, quamvis eorum item omnium nominibus mereretur vocari; non aliud tamen initio habuit nomen, nisi *manhu*,

seu

seu, *quid est hoc?* quæ vox admirationis potiùs expressio est, quàm proprium certæ rei nomen; sic nulla meliori ratione concipi, & nominari à nobis simplicissima DEI infinitas potest; quàm si obstupefacti de immenso intervallo, quo nostra omnia sensa, & vocabula excedit, repetamus intra nos, *manhu: quid est hoc?* Quodnam esse novum, singulare, humanóque omni captu altius hoc est? Ità ut nominare adeò ineffabile objectum nihil aliud sit, quàm in voces admirationis erumpere, ac profiteri de vero illius nomine hoc unum nos scire, quòd nempe nobis sit, utì minimè notum, sic summè admirandum: juxta id, quod ab Angelo, illius vices præseferente, responsum Samsonis patri est: (*Judic. c.* 13.) *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?*

17. Colligitur quartò, nihil creatum, quantæcunque nobilitatis, & excellentiæ sit, posse, non dicam DEO adæquari; sed nec comparationis gratiâ ex adverso illius poni. Nam neque comparari duo invicem possunt, nisì alter alteri certa aliqua intrà idem genus, eundémque ordinem proportione respondeat; *neque ulla esse potest*, prout certissimè Aristoteles statuit, (*L.* 1. *de Mund. & Cæl.*) *infiniti ad finitum*, DEI proin ad res creatas, *proportio.* Vidit hoc Trismegistus, vetans, quid-

quam

quam rerum creatarum DEO assimilare, (*Pim. c.* 11.) *Cave, nè qnid ei simile dixeris: nihil quippe illi simile, quod dissimile, solúmque, & unum est.* Quin imò neque ignarum ejusdem veritatis se ostendit ille, cæteroqui Epicureus Poëta: dum de Jove cecinit, nihil esse, quod non modò illum excedat, aut æquiparet, sed vel in eodem tractu, atque ordine subsequatur, cum aliquo secundi ad primum respectu. (*Hor. l.* 1. *Od.* 12.) *Unde nil majus generatur ipso, nec viget quidquam simile, aut secundum.* Meliùs tamen, utpote altiori lumine illustrati idem perspexêre duo sacri Doctores, Ambrosius, & Gregorius Nazianzenus: vereri se, dicentes, nè injuriam DEO facerent, si eum creatis quibusque rebus præferrent: quemadmodum testimonio esse potest nobilis illa primi sententia, (*L.* 5. *de Fide c.* 9.) *Domine, si te majorem omnibus dixero; injuriosè te tuis operibus comparavi:* itémque illa alterius splendida emphasis: (*Or.* 2. *de Theol.*) *Naturam DEI vereor dicere omnibus rebus excelsiorem.* In summa, quisquis pro eo, ac par est, infiniti naturam percipit; fateatur necesse est, quantamcunque finitam magnitudinem, non tam aliquid exiguum præ magno esse; quàm nihil præ toto, *Jam, si vidisti hoc tam singulare, tam summum esse,* (inquit D. Bernardus) *nónne incompa-*

paratione hujus, quidquid hoc non est, judicas, non esse potiùs, quàm esse? (*De Conf. L. 5.*) Quare, si injuriam mundo faceret, qui majorem pulviſculo appellans, magnificè ſe de illo arbitraretur locutum; multò ſe injurioſiorem erga DEUM proderet, qui mundum longè excedi ab eo prædicans, dignè ſatis ſe expreſſiſſe illius magnitudinem crederet. Nec propterea his perpenſis, multum videri poteſt de eo ſapiens dixiſſe, ubi loquens cum eo inquit, (*Sap. c.* 11.) *Tanquam momentum ſtateræ ſic eſt ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram.* Cùm minimum illud momentum, & tenuiſſima illa gutta, ſi pluries, atque pluries, uſque ad certum aliquem numerum conduplicentur, in æquam demum orbi univerſo molem poſſint excreſcere: hic verò, quotcunque vicibus ultra, atque ultra multiplicetur, infinitè ſemper ſupremo ſuo Authore futurus ſit minor. Fingamus itaque, alium hodie à DEO mundum creari, tantò majorem, & pulchriorem præſenti; quantò hic milii granum ſpecie, & magnitudine excedit: cras verò alium, qui eadem proportione hodierno antecellat: atque ità millenûm deinceps annorum ſpatio, aliis diebus ſingulis, ad eundem ſemper modum poſteriorem præcedenti ampliorem, creari.

Quo-

Quotuſquiſque in imaginario hujuſmodi caſu, non dicam verbis exprimere; ſed vel cogitando aſſequi valeat, quanta demum ultimi inter tot mundos magnitudo eſſet: quo noſtri hujus mundi moles innumeris vicibus appareret minor, quàm ipsâ milii granum ſit minus? Mens hæret confuſa, eíque concipiendo impar, víxque non infinitum fore arbitratur. Sed nulla de hoc ipſi vel tenuiſſima ſuſpicio incidat. Nam ille etiam poſtremus, utcunque omnes noſtræ imaginationis conatus, & terminos longiſſimè prætergrediatur; nihilominus tamen finitæ magnitudinis foret, ſuóque à Conditore incomparabiliter excederetur magis, quàm ipſe milii granum excedat. Idémque procul dubio eveniret, ſi DEUS per omnem, quàm longa eſt, æternitatem, ſic pergeret alios quotidie mundos producere, tantò ſemper poſteriorem heſterno majorem, quantò ille milii grano erat major. O DEUS infinite! & quis non obſtupeſcat in contemplatione incomprehenſibilis tuæ magnitudinis? & quis, niſi omnino tui neſcius, quidquam in omni natura tibi affine, & propinquum concipiat? *Cui aſſimilâſtis me, & adæquâſtis? dicit Sanctus. Omnia oſſa mea dicent, Domine, quis ſimilis tibi?* (*Iſ. 40. Pſ. 3.*)

18, Col-

18. Colligitur quintò, undenam oriatur universalis illa, & in altissimis naturæ penetralibus defixa obligatio, qua obstringimur, ut Deum plus alio quovis bono, nobisque ipsis amemus: neque plùs intrà qualemcunque modũ, sed ultra omnem mensuram, ac terminum: adeò ut graviùs oderimus, & horreamus peccatum, quo ipse, quamvìs merè extrinsecè, & citra vel minimum felicitatis suæ detrimentum offenditur; quàm nostri, & creatarum quarumlibet rerum excidium: paratissimi quibuslibet potiùs nostris bonis nuntium remittere, & quidquid est malorum subire, quàm ipsum lædere, etiam ea tantùm ratione, quâ solâ lædi potest, per injuriosam videlicet negationem obsequii, honorisque ipsi debiti, quæ cæteroqui longissimè infra ipsum remanet, nec quidquam ei affert incommodi, ullóve momento perfectissimum illius gaudium diminuit. Ratio apertissima est, quia, ùt paulò antè statuimus, nulla reperiri potest inter infinitum, ac finitum dignitatis meritique proportio: Ex hoc quippe principio per evidentissimam consecutionem deducitur, minimam quamque infiniti entis, quale DEUS est, ratiunculam, nullis non, etiam gravissimis, atque summis finitarum re-

rerum, qualès nos ſumus, rationibus anteferri oportere.

19. Colligitur ſextò, DEUM, ſi ſeorſum ab omnibus aliis & per ſe unum ſpectetur, nihilo minoris pretii eſſe, quàm ſi cum tota ſibi adjuncta rerum univerſitate expendatur. Cùm enim nihil bonitatis ac perfectionis res creatæ habeant, quod non ille excellentiori modo, & ſolis imperfectionibus demptis, in ſua eſſentia contineat; manifeſtò hinc conſequitur, ipſum, réſque omnes creatas ſimul, non poſſe aliquid præſtantius & perfectius dici, quàm ipſum ſolum, abſque ullis rebus creatis, qualis ante effectionem mundi erat. Neque dicas, totum ſemper eſſe melius quacunque ex ſuis partibus. Reſpondeo enim primò, in toto, quod DEUS, & res ſimul creatæ componunt, ſi mera illius perfectio ſpectetur; DEUM dici partem non poſſe: quemadmodum in cumulo ex mille ſacris hoſtiis conſtante, ſi mera ſubſtantia, & ſanctitas attendatur, nulla earum hoſtiarum dici pars poteſt, cùm quælibet quidquid in univerſo illo cumulo eſt ſubſtantiæ, & ſanctitatis, totum contineat. Addo, novæ reſponſionis locò, totum tunc melius eſſe unaquaque ſuarum partium, quando præter ſingularum bonum aliquid diſtincti, & ulterio-

ris boni complectitur: non verò, quando nihil complectitur boni, quod in una aliqua ex iis partibus cumulatiſſimè non exiſtat: ceu in re noſtra evenit: ubi rerum creatarum univerſitas, ſimul cum DEO in unum quaſi totum compoſita, nihil extra ipſum boni includit, quod in ipſo non reperiatur abſolutius, & purius: ſed aliquid tantum ex infinita & puriſſima illius bonitate, variis defectibus, vitiiſque permiſtum, ei rurſus adjungit: ſimiliter atque alicujus lucubrationis archetypon, multis paſſim lituris, & emendationibus ſcatens, ſi cum ejuſdem exemplo concinnè, integréque mox deſcripto ſimul ſumatur, nihil huic novæ & ulterioris elegantiæ, ſed illam duntaxat, quæ in ipſo pura eſt, ſuis inquinatam obliterationibus & mendis apponit. Imò, ſi res ità ſe habeat, Hæſiodeam illam ibi ajo ſententiam valere: (*Apud Plat. L. 3. de Leg.*) *Dimidium aliquando majus eſt toto*: & partem hujuſmodi nedum non minoris eſſe pretii, quàm totum; ſed æſtimationis inſuper, ac dignitatis merito illi anteſtare. Quemadmodum igitur, cùm in ſanitate quidquid medica potio expetendi habet, ſinè propria ejuſdem amaritie reperiatur, nemo eſt, quin magis expetendam ſanitatem arbitretur ſolam, quàm cum medica potione conjunctam; haud

alt-

aliter, cum tota in DEO existat creatæ hujus universitatis perfectio, defectibus tantùm remotis, quibus hìc permiscetur; nemini non perfectius, meliúsque aliquid debet videri DEUS, solitariè & per sese unum, quàm simul cum creata universitate æstimatus. Quod si in amborum complexione occurrit quasi replicatum pluries idem bonum; hoc ipsum palàm facit illud ibi existere imperfectiori, & minùs præstanti modo. Augere enim boni quantitatem, nihil interim aucto ejus pretio, ac substantia, non aliud ei addere est, quàm superfluitatem, quæ impedimento & oneri sit: quemadmodum è contrario intrà minorem quantitatis modum idem bonum contrahere, tantundem censetur, ac præstantius, utiliúsque illud reddere: alioquin simplicitas, & unitas, contra quam unanimis sapientum fert opinio, ad defectum potiùs, quàm ad perfectionem rerum spectaret. Paucis: DEUS, seorsum à rebus creatis, continet sinè ulla mali ac defectûs mistura, quidquid perfectionis tam in ipso, quàm in iis reperitur. Creatarum universitas rerum, cum DEO simul considerata, nihil perfectionis includit, quod in sola DEI essentia non plenissimè insit: nec aliud se illi adjiciens facit, quàm quòd geminet secundùm meram extensionem, & numerum,

rum, aliquam divinæ perfectionis particulam, neque illam quidem, qualis est in æterno suo fonte, illimem & puram, sed plurimis extra ipsum imperfectionibus mistam. Judicet ergo, cui aliquid judicii est, quidnam ex hisce duobus in gemina lance compositis præstantius sit, & majori æstimatione dignum.

20. Colligitur septimò, creatorum quorumvis bonorum congeriem, quando etiam hæc possideri conjunctim omnia possent, haud æquè satiandis animabus nostris parē futuram, ac satiare illas queat DEI unius possessio. Hunc siquidem possidentes, qui infinitum est, paritérque simpliciſſimum bonum, omnia itidem illa bona possideamus, est necesse, neque ut inter se copulata, sed tanquam unicum bonum. Quæ unitas efficit, ut eorum quodlibet omnium perfectionem in se colligat, omnibúsque illis non eodem solùm tempore, sed eundem quoque per actum frui liceat: cùm alioqui, si possiderentur, qualia extra DEUM sunt, alia ab aliis distincta; neque ullum ex iis vim haberet explendi omnino animam, neque per eundem actum frui simul universis possemus: nulláque idcirco ex iis proveniens delectatio animæ ad plenum satiandæ par esset. Quamobrem acutè concludit Boëtius, beatitudinem non posse in plu-

plurium bonorum cumulo, sed in unico & simplici bono consistere: neque bona peculiaria ab invicem distincta, pro veris posse perfectísque bonis haberi: aut posse per meram inter se copulationem, verum perfectúmque bonum conflare: ac demum, *nisi unum atque idem omnia sint, nihil habere, quo inter expetenda numerentur.* (*L. 3. de Conf. Pr.* 10. *&* 11.) Imò addit Doctor Angelicus, non modò rebus creatis universis tantam vim animæ explendæ non esse, quanta uni DEO inest; sed, etsi eædem à nobis unà cum DEO possiderentur, non majorem ideo nostram beatitudinem fore, quàm ex possessione solius DEI sit. Nam, quod hujus vel illius modi est per suam essentiam, nequit magis tale fieri per adjectionem alterius rei, quæ, quod sit talis, ex mera participatione illius habet: putà calidior fieri ignis per res à se calefactas, aut magis intendi pura albedo per conjunctionem cum lacte, quod non nisi ab ipsa, ut album sit, habet. Quare, cùm unica, & tota boni essentia DEus sit, nec res creatæ aliunde, quàm ex participatione illius bonitatem suam habeant, fieri certè non potest, ut illam suæ bonitatis additione meliorem efficiant. *Unde, cùm beatitudo nihil sit aliud, quàm adeptio boni perfecti; quodcunque aliud bonum superaddatur*

divinæ vìsioni, aut fruitioni, non faciet magìs beatum. Alioquin DEUS, condendo creaturas, factus esset beatior. (*qu. 5. de malo a. 1. ad 4.*)

21. Colligitur postremò duplex, peridonea, & facilis ratio concipiendæ animo infinitatis divinæ: prima à D. Augustiuo indicatur, & posita est in removendis à DEO iis omnibus differentiis, quæ ad certam speciem contrahunt, infinitè cæteroqui porrectam entis, atque boni, universè, ac sinè hujusmodi determinationibus intellecti amplitudinem: ità ut nè illum mente apprehendamus, quasi peculiarem aliquam bonitatem, atque essentiam, sed tanquam ipsum purum, quàm latissimè patens, nec ullo additamento coarctatum esse atque bonum. *Ineffabili dulcedine teneor* (ità S. Doctor) *cùm audio, Bonus Dominus. Omnia ista dico bona, sed tamen cum suis nominibus cælum bonum, Angelum bonum, hominem bonum. Ad DEUM autem cùm me refero, puto, nihil melius dicere, quàm bonum.* (*In Ps. 134.*) Perinde *quasi dicat: libétne* scire, ubinam omnis perfectio bonorũ creatorum consistat? consistit in hoc, quòd ea non sint merè bonum, ideóque nec totum bonum. Bonus est Angelus, sed ea tantùm bonitate, quæ Angelo convenit. Bonus homo, sed non nisi bonitate hominis propria: bonæ omnes res aliæ, sed singulæ intrà li-

limites ſuæ peculiaris naturæ. De ſingulis affirmatur aliquod, nempe hoc, aut illud bonum: ſed de nulla affiumatur omne bonum, bonum nempe generaliter ſumptum, bonum ſimplex nec quidquam diverſi à ſe exhibens, bonum denique ab omni hujus, vel illius differentia ſecretum. Quid itaque faciendum nobis eſt, ut purum bonum, ſeu DEUM, reperiamus? Auferendæ nimirum ſunt à quovis bono, quod nobis occurrit, appendices pronominum: *Hoc, illud, tale, tantum*, & cujuslibet alterius nominis, ad unam certam ſpeciem pertinentis. His ſiquidem vocibus, rem, cui adhærent, coanguſtantibus, à boni latere amotis, nihil jam ſpectandum remanebit, niſi bonum purum, univerſale, & ſecundùm totam latitudinem, cujus eſt capax: quod perinde eſt, ac bonum infinitum, & prorſus divinum, imò idem, quod DEUS. *Bonum hoc, bonum illud. Tolle hoc, & illud: & vide ipſum bonum, ſi potes. Ità DEUM videbis.* (L. 8 de Trin. c. 3.)

22. Altera, modò dictæ non multum diſſimilis ratio ex ideis Platonis deſumitur. Cujus rei gratiâ ſciendum eſt, veteris hunc Academiæ Conditorem, ac principem in quavis rerum ſpecie, præter individua ſingularia, univerſalem quamdam, & ab iis ſegregem formam

mam constituisse, per cujus participationem unumquodque individuum peculiaria sua bona reciperet: quæque ideo universam in se ipsa, velut in fonte aliquo, contineret bonitatem ac perfectionem illius speciei propriam, ut eam posset deinde cuilibet ex infinitis individuis, quæ intrà eandem speciem produci possunt, secundùm hanc, vel illam partem majorem, vel minorem mensuram dividere. Quemadmodum verò, præter singularia, statuebat universales hujuscemodi formas; sic, præter ipsas, aliam esse inquiebat supremam & maximè universalem entis, boníque formam: per cujus participationem illæ omnes, tanquam diversi ex mari uno fontes, bonitatem, ac perfectionem suam ducerent: omnem hoc pacto individuorum perfectionem ad speciales eorum formas, & harum similiter perfectionem ad supremam illam formam revocans, quam, utpote omnibus aliis impertientem, & è nullius participatione mutuantem suum esse, atque bonum, formam per se entis, & boni vocabat. Talis fuit, quantùm intelligere mihi fas est, de ideis Platonis sententia. Quas si ille in animo suo finxit, veluti formas quasdam creatas existentes re ipsa, nedum extra quodvis singulare individuum, sed extra divinam quoque essentiam, erravit procul

cul dubio, juſtámque adverſariis ſuis impugnandi ſe obtulit cauſam. Sin verò, quod cum ſublimi, atque myſtica illius philoſophandi ratione congruentius videtur, non aliud ſub idearum nomine intellexit, quàm exemplaria creatæ cujuſvis naturæ, æternùm in DEI mente exiſtentia, vel infinitas ejuſdem DEI perfectiones, quales à nobis ſub diverſis ſpeciebus & nominibus, tanquam peculiaria ſimpliciſſimæ illius eſſentiæ decora concipi ſolent; doctrinæ author fuit veræ, atque ſplendidæ, nec indignæ, quam etiam egregius Doctoris Gentium diſcipulus, & ſacrum Areopagi lumen, Dionyſius amplectendam putaret. Cùm hic quoque inter eſſe duntaxat participabile, & ſummum per ſe ens, cujuſmodi eſt unus DEUS, intérque alia merè participantia, cujuſmodi ſunt creata individua, quaſi tertium, mediúmque gradum, participationes ſtatuerit, univerſales videlicet hujus, illiúſque peculiaris perfectionis formas; addens cuilibet, præter commune participationis nomen, aliud ſpeciale atque proprium, putà ſapientiæ per ſe, vitæ per ſe, pulchritudinis per ſe, ſecundùm hanc, aut illam perfectionem diverſam, quam unaquæque & à ſummo ente accipit, & in gradûs infimi entia viciſſim refundit. Quam doctrinam, in illius libro de di-

vinis Nominibus disertè explicatam videre est tum alibi, tum præsertim capite 5. ubi sic habet. *Ante alias participationes præsupponitur ipsum esse: & est ipsum per se esse antiquius, quàm esse per se vitam, & per se sapientiam: & quæcunque participantur ante omnem sui participationem ipsum per se esse participant:* nec non etiam in duodecimo capite, ubi addit: *Quantò præstant ipsæ per se participationes participantibus, tantò est omnibus sublimior: qui est supra omnia, & omnium participantium, & participationum author.* Hanc igitur insistentes abstrahendi superiora ab inferioribus viam facili negotio poterimus, à peculiari primum cujuslibet generis perfectione, qualem in creatis rebus finitam, & curtam videmus eniti ad eandem concipiendam, secundùm omnimodam, infinitámque sui generis plenitudinem, quam in DEO habet: tum porrò ab illa, & reliquis omnibus ità abstractis, per sublimioris aliud abstractionis genus, mentem erigere ad supremam & unicam earum omnium ideam, nempe ad esse divinum, in omni perfectionum genere individuè, simpliciſſiméque infinitum. Quod si aliquis brevem & expeditam id præstandi desiderat methodum, nec alia ipsi melior occurrit, eâ uti poterit, quæ à me hìc subjicitur, quinis illum gressibus ad quæsitum finem ductu-

ctura. Primò itaque percurrat animo ſingulas perfectionis ſpecies, ſapientiam exempli gratiâ, pulchritudinem, probitatem, potentiam, & reliquas: unamquamque conſiderans, veluti participatam, & diviſam per omnia individua, in quibus reperiri poteſt, pérque illa præſertim, ín quibus maximè excellit, finitam nihilominus, & ulterioris incrementi capacem. Secundò, eaſdem concipiat veluti participationes, ſeu puras formas, & ab individuis eas participantibus ſegregatas, nimirum ſapientiam per ſe, pulchritudinem per ſe, probitatem per ſe, & reliquas item per ſe tales: quod perinde eſt, ac illas concipere ſecundùm totam infinitæ amplitudinis ſummam, ad quam unaquæque ſuo in genere poteſt pertingere. Tertiò, puras omnes iſtiuſmodi formas penitùs miſceat, confundátque, imò ad unitatem omnimodam redigat: ità ut non plures perfectiones jam ſint, ſingulæ intrà ſuum tantummodo genus infinitæ, ſed unica potiùs in quovis genere infinita perfectio. Quartò, perfectionem hanc ex omnibus aliis conflatam, & extra quam nihil perfectionis concipiendum ſuperſit, certo cuipiam enti, velut formam ab illo diſtinctam infundat. Quintò, ex ipſa, & ex illo ente unam omnino, atque eandem rem faciat:

at: concludens postremò intrà se, talis est DEUS, talis DEI absolutissima, & simplicissima infinitas.

23. Jam, pro coronide hujus capitis, gestiret mihi animus tam singulare hoc divinæ decus naturæ tecum unà pie Lector, expendere. Sed illius immensa amplitudo mentis meæ parvitatem confundit, atque obruit: cúmque nullus se usquam ostendat dicendarum rerum terminus; hæreo inops consilii, & unde me incipere, quousq; progredi, quámque tenere viam oporteat, ignarus. Rursus itaque DEUM tibi summatim propono, qualem contemplatus hoc in capite es, tanquam ens scilicet, quod universum esse in se colligit: quod sinceræ cujusque perfectionis flos, medulla, & summa est: quod simplicissima, indivisáque sua bonitate complectitur, quidquid cogitari, & plus quàm cogitari bonorum potest: Quod totum, & nihil simul eorum est, quæ prædicari de ipso possunt: perfectum supra omnia perfecta, admirabile supra omnem admirationem: maximum, & ultra, optimum, & ultra, amabilissimum, & ultra. quod infimum suæ essentiæ, perfectionis, & magnitudinis centrum in altissimis quibusque nostræ cognitionis terminis habet: in tantum exuperans, quæcunque extra ipsum sunt,

sunt, ut omne rerum creatarum, quà existentium, quà possibilium esse nullam cum ipso proportionem habeat, eique comparatum nihilum dici verius possit, quàm roris gutta, quàm atomus, quàm pulviſculus, aut quævis alia designabilis parvitas: adeò denique observari, amarique ultra omnes terminos dignum; ut, quidquid à nobis exhiberi obsequiorum ei potest, infinitè minus illius meritis sit, & quæcunque ejus offensa, licèt exterior, nihilque illi valens molestiæ & incommodi afferre, majori cum horrore aspici, & gravius videri malum debeat, quàm generale & omnimodum creatæ totius universitatis, cæli, terræ, hominum, atque Angelorum excidium. Hoc est infinitum DEI esse, jejunè pro meo modulo, obscuréque propositum: hæc rudis, & simplex ineffabilis illius substantiæ adumbratio. Age jam, subtiliſſima quæque ingenia, diſertiſſimi quique Oratores accedant, & quidquid extremo omni suæ industriæ conatu eximiorum mentis conceptuum, illustriúmque locutionum, & figurarum valent procudere, in medium certatim depromant, ad divinum esse sub splendidiori repræsentandum imagine, quàm tribus illud verbis Orthodoxa repræsentat fides, dum, veluti infinitè, simpliciſſimèque perfectum pro-

po-

ponit. O conatus nimis imbecilles, nec minùs propoſito impares, quàm ſi cicindela, ſemimortuo, exilíque ſuo igniculo ſolem magìs conſpicuum ſe facturam putaret. Quidnam adjiciendum ſupereſt toti? quonam pacto amplificetur immenſum? neutiquam certè tam imprudens ego fuerim, ut tentandum id putem. Sed, in vicem ulteriores moras trahendi, in explicatione entis omnino incomprehenſibilis, omnio ineffabilis, meum illi, & creatum eſſe univerſum, myſtici ritu holocauſti, immolare, in nihilum ſcilicet, quod ad æſtimationem ſpectat, redigere coram infinita illius magnitudine inſtituam. O unum & totum, *DEUS meus, & omnia*, quidnam tandem videri ego poſſum, ſi tecum componar? Tu intrà ſphæram immenſi tui eſſe complecteris, quidquid concipi, & plus quàm concipi poteſt præclari, eximii, admirandi: neque hunc ſuperabundantem, immenſúmque perfectionum, & bonorum cumulum poſſides, quaſi rem à te diſtinctam, ſed quaſi tuam ipſam eſſentiam: adeò ut & infinita ſit bonitas tua, & tu ipſe ſis tota tua bonitas. At ego contra minimi ens pretii uno poſſum verbo complecti, quidquid perfectionis poſſideo, adeò exiguum id eſt: at nullis poſſum verbis exprimere illud amplius, quo careo, ut-

po-

pote omnino infinitum : juſtiſſimámque idcirco cauſam habeo, immenſum me vocandi paupertatis & miſeriæ pelagus, in quod boni ſtilla deciderit. Imo neque hæc ſtilla meum jure poteſt bonum cenſeri : cùm tota & alienæ virtutis effectus, & alieni dominii res ſit. Quid ergo aliud coram te ſum, nisi merum, meriſſimum nihil? Non aliud profecto. *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.* (*Pſ. 38.*) Talem me agnoſco, talem profiteor, talis exiſtimari ab omnibus volo. En itaque, ô Domine! myſticum pauperrimi mei eſſe holocauſtum. En illud in tuam illius magni Effectoris gloriam immolatum, conſumptum, & ad nihilum æſtimationis redactum. Sed quid tanti eſt, nihilum me videri coram te, cùm talis ſim, etiam præ tota rerum creatarum univerſitate, imò etiam præ toto duntaxat genere humano, veluti minima, víxque ſenſibilis ejus portio? Ah nimiùm puſilla, nec tanto digna Numine hoſtia eſt mea ſolummodo exilis ſubſtantia : majus longè holocauſtum infinitis DEI aris debetur. Age igitur, tota hæc mundi moles accedat cum omnibus, quas ſuos inter cælos, & ſua intrà elementa concludit ſubſtantiis. Nónne ingens totum hoc eſt, tot ſpectatis, támque multiformibus, & eximiis naturis, unde, quaſi ex to-

totidem membris, componitur? Ingens procul dubio, & maximum res inter creatas, cùm eas omnes contineat: sed tamen determinatis ipsum quoque limitibus circumscriptum: ideòque coram tua infinitate, adeò spernendum, adeò minutum, adeò propè insensibile; ut illa ejus sidera, lucidissimique cælorum orbes, speciem tenebrarum referant, neque illi tot homines, totque Angeli quidquam amplius videantur, quàm tenuis pulviſculus. (*Apoc. 20.*) *Vidi thronum magnum, & ſedentem ſuper eum, à cujus conſpectu fugit terra, & cælum.* Omnia hìc evaneſcunt, inque nihili ſpeciem deficiunt, ſecundum veriſſimum illud Iſaiæ effatum: (*c. 40.*) *Omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo: & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt ei.* Ità planè, ô magnum, ô verum, ô ſummum, ô unicum totum. Nihil præ te homines ſunt, nihil Angeli, nihil elementa, nihil cæli, nihil omnis rerum univerſitas. Tu ſolus es bonum, tu ſolus perfectio, tu ſolus omne eſſe. *Non eſt, non eſt alius extra te.* (L. 1. *Reg. c. 2.*)

)(o)(

CA-

CAPUT XVI.

DEUM, ratione suæ infinitatis, creatis quibuslibet mentibus incomprehensibilem esse.

POsse nos etiam in præsenti adhuc sæculo aliquam DEI cognitionem assequi, indubitata veritas est, & ab Apostolo disertissimè tradita, dum *invisibilia ejus per ea, quæ facta sunt, intellecta conspici*, (*Ad Rom.* 1.) affirmat. Nec deest ratio, quæ manifestiorem eam faciat. Cùm enim ex recepto apud omnes principio *nihil sit volitum, quin præcognitum*; si cognosci in terris DEUS non posset, neque posset amari, nullúsque esset inter mortales Charitati Theologicæ locus. Quamobrem nimis pravè, fatuéque sanctorum Patrum dicta acciperet, si quis, apud eorum nonnullos legens, DEUM nihil eorum esse, quæ nos, de illo cogitantes, mente apprehendimus, persuaderet sibi, non modò eum talem non esse, qualis tunc à nobis concipitur, sed neque id esse, quod à nobis concipitur, vel quando ea de illo affirmamus, quæ Catholica fides credere omnes jubet. Cùm certissimum sit, tales nostras intellectiones non habere pro objecto, seu aliquid creatum, seu

Numen aliquod fictitium, sed illum solummodo DEUM, quem per fidem accepimus, & cui per amorem conjungimur.

2. Constituto autem inter certissima, cognosci eum ab omnibus posse, illud quoque pro certo statuamus, necesse est, à nemine posse eundem, nisi totum cognosci: utpote ens omnino indivisum, nec ullis diversis partibus constans, quarum alia percipiatur, alia verò ignoretur. Et quamvis infinita ejus perfectio quàm plurimis, intérque se diversis nominibus exprimi à nobis soleat; illa tamen nomina non diversas res singula, sed unam omnia & eandē rem diversimode exprimunt: ità ut, quæcunque ibi diversitas est, non ad DEUM pertineat, qui sub quolibet eorum nominum totus cognoscitur; sed in nostra solummodo cognitione hæreat, quæ jam uno, jam alio quasi tramite ad ipsum, veluti ad eundem semper terminum fertur. Quando itaque dicitur, post quascunque DEI cognitiones, plus & plus semper de illo cognoscendum supereſſe, vocabulum *plus*, vel simplicis duntaxat adverbii vim habet, vel, si nominis locò usurpatur, nequaquam tale est respectu DEI, sed respectu solummodo diversarum imaginum, quas semper clariores, & clariores de indivisa, & semper eadem illius

us essentia formare nos possumus. Ceterùm, quod ad ipsum pertinet, meridiana luce clarius patet, à nemine eum posse, nisi totum cognosci: &, quamvis alii minùs, alii magis perfectè illum mente concipiant; non tamen plus aliquid de illius essentia à supremo immortalium cæli spirituum concipi, quàm ab hebetissimo quoque, qui eum in terris per fidem cognoscit.

3. Jam quis unquam cogitâsset, eò usque progressuram hominum vel insaniam, vel temeritatem, ut ex hisce principiis erueret, tam in promptu cuivis esse, DEUM omnino comprehendere, quàm quomodocunque cognoscere? & tamen id hæretici dogmatis Aëtius, & Eunomius indè eruerunt: prior quidem superbissimè jactitans, DEUM à se nihilo minus, imò & perfectiùs, quàm se ipsum cognosci: (*S. Epiph. Hær. 10.*) *Tam DEUM novi, quàm me ipsum; imò non tam novi me ipsum, quàm DEum.* Alter verò adhuc ulteriùs progrediens, & cũ Anomæis gregalibus suis palàm deprædicans, divinam essentiam neque ab ipsomet Deo pleniùs comprehendi, quàm à se comprehendatur. *Nihil de divinis rebus ignoro, & tam exactè, & clarè DEI substantiam cognosco, quàm DEUS ipse se ipsum.* (*Theod. L. 4. Hær. Fab.*) Stolidissimè illi profectò, & sinè ulla rationis non dicã firmitu-

dine, sed nec umbra atque specie: nemo quippe non videt, duo esse longè diversa, totam individui alicujus objecti essentiam cognoscendo attingere; & quàm perfectissimè clarissimèque eandem cognoscere: nec quisquam, opinor, extiterit, qui, eò quòd indivisa sit animæ rationalis substantia, nihilo minus perspicuam, intimámque illius notitiam ab idiota & rustico quovis haberi, quàm à subtilissimis Philosophorum, vel puris cæli mentibus, vel ipsomet supremo illius Conditore habeatur. *Non sic dicitur* (discat à Doctore Angelico saniùs rectiúsque philosophari superba Eunomii ignorantia) *Non sic dicitur divina essentia videri, & non comprehendi, quasi aliquid ejus videatur, & aliquid non videatur: sed quia non ità perfectè videtur, ceu visibilis est: sicut dicitur opinio rem non comprehendere, licèt nulla pars ejus sit, quam non cognoscat.* (L. 3. c. Gen. 6. 55.)

4. Contra hanc igitur impiam adeò, fatuámque hæresim credendum procul dubio est, humanæ mentis aciem nequaquam eò posse per meras naturæ suæ vires eniti, ut altissimum DEI esse ad plenum intelligat, sed ut aliquam tantummodo illius speciem obscuram, ænigmaticam, & à perfectione, qua se ipse cognoscit, infinitè remotam concipiat.

Pro-

Propositio, sive in fidei, sive in rationis trutina perpendatur, certissima est, unóque ore à scriptoribus, quà profanis, quà sacris asseritur. Asserit eam Liber Jobi, temerariæ, irritæque spei damnans, qui vel exterioribus DEI vestigiis comprehendendis parem se putet. (*c. 11. & 36.*) *Forsitan DEI vestigia comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies? excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? ecce DEUS magnus, vincens scientiam nostram.* Asserit Vates Regius, jam DEI sedem in tenebris collocans: (*Ps. 17. & 96.*) *Posuit tenebras latibulum suum. Nubes, & caligo in circuitu ejus*: jam addens, in illius vestigatione mentem confundi, & deficere. (*Ps. 138.*) *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.* Nec minùs luculenta ejusdem testimonia videre est sive in iis Ecclesiastici verbis, (*c. 18.*) *Virtutem magnitudinis ejus quis enarrabit? non est minuere, neque adjicere, nec est invenire magnalia* DEI. *Cùm consummaverit homo, tunc incipiet*; sive in ea Doctoris Gentium exclamatione, (*Ad Rom. 11.*) *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ* DEI! *quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Qui alibi etiam testatur à supremo Regnatore. *Lucem habitari inaccessibilem.* (*1. ad Tim. c. 6.*) adeò ut,

quemadmodum rite colligit Joannes Chryſoſtomus, (*Hom. 3. de Incomp. DEI Nat.*) Nemini mortalium fas ſit, nedum intima illius eſſentiæ penetralia pervadere, ſed neque ad lucidiſſimam illius ſedem propiùs accedere.

5. Sacrorum voluminum adſtipulationi ſubſcribunt ſapientes profani, maximæ hac in parte authoritatis, fideſque teſtes: utpote quos, gloriæ cæteroqui avidos, nulla ſui æſtimatio, & fiducia inhibere potuerit, quin, manifeſta veritate convicti, divinis rebus pernoſcendis faterentur ſe impares: nemine uno (ceu idem Chryſoſtomus animadvertit, *Hom. 62. in Joa. & 2. de Incompr DEI Nat.*) ex ipſis reperto, qui, quàm ſtulti Anomæi venditabant, plenam DEI ſcientiam ſibi arrogaret. Atque id fortè Athenienſes ſpectarunt, in ara apud ſeſe *Ignoto DEO (Act. 17.)* conſecrata: perinde quaſi vellent innuere, hujuſcemodi titulum incomprehenſibili DEI naturæ præ quibuslibet aliis congruere. Eadem quoque, ſi Plutarcho fidem habemus, (*De Iſide & Oſ.*) Ægyptiorum mens fuit, cùm templorum in veſtibulis ſphingis ſimulacrum exſculperent: ſignificaturi videlicet, quàm abſtruſa, & ænigmatica eſſent, quæ ibi proponebantur myſteria. Sed apertiùs profeſſi idem ſunt Triſmegiſtus, & Socrates: quorum prior negat, poſ-

posse à nobis divina, nisi obscurè, confuséque aspici. (*Asel. ii.*) *Quasi per caliginem ea, quæ in cælo sunt, videmus, quantum possibile est per conditionem sensûs humani.* Alter verò cum Hermogene disputans, inanem mentis pronuntiat, qui aliquem sibi intellectum de ineffabili Deorum natura, atque nomine audeat tribuere. (*Plato in Cratilo*) *Per Jovem nos, ô Hermogenes! si mentem haberemus, præcipuum rectitudinis modum arbitraremur fateri, nihil nos de Diis cognoscere, neque de nominibus, quibus ipsi se vocant. Quare, si vis, ad hanc investigationem pergamus, primò quidem Diis præfati, nihil nos de ipsis consideraturos, neque enim confidimus, sed de hominibus potiùs, qua opinione circa Deos affecti, iis nomina imposuerint.* Celebre item est Aristotelis pronuntiatum, (L. 2. *Metaph. c. 1.*) *Quemadmodum vespertilionum oculi se habent ad lumen diei, sic intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt*: nimirum ad substantias naturâ præstantiores, quæque ideo magis per se intelligibiles sunt, hac ipsa de causa minùs perspicuas nostræ menti esse: cùm iis præsentibus ità hæc afficiatur, ut præsente sole oculus noctuæ, útque omnis universè oculus, objecta intuens præter modum fulgentia: quæ idem Philosophus alibi docet, non minùs obscuris & tenebricosis difficilia

cognitu esse. (L. 2. *de An.*) *Sicut parvus sonus inaudibilis, sic & magnus & violentus. Valde etiam splendidum quodammodo invisibile.* Adde his Senecam, qui contra innatum stoicæ philosophiæ fastum profitetur, primam eorum, quæcunque sunt, & noscuntur, causam esse nobis ignotam. (L. 7. *qu. Nat. c.* 31.) *Quid sit hoc, sinè quo nihil est, scire non possumus.* Adde Platonem, & Plotinum, quorum, teste D. Augustino, sententia fuit, vix purgatissimis quibusdam mentibus DEI notitiam contingere, eámque non nisì ad brevissimum tempus, instar fulguris, eodem penè tempore coruscantis, & evanescentis: (L. 9. *de Civ. c.* 16.) *Vix sapientibus cùm se vigore animi, quantum licuit, à corpore removerunt intellectum* DEI, *id quoque interdum, velut in altissimis tenebris rapidissimo coruscamine lumen candidum intermicare.* Adde Ciceronem, qui in procinctu scribendi, non utique, quid ipsemet sentiat, sed quid alii homines docti de natura DEI senserint, quæstionem hanc inter maximè salebrosas, & explicatu difficiles ait esse, quæ in universa Philosophia occurrant: confirmans id facto, atque dicto Simonidis, cùm rogatus à Hierone Syracusarum Rege, quidnam DEUS esset; unum sibi dari, ad rem tantam accuratè exquirendam, diem petiit, eóque transacto, rur-

rursus biduum, & deinde quatriduum, ità semper duplicando temporis spatia: *quia* (ut miranti demum Regi, & causam tot morarum percontanti, respondit) *quantò diutiùs considero, tantò res mihi videtur obscurior.* (L. 4. *de Nat. Deor.*)

6. Talis igitur, támque consentiens veterum Philosophorum testificatio fuit de arcana, & humanis mentibus impenetrabili divinæ naturæ altitudine. Quanquam multò illam certiùs contestati iidem sunt errorum fœditate, in quos, perplexum hunc labyrinthum sinè Orthodoxæ fidei ductu tentare ausi, miserabiliter sese induerunt. Nam revera quis citra miserationis sensum intueatur, celeberrimos illos antiquitatis magistros, ingeniorum apices, & Academiarum oracula, ubi de DEO agere instituant, cæcorum ritu hac illac pedetentim vagari nescios, quò eant, aut ubi gressum figant: jámque voraginoso palustrium aquarum cœno absorberi, jam in foveas, & abrupta præcipites volvi. Sed, quàm miseranda hæc eorum conditio est, tam justam nobis suggerit gestiendi causam, de contraria nostræ sortis felicitate: quibus cùm DEUS multò benigniùs, quàm Cyro Persarum Regi revelaverit: (*Is.* 45.) *Thesauros absconditos, & arcana secretorum*; in certissimo fi-

fidei lumine intueri fas est *mysterium regni* DEI, (*Luc.* 8.) veteribus iis Philosophis non propositum, nisi *in parabolis, ut videntes non viderent, & audientes non intelligerent.* Quamobrem, etsi nullam literarum studiis navaverimus operam, nihilque plus doctrinæ assecuti simus, quàm quod continetur Christianæ catecheseos libello, ampliorem nihilominus, certioremque rerum divinarum tenemus scientiam; quàm nominatissimi quique profanæ sapientiæ antistites totius vitæ suæ studio adipisci valuerint. Adeò ut ipsismet Christianorum pueris jure gratulari possimus, quod suis Christus discipulis gratulatus est, dicens: (*Luc.* 10.) *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis: Dico enim vobis, quia multi Prophetæ, & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt? & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Esto siquidem nobis quoque obscurissima, & omnino incomprehensibilis sit mysteriorum altitudo, quæ ex divina revelatione didicimus; tria tamen habet nostra rerum divinarum cognitio, quibus naturalem, & humanitus partam ethnicorum sapientum Theologiam antecellit: nimirum quòd nos & plures veritates, & multò certiùs, & sinè ulla falsi mistura cognoscimus. Cùm illi è contrario & admodum pauca de DEO intellexerint; & cir-

circa illamet ipsa haud perinde certi fuerint; & multam iisdem errorum colluviem miscuerint: in quos proin aptè quadrat illa Isaiæ vaticinatio, (*c.* 29.) *Et erit vobis visio omnium, tanquam verba libri signati: quem cùm dederint scienti literas; dicent, lege istum: & respondebit, non possum, signatus est enim.* Nam, veluti ad perdiscenda, quæ libro aliquo continentur, nihil prodest legendi peritia, si clausus interea, firmitérque obsignatus sit liber; ità, cùm DEUS indignos sapientes eos duxerit, quibus recluderet suæ Divinitatis volumen, *Signatum sigillis septem*; (*Apoc.* 7.) quantacunque seu mentis perspicacitas, seu studii contentio, seu rerum naturalium scientia nulli adjumento ipsis fuit, ut quidquam ibi possent, præter simplicem titulum, in extima voluminis superficie exaratum perlegere.

7. Neque sanè videri mirum debet, sapientes profanos, disertè adeo suam esse contestatos rerum divinarum insciti am, &, ubi eas perscrutari aggressi sunt, tam absurdis erroribus parum illud veri, quod repererant, infeciisse. Aperta nimis ratio rei est: quælibet cognoscendi facultas proportionem aliquam habeat, necesse est, cum objecto, quod velit comprehendere. At quid, rogo, proportionis humana mens habet cum excellentissima,

& usquepuaque infinita sui Conditoris natura? cùm neque iis ipsis pernoscendis objectis par sit, quæ utpote sensibilia, & finita, intrà naturalem illius sphæram videbantur consistere? *Si enim de naturalibus cogitans, parum proficit, & ad latentes rerum causas perquirendo non venit; quid de divinis censendum sit, judicet, qui rectè sapit.* (*Laur. Just. de Casto Con. c. 14.*) Age, suam unusquisque experientiam consulat, paulisper recogitans, quàm multa quotidie suos ante oculos, imò & suomet in corpore fieri contingat, quorum neque modum percipere, neque veras excogitare causas potest: quàm parum noverit de ventorum natura, de substantia, & qualitatibus cælestium corporum, de procreatione metallorum, plantarum, atque animantium, de actibus sentiendi, & intelligendi, quos ipsius anima continenter producit: quàm demum curta, incerta, & obscura sit, etiam eorum objectorum naturalium cognitio, quæ præ cæteris sibi esse perspecta arbitratur. *Omnibus ferè in rebus* (ingenuè fatebatur vetus ille sapiens, & fateri pariter debet, quisquis suæ adulari insciticæ nolit) *omnibus ferè in rebus, sed maximè in physicis, quid non sit citiùs, quàm quid sit, dixerim.* (*Cic. L. 1. de Nat. Deor.*) Quonam igitur pacto mens tam hebetis visûs, quæque etiam ad circumposita, &

sen-

sensibus pervia cæcutit; adeò esse perspicax poterit, ut cælorum summa prætergrediatur, mysticáque circumfusum caligine, & intrà se penitùs latens DEI esse lynceo obtutu pervadat? *Ego, si animæ meæ substantiam ignoro, si eorum, quæ intrà me sunt, rationem non intelligo; qua audacia super me erigam oculos, ut videam principium sinè principio & finem sinè fine intelligam?* (*Lib. de oper. Card. inter opera Cypr.*) Nimirum quàm inhabilis ad emetiendam Oceani totius amplitudinem est biremis, nec vespertilionis oculi, sustinendo vel tenuis candelæ lumini impares, in splendidissima queunt solis lampade inconnivè defigi. Quemadmodum, qui, aliquod maris fretum intuens, totam se oculis perlustrâsse arbitraretur effusissimi illius elementi amplitudinem; palàm indè omnibus faceret, nescire se, quid sit mare; ità, qui tenuem aliquam DEI adeptus notitiam, nihil jam sibi supereſse de illo agnoscendum censeret; manifestissimum hac sua persuasione specimen daret, ignorari à se, quid sit DEUS. Audiat, si quis ejusmodi est, intelligentissimum Doctorem D. Ambrosium: ab eóque condiscat, quàm exigua divinæ scientiæ particula sit, quidquid de tam immenso illo objecto à nobis percipi potest. *Certè hoc est DEUS, quod cùm dicitur, non potest dici: cùm*

æsti-

æstimatur, non potest æstimari: cùm definitur, ipsa definitione sua crescit. (*De Fide c. 8.*)

8. Quod si curæ tibi esset, paulò enucleatiùs accipere, undenam nostra hæc oriatur DEUM plenè exactéque cognoscendi impotentia; ad tria illam capita possem referre, nempe ad immaterialitatem, singularitatem, & infinitatem illius excellentissimi objecti. Nascitur itaque primùm ex eo, quòd DEUS sit substantia quàm maximè spiritualis, materiæ omnino expers, & nihil sensibus affine habens. Cùm enim, prout docet D. Thomas, (1. *p. qu.* 84. *a.* 7.) humana mens nequeat, quamdiu corpore inclusa detinetur, ullus rei imaginem formare, quin ejus lineamenta, & colores ab objectis sensibilibus petat, necesse est, ut horum ad exemplar, atque speciem DEUM item concipiat: quódque hinc sequitur, ut eum à se ipso tam diversum concipiat, quanta est purissimi spiritûs à corporeo quovis esse diversitas. *Homines*, inquit Alcinous, *tanquam affectionibus oppleti sensuum, ità ut, cùm intelligibile quidpiam mente percipere studeant, semper sensibile aliquid in phantasia sua admistum habeant, magnitudinémque unà sæpiùs ac figuram, & colorem cogitent; neutiquam sincerè intelligibilia percipiunt.* (*c.* 10.) Quapropter, cùm substantiæ spirituales à corporeis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

reis multò magìs differant, quàm lux à sapore, vel sonitu, cúmque nos nesciamus DEUM, nisì ad rerum sensibilium instar cogitando exprimere, sequitur hinc, quamcunque ejus imaginem, ùt ùt splendidam, sublimem, atque eximiam, quæ à nobis mente formatur, multò ineptiorem, & impropriam magìs illâ esse, qua mens hominis ab exortu cæci lucem sibi soleat repræsentare. Quemadmodum enim hic, audiens quempiam loquentem de luce, tanquam de re oculis jucundissima, neque id genus jucunditatis ullo suo experimento cognitum habens, nesciret illud concipere, nisì ad speciem alterius jucunditatis, quam experiendo gustaverit, lucémque idcirco sibi effingeret, quasi cibum, vel musicam oculi, & voluptatem, quam hic ex ea percipit, instar voluptatis, quam palatum ex cibo, vel auris ex concentu harmonico haurit, repræsentatione nimirum prorsus æquivoca, & quàm maximè à vero aliena; sic mens nostra infinitam DEI pulchritudinem, magnitudinémque celebrari audiens, nec quidquam seu pulchri sinè coloribus, seu magni sinè partium distinctione compertum usquam habens; cogitur vel imaginari, quasi tincta coloribus, partibúsque composita, diversissima scilicet ab iis, quæ revera sunt, prædicta ipsius decora;

ra, vel nihil de iis distincti concipere. Quæ secunda intelligendi ratio, licèt neminem fugiat, quàm sit imperfecta, & omnimodæ ignorantiæ proxima; quòd tamen nihil falsi, & improprii contineat, ab omnibus ferè sacris Doctoribus primæ antefertur. Et multi horum quidem producendi suppeterent: sed duos tantùm audire sat fuerit: Augustinum videlicet, quique librum condidit *de operibus Cardinalibus*, D. Cypriano adscriptum: utpote illos, qui hac ipsa de causa, quòd omnis nostra cognitio à phantasiis & simulacris rerum sensibilium pendeat, jubent nos negare de DEO, quidquid per ejusmodi species imaginari possumus. *Affirmatio de DEI natura* (en posterioris verba) *in promptu haberi non potest: sed verius sinceriúsque remotio indicat, negando, quid non sit, quàm asserendo, quid sit. Quoniam, quidquid sensui subjacet, illud esse non potest, quod omnem superat intellectum.* (*In Prol.*) A quo nihil prior discrepat, nisi quòd majori cum asseveratione idem inculcat. *Excedat cor vestrum omnia visa, excedat intentio universas cogitationes vestras, eductas à sensibus corporis, & imaginatas nescio quo phantasmate. Cognoscite infirmitatem cordis vestri: & quidquid occurrerit, quod cogitare positis, dicite, non est illud. Non enim si illud esset, jam mihi occurrisset.* (*In Ps. 26.*) & ali-

alibi, (*Hom. in Fest. Omn. Sanct.*) *Quidquid simile corporis cogitanti occurrit, abjice. Nondum potes dicere, hoc est* DEUS: *saltèm dic, non est hoc.* Quo loco æstimandum cuivis relinquo, liceátne nobis DEUM, non dicam omnino comprehendere, sed vel mediocriter intelligere, cùm præstantissimus eum intelligendi modus sit, quidquid distincti & expliciti de illo menti occurrat, negare,

9. Adde huic primo capiti, DEUM non modò spiritum esse purissimum, quíque nostris rerum sensibilium speciebus, qualis revera est, exprimi nequeat; sed in sua insuper singulari prorsus essentia prærogativas continere, nihil par aut simile alibi habentes: omníque superiores notitiâ, experientiâ, & capacitate non dicam nostrorum sensuum, verùm nostri etiam intellectûs; ut hic illas sibi proponi audiens, insolito quodam, & plusquam humano stupore obruatur, nec in tota rerum sibi compertarum universitate imagines reperiat, à quibus etiam remota quapiam, obscuráque similitudine adjuvetur, ad percipienda peregrinæ adeò novitatis miracula. Quid enim? an non decora hujusmodi sunt, nullam causam, nullúmque initium existentiæ suæ agnoscere, sed necessariò, & per se ipsum habere, ut semper sit? Intrà unicum immo-

bile præsens complecti, quidquid sæculorum, vel retro, vel in posterum fingi animo potest? Possibilia quævis bona in se continere, nec tamen nisi unum esse, & simplicissimum bonum? omnem à sese quantitatis extensionem, & partium multiplicitatem excludere, cúmque hoc tam indivisibili existendi modo necessariam, ac perpetuam in omnibus simul possibilibus spatiis præsentiam conjungere? Pro materia suorum operum habere merum nihil, próque instrumento omnium, quæ facit merum suum velle: adeò ut ad alios, aliósque mundos è nihilo repentè excitandos, satis supérque illi sit unum intrà se concipere, & simplicissimum fiat? Quanta hæc sunt, rogo, quámque inaudita, perfectionis omnem modum, atque morem transcendentis prodigia? Quænam mens illa assequi se posse confidat, nec potiùs, veluti humano captu majora, satis habeat, in divinæ revelationis obsequium, humiliter credere? Ubinam in rebus creatis occurrunt exempla, quæ vel rude illorum simulacrum adumbrent? Quámque idcirco imperfectas credi necesse est, quascunque nos in nostra mente effinxerimus, objecti tam eximii, tam inusitati, támque omnino singularis, atque unici imagines? docet S. Thomas. (*Opusc. 2. c. 105.*) fieri non posse,

se, ut unius rei essentia per alterius diversæ rei speciem, qualis in se est, agnoscatur: quantóque diversæ magis res sint, tantò imperfectiùs per unius species aliam agnosci. Sit quisquam exempli gratiâ, qui serpentem, & serpenti aliquid simile nunquam viderit. Si ego hunc conarer ei notum facere per alterius ab eo visi animalis, putà bovis imaginem, dicens illi, ut bovem imaginetur, sed subtilem, oblongum, cornibúsque, & pedibus, ac pilis carentem; manifestum sanè est, per hujusmodi descriptionem vix tenue, & difforme aliquod serpentis simulacrum in illius mente productum iri. At multò etiam debilius, & difformius id foret, si ego nullius animantis similitudine uterer, sed lineamenta, & colores mutuarer à viventibus diversi generis, omni scilicet sensu vacuis, & secundùm solam vegetativam vitam serpenti similibus, putà à quercu, vel platano. Quòd si hisce etiam exemplaribus prætermissis nihil illi ad serpentis speciem in sua mente formandam proponerem, nisi ignem, fluvium, frigus, calorem, albedinem, objecta ab animali exprimendo diversissima, & quibuscum nil commune ipsum habet, præter genera maximè universalia corporis, & substantiæ, vel entis; conjecturam secum quilibet faciat, quàm ab-

normis, & ſuo vero exemplari diſſimilis foret cognitio, quæ in illius hominis mente hinc exiſteret: & num imago, vel ambiguè, confuſéque ſerpentem referens, appellari poſſet, an monſtrum veriùs imaginis, & mera ſerpentis negatio. Cùm igitur DEUS ultra omnem comparationem remotior, diſſimiliórque ſit à quibuslibet rebus creatis; quàm animal à corpore inanimo, vel ſubſtantia à ſuis qualitatibus; quis dignè explicaverit, quàm impropriæ, &, ut ità loquar, monſtroſæ cognitiones ſint, quas de illa, nullis noſtrorum generum limitibus comprehenſa, & omnino inimitabili eſſentia ex rerum creatarum ſimulacris concipimus? Certè juſti anima, ubi primò ad DEUM in propria ſua ſpecie intuendum admiſſa fuerit, dulci tota ſtupore complebitur: nec poterit non intrà ſe dicere, comparans illum, qualem in ſe ipſo tunc videt, cum eodem, qualem antea per ſpeculum, ínque ænigmate contemplabatur, & veterem ſuam omnem ſcientiam præ illa tam diſſimili viſione deridens, hoc ergo DEUS, talis ergo natura DEI eſt? At ego, plusquam puerili ſimplicitate illum probè à me ſciri in terris putabam: cùm illius cognitiones, quas tunc in animo conſignatas habebam, multò magìs ab eo diſcreparent, quàm differret ab ho-

homine effigies, quæ illum sub vermis, sub trunci, sub lapidis, vel alterius remotioris ab homine rei forma repræsentaret.

10. Postremò, etsi reliqua omnia nostræ inhabilitatis ad DEUM comprehendendum argumenta deficerent, satìs tamen, supérque unum illud foret, quod tertio loco posuimus, illius nempe absoluta in quocunque perfectionis genere infinitas. Nam, si nucis putamine, vel alio ejusmodi vasculo impossibile omnino est totum mare concludi; quonam pacto intra humanæ mentis angustias tota contineri queat divini esse amplitudo? Cùm inter illud putamen, & totum mare, quorum utrumque determinatæ magnitudinis est, nonnulla proportio intercedat: at verò mens hominis, utpote non ultra certum terminum patens, infinitáque DEI essentia innumeris vicibus minor, nullam omnino cum ea habere possit proportionem. Quemadmodum igitur, angusto illo vasculo maris aquâ, secundùm totam suam capacitatem repleto, quivis diceret, non nisì minimum quid ex toto mari intrà illud contineri; sic posteaquam de divina nos essentia intellexerimus, quantumcunque nostra mens capere potest, fateri debemus, totum hoc penè nihil esse ad illud tan-

tò, & tantò amplius, quod sinè ullo termino intelligendum de infinito hoc objecto adhuc supereſt. Unde etiam consequitur, quamvis verè dicamus, DEUM à nobis cognosci, non tamen secundùm animadversionem D. Epiphanii, minùs verè dicturos, eum à nobis nesciri. Eodem prorsus pacto, quo, *si quis per angustum foramen cælum aspiciat, & dicat, cælum video, non utique mentiretur, videt enim revera cælum. Quod si quis prudenter ei dicat, non vidisti cælum, neque is mentietur. Illius quippe latitudinem, & exporrectionem non videt.* (*Hæres.* 70.)

11. Sed enim verò quid magni & eximii DEO est, quòd mentem nostram transcendat, quæ neque sensibilia, & sibi proxima, imò neque semet ipsam comprehendit? Deprimere illum potiùs, quàm extollere esset, si in hoc primo, infimóque gradu consisteremus. Age igitur, supra quidquid creati, & finiti est, assurgat oratio: addamus jam dictis, DEUM non modò à nobis mortalibus, & terreno corpore indutis omnimoda perspicuitate intelligi haud posse; sed incomprehensibilem ipsismet spiritibus Angelicis esse: incomprehensibilem ipsismet purissimis animabus, quibus in meridiano cælestis gloriæ lumine coram

ram intuendum se exhibet: incomprehensibilem demum cuilibet intellectui creato, & ipso minori. Talem certè Jeremias credi jubet, *magnum consilio, & incomprehensibilem cogitatu* (*c.* 32.) appellans. Talem Concilium Lateranense, sub Innocentio III. celebratum, disertè pronuntians, *Firmiter credimus, quòd unus solus sit* DEUS, *æternus, immensus, incomprehensibilis.* Talem & SS. PP. uno ore prædicant; & sacrarum Literarum monumenta sub variis imaginibus exhibent. Quid enim? nónne imago, ad id exprimendum idonea est illa alarum expansio, qua Seraphim apud Isaiam DEI vultum, & pedes (*c.* 6.) tegebant: tanquam indicaturi nobis, 'ceu interpretantur Origenes, Homiliâ primâ super Isaiam, & D. Cyprianus in libro à nonnullis ipsi adscripto, *De operibus Cardinalibus Christi*, extrema infinitæ illius essentiæ, principium nempe, ac finem esse objecta etiam Angelicis obtutibus clausa? (*In Prol. de oper. Card.*) *Patentibus, quæ in medio sunt, principium, finémque majestatis divinæ alarum extensio operit:* quasi volentes hinc palàm facere, prout addit Chrysostomus, neque sibi pupillas esse, quæ immensũ æterni solis jubar ferre valeant. (*Hom.* 3. *de Incompr. DEI Nat.*) *Dic, quæso, quamob-*

rem alas prætendunt, & suas operiunt facies? Quid aliud esse dixeris causæ, nisi splendorem procurrentem è solio illo eos ferre non posse? sicut lucem radiorum solis non tam cæcus, quàm, qui videt, esse inaccessibilem novit; sic DEI *naturam inaccessibilem esse, non eodem modo nos novimus, quo illæ supernæ & incorporeæ naturæ.* An non idem Regius quoque Vates significatum nobis vult, ubi Dominum ait (*Ps.* 17.) *Ascendisse super Cherubim, & volâsse?* Idem, meâ quidem sententiâ, respondet D. Gregorius. (*L.* 17. *Mor. c.* 15.) Cùm enim Cherubim sibi scientiam peculiariter vendicent; perinde videtur, elevari DEUM supra illos perspicaciſſimos spiritus, ac omni superiorem etiam Angelicâ scientiâ esse, *Cherubim plenitudo scientiæ dicitur: proinde super plenitudinem scieniæ ascendisse perhibetur, & volâsse, quia Majestatis ejus plenitudinem scientia nulla comprehendit.* An non in eodem sensu illud pariter accipi potest, *Cælum cæli,* (*Ps.* 113.) peregrina, & magnifica ejusdem Vatis locutio? ità ut, præter cælum empyreum, glorioſam beatarum mentium sedem, & supremum mundi finem; aliud innuatur iis verbis mysticum cælum, infinitum nempe esse divinum: cælum tantò altius empyreo, ut hoc præ illo terra quodammodo, &

cen-

centrum illius videatur: nec propterea minùs impossibile beatis empyrei civibus sit, totam obtutu pervadere illius tantò sublimioris cæli altitudinem; quàm impossibile nos experiamur, oculorum aciem ad intima empyrei penetralia è terris transmittere? Ità mihi profectò videtur, subdit D. Augustinus in suis (si tamen sua sunt) soliloquiis cum DEO: neque prorsus invenio, quidnam significare aptiùs possit *cælum* ipsius *cæli*, quàm tuam, summe cæli Regnator, altissimam, infinitam, nullique comprehensibilem essentiam. *Quoniam supereſſentiali, & occulta Divinitate super omnem intellectum, rationem, & essentiam inaccessibiliter, & imperscrutabiliter habitas in temetipso. ubi lumen incomprehensibile, & inenarrabile, quod nullus unquam Angelorum, aut hominum vidit, sed nec videre potest. Hoc est cælum tuum, Domine, de quo dicitur, cælum cæli Domino: cælum cæli, cui terra est omne cælum, quia supermirabiliter exaltatum est super omne cælum: ad quod etiam terra est ipsum cælum. Hoc enim est cælum cæli Domino, quia nulli notum, nisi Domino: ad quod nemo ascendit, nisi qui de cælo descendit: quia nemo novit Patrem, nisi Filius.* (*c.* 31.)

12. Multos præterea citare ex Patribus possem, qui testificati palàm sunt, à nullo

DEUM posse sive hominum, sive Angelorum intellectu usquequaque comprehendi, veluti Dionysium, Areopagitam, Gregorium Nazianzenum, Theodoretum, Epiphanium, duos Basilios, Magnum, & Seleucienſem, duos Cyrillos, Hierosolymitanum, & Alexandrinum, Hieronymum, Joannem Damascenum, Ambrosium. Sed, fatentibus DEUM esse omni ex parte infinitum, adeò perspicua hujusmodi veritas est, ut humanis comprobari testimoniis non egeat: neque ad eã in pleno evidentiæ meridie collocandam ulla re alia, quàm vocabulorum explicatione opus sit. Videamus ergo, quid significet, aliquid omnino comprehendi. Significat, secundùm receptissimam Doctoris Angelici definitionem, (1. *p. qu.* 12. *a.* 7.) cognosci, quantùm ex natura sua cognoscibile est: adeò ut notitia, quam de illo mens concipit, tanta sit, quanta illius capacitas, ut possit cognosci. Quisnam ergo dixerit, posse ab ulla mente creata notitiam de DEO concipi, parem capacitati, quam ille habet, ut possit cognosci: cùm hæc capacitas nihil aliud sit, quàm ipsum esse divinum, nec proinde illo angustior? Istiusmodi certè cognitio æquè perfecta esset, ac qua DEUS se ipsum comprehendit, nec minorem haberet,

ret, quàm illa habeat, cognoscendi virtutem: ideóque, ceu cognitioni, qua DEUS se ipsum comprehendit, infinita perfectio, & virtus cognoscendi ineſt; sic & ipsa esse deberet in perfectione & virtute cognoscendi infinita.

13. Quæ ut magis perspicua fiant, & intelligi distinctiùs possint, advertendum est, proprietates, & perfectiones divinas, quamvis simpliciſſimæ sint, & omnem à seſe partium compoſitionem excludant; quia tamen singulæ infinitis rerum creatarum perfectionibus inter se diverſis, exuperanter æquivalent; singulas quoque infinitarum capaces denominationum esse, quæ à nobis, tanquam diverſæ, concipi solent. Videre id est in omnipotentia, quæ, ſicut est virtus producendi omnia possibilia, sic supereminenter æquivalet tot virtutibus productivis, quot sunt res producibiles, nimirum virtuti producendi equum, virtuti producendi hominem, virtuti producendi leonem, & cuilibet demum virtuti hanc, vel illam rem possibilem producendi. Siquidem nihilo minùs valet ipsa una, quàm illæ omnes inter causas diverſas singillatim diviſæ valerent: ideóque licèt revera non sit, nisi unica, & indiviſa producendi virtus; intrà se tamen complectitur, quasi to-

totidem ſuas denominationes, & partes, ſecundùm noſtrum intellectum diverſas omnes illas infinitas, & peculiares virtutes: Cùm nulla harum ſit, quæ de omnipotentia divina verè affirmari nequeat, quæque affirmanda peculiariter, & expreſsè non ſit, quò illius vis, & amplitudo diſtinctè explicetur. Idem apparet in ſapientia divina, quæ ipſa etiam tot peculiaribus, diversíſque cognitionibus ſupereminenter æquivalet, quot per eas intelligi poſſunt veritates diverſæ. Idem in immenſitate complectente ſimiliter tot diverſas, intérque ſe impares magnitudines, quot intrà ipſam aliis aſſignari, atque aliis corporibus poſſunt. Idem poſtremò in pulchtitudine, in bonitate, & in qualibet alia ex prærogativis divinis: cùm unaquæque infinitos contineat propriæ perfectionis ſuæ gradus, qui, licèt intrà ipſam omnes unica, & omnino ſimplex perfectio ſint; extra ipſam tamen poſſunt diſtingui, ínque rebus creatis diverſis, alii ſeorſum ab aliis exiſtere. His porrò animadverſis facilè intellectu jam eſt, quidnam requiratur ad DEum, & ſingulares illius prærogativas clariùs noſcendas: requiri nimirum, ut in harum qualibet major diſtinguatur numerus peculiarium perfectionum, quibus ipſa æqui-

æquivalet. Nemini ſiquidem eſſe dubium poteſt, quin ex duobus, quorum alter in divina ſapientia mille tantùm veritates ſibi notas, alter verò bis millenas ſpeciatim, diſtinctéque perſpicit; duplò hic clariùs, & perfectiùs, quàm prior ille divinam ſapientiã cognoſcat. Perſpicuè itèm hinc cernitur, quonam pacto, licèt indiviſa divinæ eſſentiæ ſimplicitas nequeat, niſi tota cognoſci, verè tamen dicatur plus de illa unus ſcire, quàm alter. Eſto quippe diverſis illa partibus careat, diverſimode nihilominus à nobis concipi poteſt, ſecundùm ſcilicet has, vel illas perfectiones creatas, quibus æquivalet: ut proinde, qui majorem harum numerum in ipſa diſcernit, dici poſſit plus de illa percipere: plus, inquam, non quantùm ad objectum cognitionis primarium, nempe ipſam DEI eſſentiam, ſed quantùm ad meliorem intelligendi illius modum, & ad objecta ſecundaria, quæ plura, & ſpecialiùs in ea diſtinguuntur. Planum denique ex eodem principio fit, non ad totam duntaxat DEI, ſed ad quamlibet etiam ex peculiaribus illius prærogativis comprehendendam, cognitione infinitè perfecta opus eſſe. Cùm enim unaquæque ex iis prærogativis infinitas, ùt vidimus, peculiares perfecti-

ones

ones intrà se contineat, neque comprehendi penitùs possit, nisi per cognitonem, quæ distinctè, exactéque pervideat, quidquid in ea continetur; necesse profectò est, ut cognitio eam comprehensura tantum sola objectorum percipiat, quantum ab infinitis cognitionibus percipi posset; nimirum eam omnem peculiarium perfectionum infinitatem, quæ in una quaque DEI prærogativa continetur, quæque, si cuilibet perfectioni propria, & distincta assignaretur cognitio, non minùs, quàm infinitas cognitiones requireret. Quapropter, quemadmodum DEI potentia, quòd efficere sola possit, quidquid ab infinitis causis fieri oportet; infinita in efficiendi virtute esse dicitur; sic prædicta cognitio, cùm id totum sola cognosceret, quod non nisi per infinitas cognitiones posset particulatim cognosci, infinita in virtute cognoscendi mereretur vocari.

14. Reliquum est, ut veritatibus hactenus explicatis ad nostrum spirituale emolumentum utamur. Quod certè non faceret, qui vel iniquo animo ferret, nefas sibi esse, in ipsa etiam cælesti patria DEUM cognoscere, vel, quia in terris tam parum de eo scire possit, à quærenda illius scientia desisteret. Absurdissi-

simus, & ab omni ratione devius utérque sensus foret. Nam, quod ad secundum attinet, sufficit meminisse dictum S. Hilarii monentis, à DEI infinitate eripi quidem nobis facultatem, & spem, eum comprehendendi, sed immensum simul campum aperiri, ad ulteriores, & ulteriores in illius scientia progressus. (L. 2. *de Trin.*) *Qui piè DEI infinitatem persequitur; etsi non contingat aliquando, semper tamen proficiet procedendo.* Quamobrem, qui scientiæ illus studium omitteret, quòd eam, non nisì imperfectissimam, obscurissimámque in hoc sæculo assequi valeat, non minùs desiperet, ac mendiculus aliquis, qui intrà Salomonis thesauros admissus, cum plena facultate auferendi, quantum manus suæ auri capiunt; quia hoc minimum foret præ reliqua loci opulentia, nihil inde asportandum putaret, manibúsque prorsus vacuis abiret: nec dissimilis in fatuitate viatori esset, qui solis occasum, nè accensa quidem laterna sibi utcunque suppleret, sed, quia plena nequit in luce, omnimoda in obscuritate iter prosequi vellet. *Non possis oculo, quantùm contendere Lynceus; non tamen idcirco contemnas Lippus inungi. Est quodam prodire tenus, si non datur ultra*, sapienter pronuntiat vetus Poëta. (*Hor. L. 1. Ep. 1.*) & quidnam,

nam, amabò, consilii est, quia bonum aliquod obtinere non licet, secundùm totam, nec cæteroqui prorsus necessariam sui plenitudinem, eam quoque illius partem respuere, qua summopere indigeas? *Quæ probabilis ratio est obmutescendi, quia nequeas Orator esse perfectus, aut in socordiam compelli, quia consummatam desponderis sapientiam?* (*Colum. L. II. c. I.*) Quantumcunque, inquis, studii, laborísque, in perveſtiganda DEI natura, & perfectione ponam; nunquam mihi continget, illius notitiam, nisi obscuríssimam, maximè impropriam, & ignorationi, quàm scientiæ propiorem nanciſci. Ità planè est, verissimè loqueris: sed tamen hæc adeò obscura, adeóque imperfecta, & impropria cognitio, illa ipsa est, quam sub libri hujus initia cuilibet antecellere ostensum est vel maximè evidenti rerum creatarum scientiæ, quæque in sacris litteris *Infinitus thesaurus, consummata justitia, radix immortalitatis* vocatur. Tenuissima est haud inficior pro iusinita sui objecti amplitudine: sed tamen etiam adeò tenuis, satis supérque habet virium ad efficiendum, ut creata omnia contemnas, amorem tuum totum DEO uni devoveas, illóque Christianæ perfectionis enitare, quò tot sancti Viri, ea ducente, potuerunt pertinge-

gere. Audi S. Thomam: (*L. 1. c. Gent. c. 8.*) *De rebus altissimis etiam parva & debili consideratione posse aliquid attingere, jucundissimum est.* Næ tam eximium, adeòque scitu utile objectum DEUS est: ut vel subluſtris scientiæ illius radius ad beandas mentes sufficiat. *Attingere aliquantùm te mente DEUM magna beatitudo est; comprehendere autem omnino impossibile.* (*Augusſt. Serm. 38. de Verb. Dom.*) Imò addit Philo, etsi nullam tanti arcani assequeremur notitiam, ipsammet nihilominus illius investigationem satìs amplum nobis fore, quanticunque laboris, & conatûs pretium. *Licèt DEUM non valeamus invenire, debemus tamen indesinenter quærere: quia hæc consideratio se ipsâ, citra inventionem summè desiderabilis est.* (*L. 1. de Monar.*)

15. Neque minùs æquitati, & rationi contrarius eorum esset mœror, qui ægrè ferrent, haud sibi licere, ad omnimodam DEI comprehensionem unquam pertingere. Nam, cùm nullum ens creatum possit esse hujus comprehensionis capax, nisì aut ad divinæ infinitatis æqualitatem excrescat, vel DEUS ex sua immensitate ad humanæ mentis angustias se contrahat; contristari aliquem de prædictæ capacitatis defectu idem prorsus foret, ac tristem esse de naturali, & necessaria, vel humanæ

næ eſſentiæ ſuæ parvitate, vel divinæ amplitudine. Qua utrâque triſtitiâ nihil excogitari poteſt dementius, ſecundâ verò nihil etiam ſceleratius, & impium magìs. Præterea cur ægrè feramus, non poſſe nos DEUM cognoſcere, quantum ille poteſt cognoſci? Certè non ideò procreati ſumus, ut eum omnimode cognoſcamus, ſed ut perfectè amemus, perfectéque eum amando, toti in eum transformemur. Atqui, ad hunc finem obtinendum, minimè opus eſt plenè illum comprehendere: cùm adeò immenſa illius ſit pulchritudo; ut, vel ſubobſcurè, imperfectéque cognita, totum rapere in amorem ſui hominis animum poſſit, à quo ità cognoſcitur. Hæc, hæc ſingularis, & quàm maximè propria ſupremi illius entis gloria eſt, quòd non modò à nulla mente creata percipi queat, niſi infinitè minùs, quàm amplitudo ſua ferat; ſed, quòd illa etiam, uſque adeò inæqualis, & curta ſui perceptio ad tantũ ſui amorem excitandum ſufficiat, quantum excitare nuſquam potuerit vel perfectiſſima creatæ ullius rei viſio. Licet quippe hinc conjecturam capere, quàm prodigioſa, & ultra omnem modum mirabilis ſit arcana illius pulchritudo, quibúſque charitatis pluſquã Seraphicæ ardoribus humanum

num genus omne ſuccenderet, ſi ſe illi intuendam præberet cum infinita ea claritudine, quæ ad ipſam, quanta & qualis eſt, introſpiciendam, penitúſque comprehendendam requiritur. Ablegemus, quæſo, ablegemus à noſtris mentibus, utì Picus Mirandulanus nos monet, inutilem hanc ſciendi pluſquam neneſſe, & fas eſt aviditatem: minor noſtri Conditoris agnoſcendi curioſitas, majórque adamandi ſedulitas ſit. (*De ente & uno c. 5.*) *Vide, quæ nos inſania teneat. Amare* DEUM: *dum ſumus in corpore, plùs poſſumus, quàm eloqui, vel cognoſcere. Amando plùs nobis proficimus, minùs laboramus, illi magìs obſequimur. Malumus tamen per cognitionem ſemper quærendo nunquam invenire, quod quærimus, quàm amando poßidere.* Quem ſenſum potuit ille hauſiſſe à Seraphico Doctore Bonaventura: ubi ſcripſit, DEUM *non eſſe demonſtrabilem, inveſtigabilem, aut intelligibilem, ſed totum deſiderabilem.* (*De parvo bono c. 3.*) Utì hic ipſus didiciſſe id potuit à beatis illis Iſaiæ (*c. 6.*) oſtenſis ſpiritibus, qui ſuperiores, & adnexas capiti alas, intellectionum imaginem, ad velandum DEI vultum immobiliter expanſas tenentes; duas tantùm medias, quibus, utpote cordi propiores, affectus exprimuntur, continenti volatu agitabant. De-

nique, quamvìs certò noverimus, DEUM neque in cæleſti gloria perceptum à nobis iri, in quantum percipi poteſt; æquè tamen certi ſumus, quam illius ibi aſſequemur notitiam, etſi finitam, immensóque ſuo objecto nimiùm quàm imparem ſuffecturam, nihilominus, ad nos in perfectiſſima conſtituendos beatitudine: omnémque, quà noſtrarum mentium, quà cordium capacitatem expleturam. Quocirca, ceu vulucres haud quaquam momeleſtè ferrent, in aëris elemento campum ampliorem ſe habere; quàm ut volando emetiri totum valeant: imò cum ingenti voluptate illam ſpatiorum latitudinem, ſuos uſus excedentem aſpiciunt, neque ullo pacto intrà certum, & parem ſuis niſibus modum concludi vellent (ità ſiquidem circumſcriptæ, laxæ quidem, ſed veræ caveæ incluſæ eſſent) haud ſecùs & nobis lætitiæ potiùs, quàm mœrori eſſe debet, quòd objectum habeamus præ oculis, de quo quantamcunque aſſecutis ſcientiam, nova deeſſe nunquam poteſt locupletioris ſcientiæ materies: quódque accumbamus in convivio, ubi copiam mens habere ſe videt, quæ ſuæ non modò refectioni ſufficiat, ſed vel ſatietati ſuperſit.

16. His itaque excluſis tam præpoſteris animi ſenſibus, alios ego hìc ſubjicio, & juſti-

ftiores, & qui ex capitis hujus doctrina planiſſimè conſequuntur: cujuſmodi ſunt, humilis confeſſio noſtræ circa res divinas inſcitiæ, pia objectorum tam ſublimium admiratio, intimum gaudium de tanta Domini noſtri magnitudine, & circa abditiſſima quæque fidei myſteria immobilis animi quies. Debet igitur primò indè erui clara cognitio utiliſſimæ hujus veritatis, nimirum noſtras omnes circa eſſe divinum cognitiones multò eſſe illi diſſimiliores, & improprias magis, quàm alienæ à veris coloribus ſint formatæ in cæci hominis mente illorum imagines. Utiliſſimæ, inquam, veritatis: quippe quæ, ubi probè percepta, & penitùs impreſſa animo fuerit; omnem inde abiget inanis arrogantiæ fumum: non permittens, ut ob quantoſcunque in cæleſti hac ſcientia profectus, ulli fidelium rudiſſimo etiam, & indoctiſſimo audeamus nos præferre. Quamvis enim maximum eſſe videatur diſcrimen inter DEI cognitionem, quam excellens Theologus, quámque ſimplex muliercula menti inditam gerit; ſi tamen obſervetur, quàm immenſo intervallo ambæ illæ cognitiones ab incomprehenſibili ſuo objecto excedantur, quæ tam ingens antea videbatur prioris præſtantia, vix apparet ſenſi-

bilis: veluti, quamvis multò eminentiorem locum teneat, qui excelsi montis fastigium conscenderit, quàm qui ejus ad radices subsistit; tanta tamen est utriusque à cælo distantia, ut primus vix illi esse videatur propinquior. Quod & prudenter fassus est Damis Apollonii discipulus, postquam simul cum eo caucasi juga ascendissent; (*Philost. in vita Apol.* L. 2. *c.* 2.) & multò tu fateri justiùs poteris, postquam editissimos quosque ænigmaticæ DEI scientiæ gradus tenueris, persuasissimum habens, vix nihilo propiùs te ad eum accessisse, clariúsque indè illum cernere, quàm propinquæ illi sint, suáque ex humilitate idiotarum mentes eum videant. *Inter pusilla*, inquit Seneca, *non potest magnum esse discrimen, nisi dum inter se comparantur. Ubi ad collationem immensi corporis ventum est; nihil interest, quantùm alterum altero sit majus. Quisquis mundum mensurâ suâ æstimaverit, & terram cogitaverit tenere puncti locum; intelliget, nihil in illa posse ità eminere, ut cælestia magìs sentiat, veluti in propinquum illis accesserit.* (L. 4. *qu. Nat. c.* 11.) Unde illud insuper novæ, nec contemnendæ utilitatis auctarium tibi provenit, quòd per hanc tenuis tuæ scientiæ confessionem, DEUM meliùs cognosces, quàm per omnes pridem

dem acquisitas de supremo illius esse notitias. Cùm communis sit Patrum sententia, neminem in cælesti hac scientia doctiorem esse, quàm qui ejus se agnoscit, & fatetur penitùs rudem: nec posse à nobis sublimiorem, propriámque magìs DEI speciem mente formari, quàm si post accuratissimam, diutissimámque illius vestigationem nihil didicisse nos aliud testemur, nisì quod sat est, ut possimus cum Isaia illi dicere, (*c.* 45.) *Verè tu es DEUS absconditus*: Ambigísne de propositionis hujus veritate? Audi illam à sanctis Cyrillo, & Augustino disertissimè expressam. *In his, quæ de* DEO *dicuntur, hæc maxima est scientia, ignorantiam fateri.* Ità prior (*Catech.* 6.) scribit: *Vis scire naturam* DEI? *hoc scito, quod nescias.* (*Serm.* 189. *de Temp.*) Sic alter subjungit: Audi confirmatam à D. Basilio iis Ecclesiastæ verbis: (*c.* 7.) *Dixi, sapiens efficiar: & ipsa longiùs recessit à me multò magìs, quàm erat.* Non quia, ùt explicat sanctus Doctor, sapientia se prensantes effugiat: sed quòd, qui ad eam propiùs accedunt, magìs à se dissitam, & quasi recedentem aspiciunt: (*De vera Fide.*) *Quia ii maximè intelligunt, quàm ea omnem cujusvis captum exuperet, qui ampliorem, quàm cæteri, illius cognitionem sunt assecuti.* Audi à D. Gregorio

Nisseno declaratam Moysis exemplo: qui, cùm primò inter rubi flammas DEUM esset intuitus, secundâ mox vice, suo progrediendi ad clariorem illius visionem, opacâ involutum caligine aspexit: Quia nimirum *mens hominis ad perfectiora procedens, quantò magis ad speculationem DEI accedit, tantò magis prospicit, quòd divina natura invisibilis, atque incomprehensibilis est. In hoc enim consistit vera DEI cognitio, in hoc ejus est visio, ut videas, quòd videri non possit, quòd omnem cognitionem cognitio ejus excedit, quasi caligine quadam ipsa incomprensibilitate undique obtecta.* (*De vita Moys.*) Audi denique obsignatam splendido illius Minutii Felicis effato: *Eloquar, quemadmodum sentio. Majestatem DEI, qui se putat nosse, minuit, Et ideo sic eum dignè æstimamus, cùm inæstimabilem dicimus.* (*In Oct.*)

17. Neque debet molestum id accidere doctioribus viris, tanquam si per hanc regulam omne auferatur inter ipsos, & rudem idiotarum vulgum dignitatis discrimen. Quamvis enim verissimum sit, summam hìc scientiam in sua inscitia agnoscenda consistere, quod nemini est, quàm rudibus & indoctis facilius; quemadmodum tamen, quantum sit solis jubar, apertiùs demonstraretur, si nè ipsæ quidem

dem aquilæ oculorum aciem in eo possent defigere; quàm demonstretur, quia talpæ, atque noctuæ illi tolerando impares sint; ità summam DEI magnitudinem luculentiùs declarant, meliúsque concipiunt Augustini, atque Thomæ, illius sese ignaros profitentes, quàm literaturæ omnis expers bubulcus, eandem de se inscitiam confitens. Nempe hic DEUM in ejusmodi confessione non nisi crassis & vulgaribus suæ mentis imaginibus superiorem agnoscit, quod non magnum sanè est divinæ excellentiæ argumentum. Illi verò eum sibi repræsentant, veluti excedentem omnes illas rerum nobilissimarum species, quas ipsi assiduo plurium annorum studio, & toto lynceæ suæ mentis conatu elaborare potuerunt: quod utique est magnificentiùs de illo sentire, splendidioríque sub imagine illius incomprehensibilitatem concipere. Omnibus itaque seu literatis, seu idiotis fatendum est, tam immensi, & humanum omnem captum superantis objecti ignaros se esse, neque ullo alio pacto, sive hi, sive illi possunt illud meliùs percipere: cum hoc tamen discrimine, quòd, quantò unusquisque est ingenio & doctrinâ præstantior, tantò per hujusmodi confessionem DEUM magìs exaltat, meliúsque cognoscit.

18. Atque hinc deinde oritur altissima illa admiratio, quam veluti alterum veritatis hìc assertæ consectarium paulò ante indicavimus. *Nimio namque Divinitatis fulgore obtusus intellectus, & humanus reverberatus sensus ad se redire compellitur, non tamen vacuus, sed clamoribus desideriorum, & suavi admiratione repletus.* (*Laur. Just. de disc. & perf. Mon. c. 24.*) Cui admirationi conjungi solet par reverentia, & ille humilis timor, seu sacer potiùs horror, à D. Gregorio commemoratus, ubi scripsit, mentem nostram, dum in DEUM oculos figit; *quamvìs extremum aliquid de illo conceperit; in consideratione tamen ejus magnitudinis inhorrescere, quia ipsis ejus contemplationis vestigiis se imparem sentit:* (*L. 5. Mor. c. 21.*) quemadmodum multò antea Regius Psaltes eundem expressérat, canens Domino: (*Ps. 138.*) *Confitebor tibi, qnia terribiliter magnificatus es.* Ubi scitè observat Chrysostomus, quædam nos admirari citra formidinem, ceu regalis magnificentiam palatii: at in aliis admirationi terrorem accedere, ut, cùm maris in immensum exporrecti vastitatem contemplamur: atque hinc factum esse, quòd Propheta, DEUM contemplari aggressus, *cùm vastum, & immensum divinæ scientiæ inspiciat mare; quasi vertigine tentatus, obstupescit,*

ac

at ſummo cum timore admirans recedit, & exclamat: Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es. (*Hom.* 1. *de Incompr. DEI Nat.*) Jam verò hi quoque admirationis, reverentiæque, & timoris affectus vehementiores concipi ſolent ab hominibus ingenio, & doctrinâ præſtantibus. Siquidem hi ſingulares DEI prærogativas animo recolentes, & plus de iis perſpiciunt, & clariùs inſuper norunt, quàm infinitum ſit illud reliquum, quod impenetrabili circumfuſum caligine, obtutus ſui nequeunt pervadere. Quamobrem duplici ex capite major iis ſuppetit admirandi cauſa: primò quidem, propter ſingularem prodigiosámque excellentiam eorũ, quæ aliquantò diſtinctiùs agnoſcunt: ſecundò, propter ea, quæ ſibi ignota adhuc ſuperſunt, & præ quorum magnitudine inſtar nihili eſſe ſciunt, quidquid ſibi licuit agnoſcere. Atque hinc etiam ducitur ratio, cur, quamvìs DEUS omnem noſtræ mentis comprehenſionem & capacitatem excedat; illi tamen meditando, & quærendo debeamus continenter vacare: credentes D. Bernardo, eum *fruſtrà nunquam quæri, nec cùm inveniri non poteſt.* (*De Conſ.* L. 5) Eſto quippe nihil aliud ex illius conſideratione perciperemus utilitatis; ampliſſimi nihilominus, ùt advertit Niſſenus,

nus, emolumenti locò fuerit, quòd clariùs indè agnoſcamus, quàm immenſo ille intervallo noſtros omnes conatus, noſtrúmque captum tranſiliat: *Tantùm duntaxat ex quæſitis lucrati, ut per hoc ipſum, quod non poſſumus perſpicere id, quod quærimus, aliquam notitiam magnitudinis rerum, de quibus quæritur, in animo formemus.* (*De Beat.*)

19. Neque ſolùm ex cognitione incomprehenſibilitatis divinæ prædicta admiratio, & reverentia oritur; ſed, prout tertio loco addidi, juſtiſſimum item gaudium in nobis excitari par eſt, idque tum DEI ratione, tum noſtri. Et quantum ad nos pertinet, nemini obſcuræ memorati gaudii ſunt cauſæ. Nam, cùm DEUS illud boni patrimonium ſit, ad quod poſſidendum conditi ſumus; quid, rogo, aliud eſt, comprehendi eum à nobis non poſſe, niſi ditiores nos eſſe, quàm poſſimus ad plenum percipere? O noſtra ſanè ultra omnem modum mirabilis ſors! theſaurus nos manet tantæ opulentiæ, ut neque cogitando eum metiri queamus. Hæ ſunt revera amplæ, magnificæque divitiæ, poſſidere plus, quam opus ſit, plus, quàm poſſit utendo conſumi, plus, quàm poſſeſſor verbis explicare, & intellectu complecti valeat. Quamobrem non inſcitè

Poë-

Poëta ille cecinit, *(Ov. L. 15. Met.) Pauperis est numerare:* & alter in eandem sententiam pronuntiavit; *(Hor. Ep. 6. L. 1.) Exilis domus est, ubi non & multa supersunt, & Dominum fallunt.* Perinde quasi solus ille mereatur divitis nomen, cujus prædia, & facultates latiùs patent, quàm ipse noverit. At enim verò id genus opulentiam terreni hujus orbis bona haud recipiunt, omnia intrà certum, nec difficile permeabilem modum finita, & dimensa. Cùm nullus sit Cræsus, qui, si aliquid adhibere studii velit; totam nequeat suorum censuum summam ratiocinando colligere, ac perbrevi relatu explicare: nec ullus Assuerus, similisve alius Monarcha, qui magno tempore, & labore opus habeat, ad omnia cognoscenda provinciarum, & civitatum sibi subjectarum nomina, sciendúmque per quot millia passuum universa imperii sui amplitudo extendatur. Nostra, nostra hæc felicitas est, nobis singulari munere obtigit: ità esse ultra omnem modum divitibus: qui, DEUM possidentes, bonum in eo habemus adeo immensum, nostráque omni scientiâ, & capacitate majus, ut nullo valeamus mentis conatu plus, quàm minimam infinitæ illius magnitudinis partem rescire. Et hoc videri cuiquam potest

test mœrendi potiùs, quàm omnibus lætitiis incedendi, præque gaudio triumphandi materies? Nè, quæso, ità tristi, & subirato vultu nostram excipere felicitatem velimus: sed considerantes cum D. Leone Pontifice, non nisi ex immensitate nostri boni nostram provenire illius comprehendendi impotentiam; *Gaudeamus, quòd impares sumus: &, cùm nostra salutis altitudinem promere non valeamus, sentiamus bonum nobis esse, quòd vincimur.* (*Serm. 9. de Nativ.*)

20. Multóque adhuc magìs sic nos affici animo decet, cùm, præter nostri amorem, DEI quoque amor nova, nec minùs efficacia nobis suggerat, plenissimæ incitamenta lætitiæ. Et verò quotusquisque hæc non videt? *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem.* (*Joa. 14.*) Apostolis Christus dixit, mœrorem præseferentibus, de propinquo illius reditu in cælum: cùm sincera ejus charitas sensus, affectúsque prorsus contrarios ab iis postularet: nempe ut gauderent, videre illum potiùs supra se in cælo regnantem, quàm sibi in terris præsentem. Quidni ergo nobis quoque, si DEUM pro eo, ac par est, diligimus, gratissimum esse debeat, quòd suarum ipse perfectionum infinitate supra omnes scien-

entiæ noſtræ metas ſe attollat? debet procul dubio: ceu amanti illi animæ fuit, in myſtico Salomonis epithalamio deſcriptæ: quæ, cùm ſolicitè adeò ſuum dilectum quæſiſſet, *per vicos, & plateas civitatis*, filiáſque Sion obſecrâſſet, ut ei nuntiarent, quòd ex illius deſiderio languebat, ac profeſſa palàm eſſet, nunquam fore, ut eum à ſe abire permitteret, *Tenui eum, nec dimittam*; poſt haſce, inquam, amoris, & deſiderii ſingnificationes tam vivaces, totum denique librum concludit iis verbis, *Fuge, dilecte mi: aſſimilare capreæ, hinnulóque cervorum:* verbis ſanè prima ſpecie parum congruentibus, ſed quæ, ex Ruperti Abbatis ſententia, juſtiſſimum exprimunt amantis DEUM animæ gaudium, quòd dilectus ſuus è conſpectu ſuo fugiat, & infinito à ſe ſpatio recedat, poſtquam ipſa omnes ſuæ induſtriæ conatus, ad eum inveniendum, & cognitione amplectendum exprompſerit: quaſi dicat, abi, DEUS meus, abi ſanè à notitia mea longiùs; ſi hac te poſſem totum comprehendere, infinitus DEUS, & infinito amore dignus non eſſes. Idcirco ejuſmodi es, quia creatæ omnes quà naturæ, quà intellectûs fines tranſgrederis. Quare tantò te majorem, & amabiliorem agnoſco; quantò minùs capax agnoſcendi tui ſum:

sum: quantóque amabiliorem agnosco, tantò plùs impelli me sentio ad te amandum, gaudendúmque ideo, quòd tantus DEUS sis, ut te nullo mentis nisu valeam comprehendere. Fuge igitur, dilecte mi, fuge: *Nam istud concedendum est majestati tuæ, ut non possis comprehendi, sempérque sis desiderabilis, & desideratus.* (L. 7. *in Cant.*) Ità Rupertus inhærens vestigiis Gregorii Magni, qui ante eum scripserat: *Fuge dilecte mi*, ac si diceret: *Tu, qui ex carne comprehensibilis factus est, ex Divinitate tua intelligentiam nostri sensûs excede, & in te ipso nobis incomprehensibilis permane.* (L. 17. *Mor.* c. 15.) Neque hujusmodi vota metaphysicæ potius ideæ, & artificiosæ ingenii subtilitates videri debent, quàm sinceri, & sub imo corde concepti, cúmque amoris natura congruentes affectus. Ubi creatum quidpiam ametur; fateor, *votum in amante novum esse*, si videre, & cognoscere nolit, quod amat. Finitum enim quodlibet bonum, quantò minùs cognoscitur, tantò minorem sui amoris excitandi vim habet; at perfectâ comprehensum scientiâ amabilius evadit, quàm si ex parte duntaxat sciatur. Ast ubi de DEO agitur, contrarium usuvenit. Nempe is, ut dignè, ac pro suo merito ametur, necesse est, ut imper-

perfectè ; ſuùmque infra modum noſcatur. Si enim eum poſſemus ex toto, quantus, & qualis eſt, intelligere; haudquaquam eſſet infinitè nobis major, neque dignus, quem putaremus, ſuper omnia, & ſupra nosmet ipſos amandum. Neque ità fit, ut omnimoda illius incomprehenſibilitas in cognitionem infinitæ illius perfectionis nos ducat: hæc autem cognitio, ad eum ſuper omnia amandum, nos provocet: & hic amor poſtremò cauſam nobis præbeat gaudendi, quòd infinita, noſtróque omni captu ſuperior illius ſit perfectio. quo etiam in ſenſu illa rite accipi poſſunt regii Pſalmographi verba: *Et nox ſicut dies illuminabitur.* (*Pſ. 138.*) Cùm in noſtra hac cognitione imperfecta, ænigmatica, & quaſi nocturna, non ſecùs, ac clariſſimo in meridie, perſpiciendam ſe exhibeat divinæ perfectionis infinitas. Diligamus igitur myſticæ hujus noctis luminoſam caliginem, ubi ipſamet minùs clara noſtri ſummi boni viſio adjumento nobis eſt ad illud pluris faciendum, atque impenſiùs amandum: dicentes de ipſa cum eodem ſacro Vate, *& nox illuminatio mea in deliciis meis.* (*Ibid.*) Ità ſanè, *in deliciis meis*, propter voluptatem, qua nos debet reſpectu noſtri afficere, quia nobis maximè utilis; & rur-

ſus *in deliciis meis*, propter lætitiam, quam excitare in nobis, reſpectu DEI, debet, quia ipſi apprimè honorifica.

21. Ultimum conſequens, & magni per ſe ipſum momenti, & quod ex capitis hujus doctrina erui facillimè poteſt, tranquilla erit, ac firmiſſima mentis quies in quovis dogmate, quod circa DEI naturam, proprietatéſque, & operationes orthodoxa nobis fides proponit. Si enim rite agnoverimus, & perſuaſum procul dubio habeamus, humanum omnem intellectum à ſupremo illo ente infinitis paraſangis excedi; nunquam certè fieri poterit, ut quidquam in eo parum exiſtimemus credibile; quia nobis ſit perceptu difficile: ſed memores Ariſtotelici illius dicti, (*Qu. Mech. c.* 2.) *Non eſſe novum, ſi ex admirabili mirum quid exiſtat*, fatebimur, nullo pacto inſolens, aut à fide alienum videri poſſe, quòd in natura adeò ſingulari aliquid occurrat noſtro captu ſuperius: imò neceſſarium omnino eſſe, ut id eveniat: &, ſi nihil in DEO reperiremus intellectu arduum, DEUM non fore illud ens infinitum, quod revera eſt: quemadmodum bene D. Auguſtinus colligit adversùs quendam, qui admirari videbatur, quòd, quæ audiebat de DEO, minùs perciperet, jubens illum adver-

vertere, quisnam esset, de quo talia audiebat. (*Serm. 38. de Verb. Dom.*) *De* DEO *loquimur. Quid mirum est, si non comprehendis? si enim comprehendis, non est* DEUS. Quam conclusionem novo insuper argumento *à majori ad minus* confirmat Gregorius Nazianzeaus, scribens: (*Or. 3. de Theol.*) *Non magna esset divina Generatio, si à te percipi posset, quippe qui nec tuam percipias.* Et certè, si animo recolamus innumera, quæ quotidie videmus fieri, nec quemadmodum, & quibus de causis fiant, cogitando assequimur; quonam pacto novum aliquid, & mirum censebimus, idem nobis circa res divinas accidere? Quáve non dicam ratione, sed vel imaginaria rationis specie, nostræ hìc comprehensionis defectum minori potiùs veritatum propositarum certitudini, quàm exploratissimæ nostrarum mentium imbecillitati assignare poterimus? Nónne idem hoc esset, ac situlam, vel lagunculam pro idonea, & æquali totius maris mensura habere? ità ut hac eò demissâ, & plenâ indè eductâ, negaremus, quidquam ultra aquarum in mari supereſſe, quia nihil hac contineri amplius potest? *Quæ in terra sunt, difficile æstimamus: &, quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?* (*Sap. 9.*) Arcanam

te, inquis, Mysteriorum Trinitatis, Incarnationis, & Eucharistiæ rationem non assequi. Facillimè id credo, quippe qui in eadem tecum navi sum, nihilóque quàm tu, minùs ibi cæcutio. Sed quid porrò? justámne ideo habebimus causam, de illorum veritate ambigendi? Imò potiùs venerandi, tanquam humanis altiora, & DEO prorsus digna: qui non modò non esset objectum infinitæ altitudinis, sed vel ipsis demissior, contractiórque objectis creatis existimari posset, si, cùm tam multa in his sese objiciant nostræ cognitioni omnino inaccessa, nihil in ipso reperiremus, nisi promiscuum, vulgare, & cuivis expositum. Atque huc procul dubio spectavit S. Zeno, dum scriberet, (*Serm. de Fide.*) *DEUM quodammodo negat, quisquis eum rationibus humanis metiri conatur.* Neque enim dubitari potest, quin vel DEUM neget, suam infinitatem ei subtrahens, vel infinitatem DEO subtrahat, qui se posse illum putat totũ suâ scientiâ complecti. Quemadmodum igitur, diametrum lateri incommensurabilem esse, usque adeò non nisi imperitis & rudibus admirationi est; ut, teste Aristotele, (*L. 1. Metaph. c. 2.*) *Nihil magis vir geometricus admiraretur, quàm si diameter commensurabilis fieret*; sic tantùm abest à ve-

ro,

ro, juſtam nos habere admirandi cauſam, quòd totum eſſe divinum noſtri intellectûs decempedâ nequeamus metiri, ut ſummopere potiùs deberemus mirari, ſi nihil in eo reperiremus, impoſſibile à nobis comprehendi. Adeóque id nobis heteroclitum, & omni à ratione alienum deberet videri, ut ſtatueremus citra quodvis dubium, veram hujus rei cauſam eſſe, non quia altiſſimum, & incomprehenſibile illud eſſe non multa hujus generis arcana contineat; ſed quòd DEUS ea nobis celaverit, paucas quaſdam contentus, & noſtro intellectui magis accomodas divinæ ſuæ naturæ proprietates mortalibus pandere. Et ſanè nihil dubii apud me eſt; quin, ſicut poterat divinam ſuam Triadem nullo nobis pacto aperire, de qua proin nemini noſtrûm quidquam tunc ſuſpicari in mentem veniſſet; ità præter illud tam ſublime myſterium, multa alia non minùs profunda, revelare nobis poſſet, de quibus nè umbram quidem notitiæ nunc haberemus, non quia in natura ipſius deſint, ſed quia neque revelata ab eo ſunt, neque noſtra per ſe ratio vel tenuiſſimum reperire eorum indicium poteſt. Paucis: vel homo penitùs ſe ipſum comprehendit, vel omnimoda hac comprehenſione ſui caret. Si

primum; fieri minimè potest, quin perspiciat, quàm angusta, & brevis sit intellectûs sui sphæra: nec proinde, ùt observat D. Gregorius, alias illi opus est causas exquirere suæ de rebus divinis insciticæ: sed, quidquid circa eas dubii, & difficultatis sibi occurrat, paratam illico rationem habet, in qua omnino acquiescat: dicens sibimet ipsi, & quid tandem miri est, me, qui luscam adeo, obtusámque sortitus à natura sum mentis aciem, non posse illam in æterni solis jubar defigere? Aut quo pacto insolens mihi, & præter rationem videri queat, bipedalem mei intellectûs scrobeculam toti divinæ essentiæ pelago capiendo imparem esse? (*L. 9. Mor. c. 8.*) *'Qui in factis DEI rationem non videt, infirmitatem suam considerans, cur non videat, rationem videt.* Sin autem neque semet ipsum comprehendere penitùs valet, audiat convincens hoc D. Augustini argumentum, (*L. 5. de Trin. c. 1.*) *Quo intellectu DEUM capiat homo, qui ipsum intellectum suum, quo eum vult capere, nondum capit?* perpensáque illius vi, concludat, nihil æquè absurdum posse accidere, quàm si homini, non valenti omnino percipere, neque rem adeò sibi intimam, ùt est proprium suum esse, alienum à ratione, & veritate videatur, quòd ob-

je-

jectum infinitè se majus, nullámque proportionem secum habens, cujusmodi est summum DEI esse, totum nequeat sua mente complecti.

22. Quæ cùm ità se habeant; si unquam, pie Lector, aliqua de divinis mysteriis dubitatio tuam mentem solicitaret; nè hoc illam honore digneris, ut extimescendam tibi putes, & solicito conatu refutare instituas. Sed deride illam potiùs intrà te ipsum, quasi manifestæ genus insaniæ: admirans, quonam pacto id genus deliramenta potuerint tibi in mentem venire: nec minùs ea despiciens, quàm fatuas ebrii hominis blaterationes: quicum nemo vir prudens sibi altercandum putat, sed inania effutientem aspernabundus, & tanquam non advertens præterit. Tali, inquam, securitate animi ineptissima illa dubia vellem negligeres: aut si contrario insuper quopiam actu illa juvat elidere, occasionem indè sumeres, tuam iterum, iterúmque circa res divinas cæcitatem fatendi: contestans, sed mente prorsus tranquilla tuo maximo Authori, quantò minùs te idoneum ipsi comprehendendo agnoscis, tantò æquius esse, ut ipsum veluti tuo captu superiorem venereris: quidquid de ipso credendum Ecclesia proponit.

digniſſimum tibi videri, quod, citra ullam rationis perveſtigationem, cæco illicet mentis obſequio, & ore humi prono adoretur: denique intelligendi facultatem non ideo te à natura accepiſſe, ut dijudicares, ſed ut ſolummodo admirareris incomprehenſibilia divinæ illius naturæ myſteria. Quæ conteſtationes ex libero potiùs humilis reverentiæ inſtinctu, quàm ex anxia præcavendæ infidelitatis cura iteratæ, in ſimplici, ſolidáque immotæ fidei quiete mentem tuam confirmabunt, nec ullum in ea patientur temerariæ ambiguitatis veſtigium hærere. Concludamus cum D. Auguſtino. *Hìc, ſi ratio quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus, DEUM aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe.* (*Ep. 3. ad Voluſ.*)

CAPUT XVII.

DEUM eſſe omnino immutabilem in perfectiſſimo, ſimpliciſſimóque ſuo eſſe.

QUemadmodum ex infinita Dei perfectione abſolutiſſimam illius incomprehenſibilitatem in præcedenti capite eruimus, ità ex eo-

dem

lem nunc principio, quanta illius immutabilitas sit, eruemus: tanta videlicet, semper eadem, ac naturalis statûs sui retinens, ut nullus in eo possit seu accessioni, seu decessioni, seu novitati, & variationi alteri etiam leviſſimæ esse locus: sed, utì de terra Plinius scripsit. (*L. 2. c. 5.*) *Solam immobilem stare, volubili circa eam universitate*; sic & ipse, multoque adhuc veriùs, inter continuas rerum creatarum vicissitudines, mutationésque, in eodem qualitatis, & conditionis tenore invariabiliter perseveret: talis prorsus hodie, qualis fuit in tota retro lapsi, & qualis porrò erit in tota lapsuri temporis serie.

2. Sed quoniam negationum natura sinè formarum iis oppositarum notitia rite intelligi nequit; priusquam de divina immutabilitate agere instituam, explicandum breviter censeo, quidnam & quotuplex sit mutatio, quam illa pati nequit, suáque ab essentia, & natura excluſam penitùs vult. Mutari, ùt quivis facilè perspicit, tantundem est, quantùm à statu vel termino, in quo antea quis erat, ad alium se transferre, in quo antea non erat: ità ut, qui mutatur, non pergat esse omnino idem, qui fuerat, sed aliquid intrà eum novi acciderit, cujus ergo non jam amplius hæc, aut illa de-

denominatio ipsi congruat, quæ priùs congruebat, sed alia quæpiam dissimilis. Sic exempli gratiâ mutatum esse dicimus loco, qui, cùm Tibure antea moraretur, Romæ nunc degit: mutatum ratione temporis, qui herì novem tantùm ætatis annos numerabat, hodie verò decimum iniit: Mutatum in affectionibus corporis, qui nudius tertius integra fruebatur valetudine, & jam ex morbo decumbit: mutatum in qualitatibus animi, qui veritatis olim ignotæ scientiam adeptus est. In unoquoque enim horum videre est transitum ex uno termino ad alium, & diversitatem aliquam, respectu novi ac veteris termini, & denominationum, quæ ex utroque oriuntur. Cùm verò transitus ab uno statu, vel termino ad alterum non nisì per desertionem prioris, & novi adeptionem fiat, pro diversimoda duorum hujuscemodi statuum conditione possumus cum Ricardo à S. Victore tria genera mutationis distinguere. Primum, cùm è statu deteriore ad potiorem transitur: Alterum, cùm à potiori ad deteriorem migratur: Tertium, cùm à pristino statu ad alium, dissimilem veriùs, quàm inæqualem fit gradus: ità ut singulæ res naturâ mutabiles vel certum aliquod trium dictarum mutationum genus, vel

ea

ea simul omnia recipiant: quæque eorum nulli est obnoxia, dici omnino immutabilis debeat. *Omnis mutatio est aut de statu in statum meliorem, aut de statu in statum pejorem, aut de statu in statum priori æqualem. Ubi verò nihil horum esse potest, vera incommutabilitas inest.* (L. I. *de Trin. c. 3.*)

3. Atque hinc liquidò apparet, mutationem nunquam fieri sinè aliquo perfectionis defectu in eo, qui mutatur. Nam vel ad statum meliorem is transit; jámque hoc ipso expertem se antea boni noviter acquisiti, minúsque perfectum fuisse, demonstrat: vel ad statum deteriorem transgreditur; id quod pariter nequit contingere sinè imperfectione illius aliqua, boni scilicet, quo priùs potiebatur jactura: vel denique ad statum priori æqualem se transfert; neque hìc etiam abesse perfectionis defectus potest, propter bonum novi statûs, quo antea caruit, & anterioris, quo jam non fruitur. In summa, neque mutari quisquam potest, quin relicto uno statu ad alium transeat, neque status, à quibus, & ad quos fit transitus, aliud sunt, quàm aliquod transeuntis bonum vel malum. Sed nemo vel liberari à malo potest, vel in illud incidere absque imperfectione naturalis ad illud subeundum

dum habitudinis: nemo bonum vel amittere, vel lucrari, quin per negationem omnimodæ perfectionis eo possit carere. Nulla igitur citra mutabilis rei imperfectionem existere, aut cogitari potest mutatio. Quod si altiorem veri hujus rationem desideras, duo illam tibi suggerent Aristotelica ex tertio libro Physicorum effata. Primum, omnem formæ cujuspiam recipiendæ potentiam indissolubili nexu cum imperfectione conjungi. (*Text. 15.*) *Imperfectum est id, quod est potentiâ.* Alterum, quisquis movetur, potentiæ aliquid necessariò habet, cùm motus nihil sit aliud, quàm (*Text. 6.*) *Actus entis in potentia, prout in potentia est.* Cùm itaque nec mutatio fieri sinè motu possit, nec motus à potentia separari, nec potentia non adjunctam imperfectionem habere; manifestè hinc consequitur, nullum ens mutari posse, nisi quatenus imperfectum est: nempe, nisi quatenus non possidet necessariò, quidquid bonorum possideri ab eo potest. Quare, cùm nulli ex rebus creatis conveniat perpetua, & necessaria omnium, quæ obtineri ab ea possunt, bonorum possessio; videmus, eas universè omnes naturâ mutabiles esse. Quippe quæ ex nihilo ad existentiam transierunt; &, quamcunque bonorum

sum-

ſummam poſſideant, ea ſemper vel augeri poteſt, vel minui, variaríque in ſingulas horas, ſecundùm loca, ſecundùm ævi curſum, ſecundùm actus vitales, aliáſque tum corporis, tum animi qualitates; poſtremò, ſi DEUS conſervare illas deſinat, nequeunt, ſive morti & corruptioni obnoxiæ, ſeu ab ea immunes naturaliter ſint, in exiſtendi actu vel ad temporis punctum durare: prout Joannes Damaſcenus de ipſiſmet Angelicis ſpiritibus ſentit, affirmans, (*L. 2. de Fide c. 3.*) *Immortalem eſſe Angelum, non naturâ, ſed gratiâ*, nimirum non ſolis naturæ ſuæ viribus, & citra omnem ſuperioris cauſæ indigentiam, ſed per gratuitam, & firmam in DEO conſervandi illius voluntatem. Quod idem alii quoque ſanctorum Patrum docent, Apoſtoli authoritatem ſecuti, ubi de DEO ſcribit: *Qui ſolus habet immortalitatem.* (*1. ad Tim. c. 6.*)

4. His porrò conſtitutis, quis dubitandi locus jam ſupereſt, num DEUS perpetuò, & uſquequaque immutabilis ſit? Nónne ſuprà abunde monſtravimus, quidquid excogitari poteſt bonorum, non veluti adventitiũ quidpiam, ſed quaſi ipſammet ſuam eſſentiam ab eo poſſideri? Quænam ergo nova, & ulterior boni portio neceſſariæ illi, & omnimodæ

illæ

infinitati possit accedere? *Quid permutare quærat, cùm bene se habeat? Quòve transire velit, cùm in se cuncta possideat? sed neque exigit incrementum, cùm sit perfectissimus.* (*En. 5. L. 1. c. 4.*) Ità arguit Plotinus: ejúsque argumentum per seseque cæteroqui clarissimum, illustratur adhuc magìs eo Philosophi effato, (*L. 7. Phys.*) *Omne, quod movetur, necesse est ab alio moveri.* Cùm quælibet res ea tantùm moveatur de causa, quia boni alicujus, quo destituitur, species, magnetica quadam vi ad sui inquisitionem eam rapit. Quo ex principio evidenter colligitur, nullo fieri modo posse, ut DEUS, qui summum, plenissimúmque, & sufficientissimum sibi bonum est, ab externi cujusquam boni desiderio ad illud prensandum moveatur: sed necesse omnino esse, ut in semet ipso usque immobilis, & quietus persistat: ceu idem Philosophus omni procul dubio collegit, sic scribens: (*L. 1. de Cælo tex.* 100.) *Divinum omne intransmutabile esse, necesse est, & maximè summum. Neque enim aliud est melius, à quo moveatur: illud enim utique esset divinius, neque habet pravitatem ullam, neque indigens suorum bonorum ullo est.* Paucis, si moventur corpora, non nisi extra suum centrum moventur: receptissimúmque est juxta in triviis, atque in sa-

sapientum gymnasiis dictum: qui bene se habeat, non moveri. Adde, quod Richardus à S. Victore subjicit, DEUM, sicut non nisi à se ipso habet, ut sit, sic neque aliunde posse habere, ut plenè perfectus, beatúsque sit: &, si à se ipso duntaxat id habet, necesse est, ut id semper habuerit: nisi enim habuisset semper, neque habere unquam posset. (*L. 1. de Trin. c. 3.*) *Illud boni augmentum unde haberet, qui nihil, nisi à se ipso habet? Nam, si priùs illud habuit, quomodo ad illud crescendo pervenit? si priùs non habuit, certè nec aliis, nec sibi dare potuit, quod omnino non habuit.* Adde insuper, quod, si posset DEUS novi aliquid boni acquirere, hoc ei extrinsecùs adveniret, distinctúmque ab essentia illius foret. Id autem omnino impossibile est, tum quia, ùt verissimè scripsit D. Cyrillus (*12. Thes.*) *Perfecto ex se ipso nihil potest accidere*; tum quòd, juxta Alcinoi argumentum, hoc admisso, primarius omnis boni fons, *participatione alicujus bonus existeret.* (*c. 9.*)

5. At si ex prædictis rationibus nequit ille in melius mutari; poterit fortè in deterius, quia nempe illi quidqiam vel boni decedat, vel mali superveniat. Multò id sanè minùs; quo enim pacto id fieri possit, ut vel quodpiam è su-

ſuis bonis deperdat, qui nihil boni habet à ſua eſſentia diſtinctum; vel quantulumcunque mali ſubeat, qui neceſſariò in ſe continet totius plenitudinem boni? Præterea quænam eſſet cauſa, cujus vi illo ſeu privaretur bono, ſeu afficeretur malo? Haudquaquam profectò ipſemet. Cur enim inſipienter adeò conſultum ſibi vellet? ſed neque alter quiſquam, cùm omnipotens ſit, & ab omni externa vi & injuria tutiſſimus. Argumentum à Platone eſt deſumptum: qui in ſecundo de Republica libro, cùm conſtituiſſet, DEUM ſuapte natura perfectiſſimum, optimúmque eſſe, nec poſſe, ſi mutaretur, nisi in deterius mutari; ſubdit, ceu à nemine alio poteſt fieri deterior, ſic neque credi poſſe tam vecordem, ut talem ipſe velit ſe facere: totam hanc ratiocinationem ſic concludens: *Neceſſe igitur eſt, cùm ſit optimus, atque pulcherrimus, ſimpliciſſimum eum eſſe, ac in forma ſua conſtantiſſimè ſemper manere.* Quod ſi tanta nos afficimur novitatis dulcedine, ut vel boni diutiùs continuati tædio laboremus, illúdque cum alio, licèt inferiori, dummodo novo permutatum velimus; nemo hinc argumentum ejuſdem in DEO indolis trahat. Hæc ſiquidem animi affectio indè in nobis originem ducit, quia noſtrum quodlibet bo-

bonum variis ſuapte naturâ permiſceri ſolet moleſtiis, quæ, cùm diuturniore illarum experimento vividiùs ſentiri incipiant, boni quoque ſecum juncti faſtidium in noſtris tandem animis pariunt. At bona DEI propria, cùm ſingula infinitum, & omne bonum ſint, nullâque mali contagione inficiantur; nullam ipſi præbent cauſam, cur ea faſtidire ullo tempore incipiat, & permutare aliis (quaſi aliquid aliud, præter omnia, reperiretur) velit. Quod diſcrimen probè animadverſum eſt ab Ariſtotele, ubi ſcripſit: (L. 7. *Eth. c. ult.*) *DEUS una & ſimplici voluptate gaudet; neque enim mutationis tantùm, ſed & immutabilitatis operatio eſt, magiſque in quiete, quàm in motu voluptas conſiſtit. At verò mutatio rerum omnium ſuaviſſima eſt, ùt Poëta inquit, ob pravitatem quandam. Sicut enim homo pravus mutabilis eſt, ità & natura, quæ mutatione indiget.* Nullum ergo (ut cum D. Fulgentio univerſam rem breviter colligam) excogitare mutationis genus fas eſt, à quo DEI natura non longiſſimè abhorreat: utpote cui, per omnimodam, ſimúlque neceſſariam infinitæ perfectionis ſuæ plenitudinem, nihil unquam ſeu ineſſe mali poteſt, ſeu boni deeſſe. *DEUS nec melioribus rebus, nec deterioribus commutatur, neque enim habet, ubi*

proficiat in melius, aut unde in deterius deficiat. Ille, quod est, semper est, & sicut est, ità est. Et hoc, quod sic est, non initio prævenitur, non fine concluditur, non temporibus volvitur, non ætatibus variatur. Nihil ibi deest, quia totum in illo est. Nihil ibi supersest, quia nihil præter illum est. (*Epist. ad Theod.*

6. Tantóque certiores nos esse de hujusmodi conclusione par est, quantò ad naturalem ipsius evidentiam majus adhuc, quia supernaturale firmitudinis robur sacræ Paginæ adjiciunt: jam DEUM appellantes, solem sinè ortu, occasúve, aut defectu: (*Jac. c. 1.*) *Patrem luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*; jam perpetuam, & moveri prorsus nesciam in eodem semper statu ipsius permansionem; præ continua creatarum rerum omnium variatione, extollentes: (*Ps. 101.*) *Initio tu Domine terram fundásti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Jam denique ipsummet inducentes, qui de se id palàm testetur: (*Malach. c. 3.*) *Ego Dominus, & non mutor.* Neque obstat, quòd alia earundem sacrarum Literarum loca illum nobis exhibeant instar homi-

nis

nis ob eventum aliquem ſuis votis contrarium, triſtitia, & indignatione æſtuantis: exempli gratiâ, cùm (*Geneſis c. 6.*) *Tactus dolore cordis intrinſecùs*, ob communem hominum nequitiam, & mores in omne ſcelus effuſos profitetur, pœnitentiâ ſe affici, quòd genus tam nefarium in lucem eduxerit: *Pœnitet me feciſſe eos.* Nimis quippe, non ſimplicem modò, ſed vecordem etiam, fatuúmque ſe oſtenderet, ſi quis eum ibi, aut in aliis ſimilibus locis exiſtimaret propriè locutum, nec potiùs ad noſtram ſeſe ultro accommodâſſe intelligendi, loquendíque rationem: ità ut illud, *Pœnitet me*, tantundem valeat; quantum ſi dixiſſet: ſi pœnitentiâ affici poſſem, ſat validam ipſi mihi obtulere, cur eâ afficerer, cauſam: vel ità ut per figuram, qua effectum expreſſuri, nomen cauſæ adhibemus, pœnitentiam vocaverit, voluntatem deſtruendi, quæ fecerat, ad quam voluntatem impelli à pœnitentia, qui huic obnoxii ſunt, ſolent. Ità ſe res habet, S. Zeno inquit. Nulla eſt admirandi occaſio, ſi DEUS, etiam priùs, quàm humanitatem noſtram hypoſtaticè aſſumeret, factus quodammodo pluries homo ſit, more hominum loquens, (*Serm. in Pſ. 126.*) *Nobis, non ſibi eloquitur, & ideo noſtris utitur in loquendo.*

Quæ illius nobis ſeſe aptandi conſuetudo à D. Gregorio Niſſeno (*L. 12. c. Eun.*) eâ declaratur, qua ſurdum alloquentes nos utimur, nutus nempe adhibendo pro vocibus: non quia illi majorem his ſignificandi vim habeant; ſed quòd accommodatiores ſunt intellectui illius, qui cùm loquimur. Nec minùs appoſitè explicari poſſet parentis exemplo, qui ſermonem cum filio adhuc parvulo habens, quò ipſi blandiatur, ultro interdum balbutire, & verba dimidiare ritu illius ſolet. *Sicut nos cum pueris parvulis agentes, accommodamus verba, quantùm poſſumus, ad eorum ſenſus, & pueros puerili-ter erudimus, ùt putamus ipſis conveniens; ità videtur divina ſapientia contexuiſſe ſcripturas ad auditorum modulum, id ſibi decorum exiſtimans, quod ipſis ſit utile.* (*Orig. L. 4. c. Celſ.*)

7. Reliquum ſolummodo eſt, ut, quam divinis, humaníſque argumentis ſtabilivimus veritatem, à circumfuſis inanium quarumdam difficultatum nebulis expurgemus: quæ, niſi disjicerentur, facilé eam poſſent apud imperitiores, ſi minùs creditu ambiguam, at certè intellectu obſcuram efficere. Et primò materiam his præbent externa DEI opera, ceu mundi procreatio, aliáque omnia certo tempore ab eo perpetrata, poſt æternam in ſe ipſo quie-

quietem : quæ propterea nonnullam in eo mutationem videntur arguere illi ſimilem, quæ in nobis contingit, quoties à quiete ad agendum, unáque ab operatione ad aliam tranſimus. Accedunt huc denominationes rerum omnium Conditoris, & Moderatoris, quibus ex eo tempore DEUS verè inſignitur, nec perinde antea inſigniri poterat: indicium & ipſæ alicujus varietatis in quolibet, cui noviter convenire incipiant. Accedunt præterea tot liberi voluntatis actus, qui ab eo aſſiduè concipi ſolent, dum hominum delicta vel condonat, vel ulciſcitur, omniáque illa, quæ in mundo eveniunt, decernit: præſertim quòd iſtiuſmodi actuum nonnulli ſecum invicem pugnant, utì quibus Moſaicæ legis ritus primò inſtituti, & ſublati dein ſunt: utpote ſententia ſubeundi à Ninivitis poſt dies quadragenos excidii, & ejuſdem mox ſententiæ abrogatio. Accedit poſtremò, quòd, cùm DEUS naturâ indifferens ſit ad volenda, vel nolenda, quæ libere vult; poſtquam aliquid, putà creationem mundi, libere voluit, haud ultra, ad id volendum, nolendúmve indifferens permaneat, ſed à priſtino naturalis indifferentiæ ſuæ ſtatu ad ſtatum neceſſitatis, circa voluntatem eam tranſiit: qui tranſitus non ap-

paret, quonam pacto, citra aliquam ipsius mutationem fieri potuerit.

8. Hæc itaque præcipua quatuor sunt capita difficultatum, quæ in præsenti materia obversari, & negotium facessere indoctioribus solent. Quibus ego, ut planior ad intelligendum earum solutio accidat, totidem ex adverso certissimas veritates objicio. Prima esto actus voluntatis, quibus DEUS aliquid fieri decrevit, non tunc primùm ab eo conceptos esse, cùm illarum objectum cœpit existere: sed per omnem æternitatem in DEO semper fuisse; cùm nihil ille possit unquam velle, quin id semper voluerit: utpote qui, juxta indubitatissimam D. Thomæ doctrinam, non æternum minùs habet velle, quàm esse. (*L. 1. c. Gent. c. 83.*) *Sicut enim suum esse, ità & velle æternitate mensuratur.* Secunda veritas sit, posse unumquemque duo invicem contraria eodem actu velle, & decernere: ità tamen ut diverso unum, diversóque aliud tempore facturus sit: vel unum agere, si hic rerum statûs fuerit; aliud verò, si alius, in animo habeat: ut exempli gratiâ, cùm quis apud se statuit annum hunc Romæ agere, sequenti verò aliò migrare: vel emere aliquid, si exiguo sit pretio venale, secùs autem, si magno. Quæ &

si-

similia animi decreta quando homines deinde exequuntur; nemo utique dixerit, à pristina eos sententia discedere: cùm, teste citato suprà Doctore Angelico. (1. *p. qu.* 19. *a.* 7.) *Aliud sit mutare voluntatem, & aliud velle aliquarum rerum mutationem:* possítque aliquis, ùt D, Augustinus loquitur, (*L. 1. Conf. c. 4.*) *Mutare opera, nec mutare consilium.* Tertia est, novas denominationes tunc solummodo arguere mutationem in eo, cui superveniunt, cùm ex forma aliqua intrinsecùs ei adjuncta ducuntur: qualis, exempli gratiâ, est calor, qui in aqua ab igne producitur, causámque præbet, nè illa jam frigida, ùt priùs, sed calida potiùs dicatur. Nam cæteroqui potest quispiam, nihil in se ipso mutatus, etiam sexcentas denominationes adipisci, quarum radix, & causa extra ipsum penitùs sit. quemadmodum sol nihil in se ipso mutatur, quòd ego ex umbra in illius jubar prodierim, licèt per hoc novam, me illuminantis, denominationem acquirat. Quarta veritas est, modum, quo DEUS operatur, à nostro operandi modo multùm omnino differre. Nos siquidem primò aliquid faciendum decernimus, mox illius effectionem aggredimur, in eáque non sinè aliquo, quà animi, quà corporis motu,

& conatu versamur. At DEI operatio, ut S. Thomas docet, nihil aliud omnino est, quàm ejus voluntas, ut aliquid hoc, vel illo tempore existat, (*L. 2. c. Gent. c. 31.*) *Ejus velle, est ejus agere.* Quam voluntatem ubi ille in sua æternitate conceperit, jam nullo indiget, ad eam exequendam, molimine: sed, simul atque præfinitum tempus adfuit, necesse prorsus est, rem ab eo volitam occultissima nobis ratione in lucem prodire. Idque ipsum à Joanne etiam Chrysostomo testatum habemus his verbis: (*In Ps. 134.*) *Non negotio ullo, nec labore, non jussu, sed voluntate fecit. Solùm enim voluit, & opus statim consecutum est.* Nostra itaque agendi ratio conjunctum necessariò habet novitatis, mutationisque aliquid, tum in rebus, quas efficimus, tum in nobismet ipsis. At verò in operatione supremi illius Effectoris, quæ ex parte ipsius nihil est aliud, quàm æterna ejusdem voluntas, universa mutatio non nisi ad effectus pertinet: ipso interim nihil novi, & diversi admittente, sed intrà se prorsus imoto, & unius semper rationis, atque habitûs: qualis à Boëtio repræsentatur iis versibus, (*L. 3. de Cons. Metr. 9.*) *Tu tempus ab ævo ire jubes, stabilisque manens, das cuncta moveri*: & qualem multo antea Hebræus adumbra-

braverat sapiens de æterna Theosophia, sic scribens: *Cùm sit una, omnia potest, &, in se permanens, omnia innovat.* (*Sap.* 7.)

9. Jam verò his rei stabiliendæ, quasi fundamentis præjactis, nemini non perspicua apparet primæ objectionis solutio: quonam scilicet pacto per rerum effectionem nihil DEUS immutetur, sed idem prorsus, quando operatur, & priùs quàm operaretur, sit: cùm ejus operatio nihil intrinsecùs ipsi inhærens, præter ipsius voluntatem, significet: secundùm quam, utpote quæ semper in ipso fuit, palàm est, eum, quidquid agat extrinsecùs, immutari neutiquam posse. Apparet præterea, neque nomina, rerum omnium Opificis, & Gubernatoris, quæ post mundi procreationem ipsi accessêre, quidquam varietatis in eo exinde consecutum innuere: cùm ejusmodi denominationes, quatenus aliquid ab æterna ipsius voluntate, & potentia diversum significant, extrinsecæ prorsus ei sint, & *nullatenus*, ùt D. Anselmus inquit, *Summæ incommutabilitati repugnent.* (*Monol. c.* 24.) Videre item est, quomodo eorum etiam ratione, quæ vult, nihil in se mutationis recipiat. Nam neque quidquam vult, quin id semper voluerit, neque plures actus concipit, quorum

rum uno aliquid fieri, & alio infectum esse jubeat: sed unico, eóque coævo sibi actu omnia esse, aut non esse, pro diversa rerum, ac temporum conditione decernit. Hinc, quos in veteri olim Lege præscripserat, ritus, sub promulgationem Euangelii, revocans, supplicióumque Ninivitis resipiscentibus, quod comminatus iis fuerat, condonans, nihil voluit, quàm voluerit priùs. Siquidem priùs etiam, imò & per totam æternitatem uno eodémque actu voluerat, Mosaicæ legis cæremonias usque adEuangelii prædicationem observari, & deinde aboleri: ceu pariter eodem illo actu, quo semper voluerat, Ninivitas, nisi certum intrà tempus resipiscerent, puniri; semper simul voluerat, meliorem ad frugem revertentes veniâ donari. Quam in rem egregiè D. Gregorius (*L. 16. Mor. c. 7.*) *Cùm exteriùs mutari videtur sententia, interiùs consilium non mutatur. Quia de unaquaque re immutabiliter intus constituitur, quidquid foris mutabiliter agitur.* Nec Seneca non dignus audiri, qui perpetem hanc divinæ voluntatis æquabilitatem, & constantiam solo humanæ rationis lumine agnitam pluribus locis luculenter testatur, jam dicens: (*L. de Benef. c. 23.*) *Nunquam primi consilii Deos pœnitet. Sua illis in legem*

gem eterna voluntas est, statuerunt, quæ non mutarent; jam eam colligens ex insita DEO nil, nisi rectissimum, volendi necessitate; (*Præf. L. 1. qu. Nat.*) *Necesse est ei eadem placere, cui nisi optima placere non possunt*: Jam novam ejusdem confirmationem eliciens ex futuri totius serie divinis obtutibus nunquam non præsente, (*L. 2. Nat. qu. c. 36.*) *Sapientis viri sententiam negatis posse mutari. Quantò magis* DEI? *cùm sapiens, quid sit optimum, in præsentia sciat; illius Divinitati omne præsens sit.* Denique ex iisdem principiis pronum cuique est intelligere, quinam, volens DEUS, quod poterat nunquam velle, putà creationem mundi, ex alio in alium statum non transierit, ex statu videlicet potentis mundum velle, vel nolle, ad statum re ipsa mundum volentis; planum, inquam, id remanet, & cuivis ad intelligendum facilè. Nam, ut fieri ille transitus posset, necesse fuisset, duo saltèm designari temporis puncta, in quorum altero verum dictu esset; DEUS nunc potest mundum non velle, in altero autem, DEUS nunc mundum vult, nec proindè illum potest non velle. At enim, cùm quilibet divinæ voluntatis actus æterni sint, utì ipsemet DEUS, manifestum est, nullum posse in tota æternitate concipi temporis punctum, in quo

quo verum dictu esset, DEUS nunc non vult, potéstque ideo non velle, quidquam eorum, quæ aliquando voluit. Quamobrem concludamus, necesse est, in illo æternitatis puncto cum, circa res à se aliquando volitas, indifferentem fuisse, sed æternæ, liberæque electionis suæ vi semper determinatum, ad unamquamque earum volendam: nec proinde à statu indifferentiæ, circa suos actus liberos, ad statum determinationis circa eosdem potuisse unquam transire: cùm omnino impossibile sit, ut quispiam à termino, in quo nunquam fuerit, ad terminum transeat, in quo semper fuit. Audiatur Doctor Angelicus, tum in prima parte suæ summæ, ubi distinguit: (*Qu.* 19. *a.* 7. *ad* 4.) *Licèt* DEUM *velle aliquid, non sit necessarium absolutè; est tamen necessarium absolutè ex suppositione propter immutabilitatem voluntatis divinæ*: tum contra Gentes, ubi ait, (*c.* 82.) *Non sic absque necessitate alterum oppositorum præaccipere, quasi consideretur in potentia ad utrumque, ut primò sit volens potentiâ utrumque, & postmodum volens actu, sed semper esse volentem actu quidquid vult*: idque ipsum paulò infrà hujusmodi argumentatione concludit. *Quidquid* DEUS *potuit, potest. Sed non potest nunc non velle, quod proponitur voluisse. Ergo*

go nunquam potuit non velle, quidquid voluit, Igitur est necessarium ex suppositione, eum voluisse, quidquid voluit, sicut & velle. (*c. 83.*)

10. En itaque, quid dicamus de DEO, dum omnimodam ei immutabilitatem attribuimus. Dicimus cum S. Augustino, (*In Ps.* 121.) *Eum esse id ipsum, nempe id, quod semper eodem modo est, quod non modò aliud, & modò aliud est*, sed purè, ac perpetuò *est, quod est.* Dicimus cum Areopagita, (*De Div. Nom.*) *Esse ens idem substantialiter, æternum in se ipso manens, semper secundùm eadem, & eodem se habens modo, casui minimè obnoxium, invariabile, simplicissimum, nullius egens, quod augeri, minuique non possit* Dicimus cum Trismegisto, (*Pim.* 11. *Ascl.* 11. *Pim.* 6.) illius essentiam esse *Ipsum idem*! ac proinde *ipsum stabilitatem suam esse*: utpote qui *nec cujusquam indiget, nec jactura ullius rei in eum unquam cadit.* Dicimus in summa, quemadmodum ille necessariò in se habet, quidquid felicitatis, opulentiæ, perfectionis, gaudiique haberi potest, neque id, quasi aliquid essentiæ suæ superadditum, sed veluti unum atque idem cum ipsa; sic impossibile omnino esse, ut, ratione ullius rei, extra ipsum evenientis, quidquam aliquando de summa illius bonorum aut decedat, aut

auctario quopiam illa cumuletur. Quocirca neque hanc rerum universitatem creans, ulla ex parte locupletior est factus; neque eadem in nihilum redeunte jacturæ aliquid faceret: neque seu obsequia, quæ à suis famulis excipit, ullum possunt addere illius felicitati momentum; seu protervi ac perduelles impiorum ausus ejusdem minuendæ vim ullam habent. Neque, si quantum est hominum, cælestésque spiritus universi. & ipsamet Augustissima DEI Genitrix perpetuis addicendi pro suo merito essent inferorum supplicis, ullo propterea afficeretur mœroris sensu, minúsve integra, & pura æterni illius gaudii immensitas foret: juxta verissimum illud effatum; (*Job. c. 39.*) *Si peccaveris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò, si justè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Cùm ejus Divinitas longè altiùs supergrediatur quosvis creatæ universitatis casus, multóque minùs perturbari eorum vicissitudine queat; quàm cælum empyreum tempestatum motus nesciat, qui imam aëris regionem permiscent. Idque adeò perspicuum est, ut nec ab Homero ignoratum fuerit: apud quem Jupiter, cùm minores Dii adversùs eum indignarentur,

ne-

neque vererentur, quasi minùs æquum, inter seſe audacibus dictis traducere; fingitur in regali, excelsissimáque sua sede tranquillissimus, & *gloriâ exultans*, (*Ilia.* L. II.) inania eorum murmura, non secùs ac ranunculorum coaxationes prorsus negligere. Si itaque DEUS nos è nihilo eduxit, neque contentus, inferioris hujus mundi dominos constituere; in suorum filiorum sortem, & cæleſtis sui regni hæreditatem vocavit, nullásque artes omisit, etiam carnem noſtram induens, & mortem in ea acerbissimam subiens, quò sempiternæ animarum noſtrarum saluti consuleret; nihil horum existimari potest, emolumenti sui gratiâ feciſſe: perinde quasi vel salvis hominibus beatior futurus esset, vel perditis tristior: sed omnia id genus amoris miracula ex puro, puto edidit bonitatis suæ instinctu, gestientis foras erumpere, séque aliis impertiri, sinè ulla tamen anxietatis, aut perturbationis mistura, quæ vitia quàm humano amori familiaria esse solent, tam penitùs à puriſſimo amore illius absunt. Idque meliùs etiam licebit agnoscere, si reputemus, posse illum, quandocunque velit, innumeros, præter hunc, mundos procreare, Angelis, & hominibus perfectiſſimè se aman-

amantibus plenos; nec tamen majoris jacturæ loco ducere, quòd tanto fidelissimorum sibi famulorum numero careat, quàm quòd musca una, ultra jam existentes possibilis, in ditione sua desit. Usque adeò, quidquid extra ipsum est, nihil adjicere, vel detrahere infinitæ illius beatitudini potest. *Dixi Domino, DEUS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* (*Ps.* 15.)

11. Progrediamur jam ad justissimos quosdam, utilissimósque animi sensus, qui ex hac DEI prærogativa elici possunt. Elicitur primò profundissima animi submissio, qua versari coram ipso debemus: reputantes immensum pretii discrimen, quod inter illius, nostrúmque esse intercedit: illud semper pleníssimum, nec accessionis ullius capax; hoc tam exiguum, atque inops, ut eximii lucri loco habeat imperfectionem crescendi: illud per totam æternitatem usque adeò sibi constans, & suorum decorum retinens, ut nulla sæculorum conversio nè minimam atomum ex infinita illius perfectionis summa abradere potuerit; hoc in assiduo vicissitudinum æstu, intérque continua jam hujus, jam illius ex pauciſſimis suis bonis detrimenta: illud denique adeò perpetuum, ut unica sit tam sui ipsius,

us, quàm cæterorum omnium, quæ durare cernuntur, ſtabilitas; hoc tam fluxum & labile, ut nè ad temporis quidem punctum valeat per ſe ipſum ſubſiſtere.

12. Elicitur præterea, neminem noſtrûm placere ſibi poſſe, tanquam ſi emolumenti aliquid ſupremo illi Domino afferat, quando ei fideliter ſervit, ex toto corde illum diligit, & aſperrima quæque illius gratiâ libens perpetitur. Totum id quidem incomparabilibus illius meritis jure omni debetur: ſed totum id pariter extra ipſum remanet, totum ipſi ſupervacuum, & inutile eſt, nec ullam vim, eum afficiendi intrinſecùs, reddendive beatiorem habet, quàm ſi externa hujuſmodi obſequia ipſi, vel nullo modo, vel penitùs neſcienti præſtarentur. Quare poſt quæcunque illius juſſa ad unguem impleta, & omne, quod à noſtra imbecillitate proficiſci poteſt, ipſi perſolutum vectigal, illam addere ultro debemus Euangelicam clauſulam, (*Luc.* 17.) *Servi inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus*: ſatìs habentes, tanto Domino pro virili noſtra parte inſervire, quamvìs probè noverimus, nihil indè ſolidi fructûs poſſe ad eum pervenire: ſincerámque imitantes ſancti Regis Davidis humilitatem, qui: cùm in Hiero-

ſolymitani templi ſumptus immenſam auri, argentíque vim comparâſſet, nempe (*L. 1. Paral. c. 22.*) *Auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum:* illum tamen apparatum tam divitem, quia divino erat cultui impendendus, paupertatem appellavit, dicens: *Ecce ego in paupertate mea præparavi impenſas domûs Domini.* Et veriſſimè quidem: nam neque pauperius offerri munus poteſt, quàm quod nihil boni illud recipienti addit, utì DEO nihil addunt boni, quæcunque à nobis ipſi munera, & tributa offeruntur. *Noli credere*, ſcribit Petrus Cellenſis, *pauperiorem futurum DEUM, ſi abſceſſeris, neque ditiorem, ſi acceſſeris. Tibi prodeſt acceſſus, tibi obeſt receſſus. Suum recipit, ſi te, vel à te aliquid accipit. Suum nihilominus non amittit, ſed aliter diſponit, ſi te ſubtraxeris.* (*De Pan. c.* 6.)

13. Elicitur tertiò, nemini quoque cauſam ſuppetere, nimiæ ob præſentem cum Deo amicitiam ſecuritatis, & confidentiæ aſſumendæ: perinde quaſi cæleſtis Dominus, nè illa ægritudine afficiatur, quam percipere homines ex jactura veteris amici, aut famuli ſolent; laturus ſit, ſuas ab eo impunè leges violari, neque capitali eum ſupplicio affecturus, quandocunque à debita ſua reverentia, & fi-

de-

delitate desciverit. Somnia hæc sunt,& phantasiæ, sese ultro fallentium; si DEUS paterna te benignitate complectitur, si amici charissimi locò habet, si ad intimam secum familiaritatem admittit, si, tuam asserturus salutem, è cælo desilire, homo fieri, vitámque per dirissimos cruciatus profundere haud renuit, si demum (quò neminem amatorum mortalium progressum esse unquam legimus) suum quoque corpus tibi præbet ad vescendum; cave suspiceris, quidquam horum ab ipso propterea factum esse, vel fieri, quòd amicitiâ tuâ indigeat, vel eximia tuæ dignitatis æstimatione occupatam habeat mentem, vel impotenti quodam tui amore sit captus: sed certissimè tibi persuadeas, omnia esse gratuitos, & prorsus liberos divinæ suæ bonitatis effectus: quibus si tu abutâre, famulum te esse oblitus, & obtemperare illius legibus renuas; nihil moræ futurum, quin ille pariter ex amicorum suorum albo te expungat, tanquam perduellem aversetur, ac nisi maturè commissorum pœnitentiam egeris, à suo consortio, atque regno æternùm proscribat. Nimis perperam accipis eas ipsius benignissimas voces. (*Prov.* 8.) *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Si indè fors arguis, aliquid ipsum ex

mutua tecum necessitudine oblectamenti percipere, quo hac dirempta carendum ei sit, adeò ut, nè illo careat, ægrè hanc sit dirempturus. (*Jer. 22.*) *Vivo ego, dicit Dominus, si fuerit Jechonias annulus in manu dextera mea, indè evellam eum.* Perduelles Angelos respice, longè illos quidem nobis mortalibus, seu natura, seu egregiæ eorum dotes spectentur, excellentiores DEI amicos, & famulos. Num ergo decessurum sibi aliquid splendoris ille credidit, si tam multos, & præclaros aulæ suæ proceres in æternum indè exilium amandaret: vel num pristinâ tam peculiari erga eos benevolentiâ est retentus, nè meritis sontes pœnis mactaret? Imò, nullâ prorsus seu innumeræ eorum multitudinis, seu eximiæ nobilitatis ratione habitâ, eodem momento, quo debitum sibi obsequium obliti sunt, præteritam ipse quoque cum iis amicitiam oblivioni tradidit, éque cælesti sua regia *rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos.* (*2. Petr. c. 2.*) Et post hæc exempla adhuc quisquam erit, qui sibi blandiatur, dicens: Nimio DEUS in pretio nos habet: nimio nostri amore tenetur, nimis anxiè nostram incolumitatem deperit. Quod pretium, quam vim, quam anxietatem cõminiscimur? Caveamus, mi-

minori, quàm ſervos deceat, reverentiâ cum tanto Domino agere: alioquin cum noſtro, & graviſſimo ſanè diſpendio diſcemus, quidquámne plus utilitatis ex noſtra ille ſalute, quàm ex noſtro interitu capiat: & num ſignificationes amoris, quas nobis exhibuit adeò multas, & miras, effectus præclaræ æſtimationis ſint, quam de nativo noſtro luto conceptam mente habeat; an meræ potiùs bonitatis ſuæ, effuſiſſimæ illius quidem, ſed nemini obnoxiæ, nec à recti unquam norma aberantis prodigia.

14. Elicitur quartò, argumentum perquam evidens infinitæ DEI dignitatis: dum vel umbra ejus boni, qualis eſt illa exterior, ipſíque omnino inutilis gloria, quam ſolam accipere à ſuis famulis poteſt, quantovis ſumptu à nobis emi, ſummíſque omnibus noſtræ rei, famæ, atque vitæ rationibus meretur præferri: non ſecùs ùt umbra ejus mali, quævis ſcilicet debitæ ipſi reverentiæ negatio, eſto intrinſecè nihil lædat, cautiùs vitanda, & graviùs pertimeſcenda eſt, quàm extremum quodvis noſtrum malum, & omnimoda creatæ totius univerſitatis everſio. Cúmque amor erga homines ultimas attigigiſſe cenſeatur metas, ubi ad mortem ſubeundam pro eximio

aliquo adamati capitis bono impellit; amor erga illum tantò ulteriùs progredi debet, ut parati ſimus etiam ſexcentis mortibus caput offerre, quò, non dicam, ipſius Eſſe ſalvum perſeveret, aut lætitia, & felicitas, quidpiam incrementi capiat; ſed quò debitus tantummodo ipſi honor in terris præſtetur: munuſculum divinæ illius opulentiæ, ac beatitudini uſque adeò nullius momenti, ut neque exhibitum majorem eam poſſit facere, neque denegatum minorem.

15. Elicitur quintò, duorum inter ſe cæteroqui pugnantium errorum confutatio. Epicureorum prior eſt, qui, ut ſecuriùs habenas cupiditatibus ſuis ſolvere poſſent, docuerunt, immortalem DEI naturam, utì quidquid ad pleniſſimam beatitatem requirit, intrà ſeſe habet, *Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri*; (*Lucr.* L. 1.) ſic, *nec bene pro meritis capitur, neque tangitur irâ*: Alienum à ſe prorſus ducere, colatúrne, an negligatur ab hominibus, & num hi rectè, an perperam vivant. Alter piis quibuſdam, ſed ſimplicibus, indoctíſque perſonis ſolet illudere, quæ audientes à ſacris Oratoribus exaggerari, quàm ſolicitè nos DEUS adhortetur, imò & obſecret, ut debito ſe amore, atque cultu proſequa-

quamur, æternæque ſtudeamus ſaluti, nec non quantum indignationis, doloríſque præſeferat, propter noſtram, in juſtiſſimis hiſce votis ſuis fruſtrandis, pervicaciam, prædictas iracundiæ, anxietatis, triſtitiæque affectiones revera in eo locum habere ſibi perſuadent. Sed nimiùm quantum utrique hallucinantur. Halluciantur ſanè primi: quamvis enim DEUS nihil utilitatis ex noſtro cultu, atque amore percipiat; debet tamen aliis de cauſis exigere, ut hæc illi vectigalia pendamus: tum quòd ea penſitare æquitati & rationi maximè congruit, nec prima morum, honeſtatíſque totius regula, qualis divina eſt voluntas, poteſt vel recta non probare, vel prava non redarguere; tum quòd in DEO rite colendo, amandóque tota hominis perfectio, & beatitudo conſiſtit; nec infinitam ſupremi Conditoris bonitatem, & providentiam decet, tribuiſſe nobis, ut ſimus, & nullam porrò curam ſuſcipere, ut probi ac felices ſimus. Hallucinantur item poſteriores: Mœror ſiquidē, iracundia, & anxietas proprietates ſunt amoris, imbecilli, optatóque fine, ac fructu carentis, qualis eſt amor humanus: proinde nullo modo convenire poſſunt amori divino, cui nihil in ſe ipſo deſit boni, cunctáque in promptu

habet, ut assequatur ea, quæ extra se vult bona. Alioquin, si DEUS quoque similibus perturbationibus obnoxius naturâ foret; quandonam ei vacaret, non dico beatum agere, sed vel respirare, & quiescere? Quisve mortalium paribus, atque ille intemperiis, & molestiis animi conflictatus unquam fuisset? utpote qui nullo non tempore tot patrari flagitia, tot se injuriis lacessi, tot dilectas sibi animas æternùm perire videt; si nullum sincerè gaudendi tempus reperiret: sed vitam omnem in perpetuis angoribus, amarissimóque indignationis, & ægritudinis felle traduceret. Amat ille nos igitur, & quidem impensiùs, quàm ullus suam sobolem pater: nullisque non artibus ad æternæ salutis studium nos excitat, nulla nobis non suggerit illius consequendæ media; sed, quantacunque hujus amoris vehementia, & vis sit, nihil prorsus anxietatis admistum habet, neque ullo sensu mœroris eum afficit, ubi quis nostrûm, ceu sæpissimè accidit, paternas illius curas pertinaci suæ salutis neglectu frustratur. Morum quoque integritatem, & scelerum fugam, pro suo Domini, & Rectoris supremi munere, ab humano genere exigit, uti à subjectis sibi populis providentissimus quisque Princeps: Quare & justis-

ſtiſſimas officii leges tulit, & perpeti curâ excubat in earum cuſtodiam, dignis tum præmiis, qui eas rite obſervent, tum ſuppliciis, qui violare audeant remunerans: ſed tanta id etiam cum tranquillitate, ut neque ex nefariis peccantium auſis quidquam ægritudinis capiat, neque illa puniens ullo æſtu iracundiæ agitetur: æquè plenè beatus, inter dæmonum adversùs ſe odia, & maledicta, ac inter cæleſtium ſpirituum amores, & laudes: nihilóque minori quiete, & lætitia fruens, dum ſibi perduelles horrendo illo carmine: *Ite maledicti*, ad inferos detrudit; quàm ubi feſtiviſſimo illo: *Venite benedicti*, fideles ſuos famulos in cæleſtis regni poſſeſſionem accerſit: ceu qui ſuam omnem lætitiam, & felicitatem non nisì ex ſe ducit: ut proinde, ad eam quomodolibet variandam, nullius omnino ponderis ſit, quidquid extra ipſum vel à creatis rebus, vel circa illas fit. Effectus itaque illius voluntatis aliquam, ùt ait D. Gregorius, ſimilitudinem habent cum noſtra operandi ratione, dum ſolicitudine, iracundiâ, vel mœrore commoti operamur. Sed hi, qualeſcunque demum ſint, extra ipſum penitùs ſunt, nec revera aliud, quàm mera quædam prædictarum affectionum ſimulacra appellari poſſunt: quemad-

modum non veræ, ac ſpirantes belluæ, ſed belluarum tantùm ſimulacra, leones ii erant, qui Salomonis ſolio ornatum, & ſplendorem addebant. Cæterùm, qui intrà ipſammet naturæ illius adyta penetrare oculis poſſet, videret eum ſanè in quacunque externorum ſuorum operum varietate ejuſdem ſemper tenoris, (*S. Greg. L. 20. Mor. c. 25.*) *Sinè zelo zelantem, ſinè ira iraſcentem, ſinè dolore, & pœnitentia pœnitentem, ſinè miſero corde miſericordem:* Talem demum, qualis (*Sap.* 12.) deſcribitur: *Tu autem, Dominator virtutis, cum tranquillitate judicas.*

16. Nollem tamen, ut veritatem hìc aſſertam, quæ cæteroqui animis noſtris in juſta humilitate ſtabiliendis utiliſſima eſt, pravo aliquis intellectu ſuammet in perniciem converteret, ſive frigidè à DEO nos amari, indè inferens, ſive in divino ipſe amore frigeſcens. Abuteretur eâ ad priorem effectum, qui audiens ſupremum illum Dominum nihil poſſe ægritudinis ex quocunque graviſſimo ſuo malo percipere, perturbatus, dejectúſque animo ſecum concluderet; ſi ergo res ità ſe habet, neceſſe profectò eſt, DEUM nullo mearum quarumvis rationum ſenſu affici, ac proinde vel nullo, vel tenuiſſimo amore me proſe-

sequi. Heu! præsumpta temere opinio me hactenus fefellit. Existimabam, quod sexcenta sacrarum Literarum loca contestari videbantur, nihil esse divino erga nos amore flagrantiùs, nihil maternum, & tenerum magìs. Jam animadverto, quæ in hanc sententiam legi, atque audivi, non nisì tropos esse, & voces, quæ aliud sonent, aliud significent. Nam quo tandem pacto maternæ pietatis, ac teneritudinis viscera erga me habere dicendus est, qui eundem animi omnino securi tenorem retinebit, sive ego sempiternæ beatitudinis compos evadam, sive in sempiternum exitium ruam? Imò, si quid noxæ capitalis ex humana imbecillitate contraxero, nullo amoris sensu inhibebitur, quin talem in judicio repertum, perinde tranquillus, & hilaris, ac si omnino alienus, ignotúsque ipsi forem, à beatitudine sempiterna abigat, & in exitium præcipitem mittat? Nec secùs eadem veritate ad posteriorem effectum abuteretur, qui, cùm hìc legerit, quàm nihil DEO addant, nulliúsque ad ipsius felicitatem momenti sint nostri omnes eum colendi, atque amandi conatus; ansam indè sumeret, minoris in eo amando alacritatis & studii, dicens intrà se: me miserum! Itáne, quamvìs totus absumar in DEO meo

meo amando, ínque ſatagendo, ut ei in omnibus placeam, ut illius gloriam quàm latiſſimè extendam, ut nihil præter eum diligam, cogitem, velim; nihil horum vel minimam ſuperaddere atomum illius gaudio, & beatitudini poterit: omnia extra ipſum ſubſiſtent, omnia nihil, præter meram, & inutilem boni umbram illi erunt? At, ſi verum id eſt, quid tandem ſupereſt cauſæ, cur ſolicitè adeò laborem ea illi obſequia præſtare, quibus exhibitis nihilo ille ditior, lætior, aut felicior futurus eſt, quàm negatis? Aut cur ſinè ullo meæ utilitatis reſpectu, ſed ex gratuita ſolummodo, & puriſſima charitate ei Domino ſerviam, qui operâ meâ minimè indiget: & cui, infinitè per ſe ipſum beato, nihil ulterioris boni, atque fructûs ullis meis miniſteriis, & laboribus ſuperaddere poſſum?

17. Satìs opinor, vides pie Lector, quàm uterque hic ſenſus perfectæ charitati, intimæque cum DEO conjunctioni adverſetur. Patere igitur, me hìc aliquantiſper ſubſiſtere, dum inanem, quam præſeferunt, quaque poſſent imperitioribus fucum facere rationis larvam iis detraham. Quid ergo? nònne ut à primo ordiar, ſinè ullo ſolidæ rationis fundamento, imò contra omnem rationem ne-

ga-

gatur DEI erga nos amorem validum, ardentémque esse posse, quia turbulentus non sit, nullâque inficiatur anxietate, & tristitia. O consequens absurdum, & præposterum non minùs, quàm si quis argueret, non posse ignem sua in regione adeo esse actuosum & lucidum, ùt est in terra, quia nequaquam ibi sit, uti apud nos est, impurus, inquietus, & fumans. Et quibusnam in Philosophorum scholis auditum unquam est, ad amoris magnitudinem, solicitudinum, angorúmque turbas necessariò requiri: adeò ut, nisi imperfectus, vitiisque similibus permistus sit, esse vehemens, atque efficax nequeat? Certè, si geminam illam humanæ, divinæque sapientiæ cortinam, Aristotelem scilicet, ac Thomam Aquinatem, quid amor sit, consulamus; respondebunt uno ore, nihil esse aliud, quàm *Velle bonum alicui.* (*Arist. L. 2. Rhet. c. 4. S. Th. 1. p. qu. 20. a. 2.*) Ità profectò se res habet. Amor, & benevolentia duo sunt, sed unius ambo ejusdémque significationis vocabula. Illos amamus, quibus boni aliquid efficaciter volumus: illósque amamus magis, quibus plus boni, & majori cum efficacitate volumus, neque, ùt rite observat D. Gregorius, justa amoris æstimatio ex sensibili affectus ardore, ac teneritu-

tudine ducenda est, sed ex boni voliti, ac præstiti modo. (*Hom. 30. in Eu.*) *Probatio dilectionis exhibitio est operis.* Quæ cùm certissima sint, dubitari à nemine potest, quia, uti DEUS plura, & majora nostri boni studio effecit; quàm impotentissimus, ac perditissimus quisque amator in personæ sibi dilectæ gratiam; sic illius erga nos amor, quamvis tranquillissimus, suíque potens, & summa ratione temperatus. non modò ingens & præstans dicendus sit, sed cuivis etiam alteri secundùm veram magnitudinem debeat præferri. Quemnam igitur locum hic habet vanissima illa conclusio, nullam ipsi esse nostræ curam salutis? si pro cura nihil aliud accipitur, quàm inquietudo, & anxietas; fateor, nullam talem à DEO geri nostræ curam salutis, utpote curam, quæ illius amorem nihilo efficaciorem, nobísque magis utilem redderet, sed imperfectum solummodo, ac propterea ipsô indignum. Sin verò nomine curæ intelligatur sedula, & efficax boni voluntas, quonam pacto citra manifestum, & palmare mendacium, hæc negari in DEO potest circa nostram salutem, cùm indubitatissimum sit, repertas ab eo esse, ad incolumes nos servandos, artes tam miras, & adhibita media adeò nova, inaudita, omnémque nostram

ſtram ſpem excedentia, ut progredi ulteriùs nequiverit, ac ſi nobis maximè egeret, vehementiſſimáque cum ſolicitudine noſtram incolumitatem, quaſi eximium aliquod ſuum bonum expeteret: ex eo, quòd nullos ille ad ſuos uſus tui egeat, nec ulla in te amando perturbatione afficiatur, parum ardenter ab eo te amari arguis? Imò indè arguere potiùs debes, quàm incomparabilis illius dilectionis erga te ardor ſit: utpote qui eum impulit, ut ſinè ullo emolumenti alicujus ſibi acquirendi, aut ſaltèm interioris anxietatis ſuæ leniendæ reſpectu, ea, tuæ unius utilitati ſerviturus, faceret, quæ à nullo, quamvis maximè egeno, & ſolicito tui amatore expectare unquam potuiſſes. Libétne ſcire, quandonam beatiſſima, & varietatis omnis neſcia ejus natura, idoneam tibi cauſam præberet opinandi, nullam ipſi eſſe tui curam? ſi nihil unquam de ſingulari ab eo exhibita erga genus humanum benignitate accepiſſes, tunc jure poſſes apud temet ipſum ſtatuere, fieri minimè poſſe, ut tam infinitæ magnitudinis Dominus, plenéque per ſe ipſum beatus vel mediocrem tuarum utilitatũ curam gerat, nimiæque, & vix ſperandæ benignitatis fore, ſi vel obiter vilitatis tuæ recordetur. Nunc verò, cùm certiſſima fi-

de

de teneas, tantam illius erga te charitatem fuisse, ut amicitiæ fœdus tecum inire, téque in filium adoptare, & cæleſtis ſui regni hæredem inſtituere dignatus ſit; útque beatiſſimæ illius hæreditatis poſſeſſionem conſequi poſſes, non dubitaverit è cælo in terras delabi, humanam carnem ſuſcipere, acerbiſſimámque in ea mortem oppetere: cùm hæc, inquam, tam eximia, adeóque omnem modum tranſgreſſa infinitæ illius charitatis prodigia dudum tibi compertiſſima ſint; tantum abeſt, ut audiens nulli eum indigentiæ, anxiæque in amando ſolicitudini eſſe obnoxium, quidquam cauſæ habeas, ut minorem illius charitatem cenſeas, & perturbatus, atque animi æger arguas: ſi talis naturâ ille eſt, fieri ſanè non poteſt, ut multùm me amet, ſed potiùs hilari ſtupore attonitus tecum concludas; ſi hæc ità ſe habeut, næ illius erga me amor, qui ex ſola effectuum magnitudine prodigioſiſſimus merebatur vocari, nova hac proprietate accedente, omnibus prodigiis admirabiliorem ſe prodit, nec alios tantùm quoſvis amores, ſed etiam ſe ipſum quodammodo videtur ſupergredi. Hoc igitur ſatis tibi, ſupérque eſſe poteſt, ut non modò contentus de charitate illius ſis, ſed nullum quoque eandem admirandi finem facias.

Sin

Sin verò, præter jam dicta, illud etiam à cæleſti illo amatore exigis, ut tui gratiâ univerſas ſupremi ſui regiminis leges aboleat, imò naturam quoque mutet, ac DEUS eſſe deſinat: nempe ut, non modò quamcunque tuorum gravitatem, & multitudinem criminum impunè tibi abire permittat; ſed, ubi tu inſuper ad extremum uſque ſpiritum in eodem reatu cum incredibili tuæ ſalutis, & illius majeſtatis neglectu permaneas; vel debitas tantæ pravitati pœnas irrogare prorſus omittat, vel, quia ad eas irrogandas ab æquitate, providentiáque ſua urgetur, ægro, mœrentíque animo ſit, vim ferre ſe doleat, ſibi diſpliceat, unóque verbo beatitudinis ſuæ jacturam faciat; ſi talia, inquam, ab eo poſtulas, tua hæc poſtulatio (quod nec ipſe inficiari potes) uſitatos omnes arrogantiæ, impudentiæque fines tranſgreditur: cùm velit divinum erga te amorem, non tantùm quovis alio ſuperiorem eſſe, qualis revera eſt; ſed præterea ſive turbulentum, & inquietum, qualem DEUS, etiamſi vellet, nequit concipere; ſive juri communi, & legibus univerſo promulgatis contrarium, qualem neque ab intimo tuorum familiarium, imò neque à tuomet Genitore juſtè poſſes expoſcere.

18. Quid porrò de altero dicam eorum sensu, qui ægrè ferunt, ab infinita, qua DEUS necessariò perfruitur, bonorum omnium plenitudine nullam sibi viam, & facultatem relinqui sui erga tam amabilem Dominum amoris explendi: cùm ea de causa, quibuscunque suis conatibus nihil ei valeant præstare, nisi quamdam prorsus extraneam, & solidi fructûs sterilem gloriam. Næ talis quoque ægritudo vanissima esset, & rationi omni, sed illi inprimis, quam præsefert, quaque niti videtur contraria. Adeò quippe falsum est, id nobis obstare, nè nostro erga DEUM amori valeamus satisfacere, ut in nulla alia rerum conditione, & hypothesi luculentiùs demonstrare hujus excellentiam possimus. Et nónne præclārius amoris sui exhibet specimen, qui vitam ultro impendit, nè amici honor etiam unius voculæ contumeliâ lædatur, quàm qui eandem prodigit, quò amplissimum ei regnum subjiciat, vel à gravi quopiam discrimine eum incolumem servet? Neutiquam, puto, id negaveris, sed ingenuè fateberis, multò magis eminere nostri erga DEUM amoris magnitudinem, dum omnem nostrarū virium conatum expromimus, nihílque detrectamus laboris, & periculi pro asserenda ipsi

ipsi externa illa gloria, qua minimè ipsius eget Divinitas, quàm si idem præstaremus pro conduplicanda novis accessionibus ipsius felicitate. Si ergo nullibi magis amor expletur, quàm ubi se argumentis certioribus probat, nec certius exhibere argumentum quis potest, quàm si ultima omnia etiam pro tenuissimo amici emolumento conetur; nihil dubii jam supereſt, quin, quantò nostri erga DEUM amoris explendi cupidiores sumus, tantò gaudere debeamus magis, quòd supremus ille Dominus nihil possit ex omni nostra operatione accipere, nisi extimum quoddam, debitum ei quidem & gratum, sed ad illius felicitatem augendam inutile obsequium. Idque adhuc validiùs confirmatur, quia noster alioquin erga DEUM amor nil tandem esset, nisi inanis quædam umbra, & simulacrum amoris: Cùm nequeat, qui verè & ex animo amat, non plurimùm voluptatis percipere, si dilectum viderit, nullius externæ opis indigum, suæ omnia felicitatis præsidia in uno se habere. Quapropter, si quis quæreretur, vetitum sibi esse insigne aliquod beneficium DEO præstare, suáque illum operâ beatiorem efficere; promptissimum factu mihi esset, ineptas ejusmodi querimonias compescere, sic hominem

alloquendo: Et cur tandem, ô bone! posse aliquid incrementi addere felicitati Conditoris tui velles? si respondes, voti illius causam esse, quòd impensè illum ames; næ palàm ostendis, te, quid velis, quídve dicas, ignorare. Si enim novi aliquid, & amplioris boni tuâ operâ DEUS consequi posset, nequaquam à se solo totam haberet perfectionis, & felicitatis suæ summam, neque illam necessaria æternáque possessione obtinuisset; sed novo illo, quod nunc à te acciperet, bono per totam retro æternitatem caruisset. Quo fit, ut amore illius novo quopiam boni fructu locupletare illum cupiens, perinde facias, ac si amore illius ejusmodi bonum hactenus ei defuisse, neque nunc, nisi alterius beneficio accedere optares. Et hoc potest verè amantis tibi votum videri? dummodo novum per te aliquem beatitudinis ille gradum acquirat, optare, ut eodem æternùm caruerit: optare, ut non suæ naturali præstantiæ, sed alienæ beneficentiæ illius debitor sit: optare, ut non quasi aliquid idem cum sua essentia, sed instar adventitii cujuspiam ornamenti illum habeat: optare uno verbo, nè ille, quidquid perfectionis excogitari potest, necessariò possideat, nec proinde revera DEUS sit? Ah non illum amare istud est,

est, sed tuæ veriùs dignitati studere: nec tam velle, ut omnibus ille bonis affluat, quàm ut aliquod è suis bonis tibi acceptum referat. Egregium enim verò amandi genus, ait Seneca, gaudere de amici indigentia, quò illius propulsandæ occasionem habeas: nempe (L. 6. de Benef. c. 25. 27. 29.) *Ad beneficium injuriâ venire, & per scelus officio locum quærere. Optas, ut ille ope indigeat? Hoc est contra ipsum. Optas, ut tua indigeat ope? Hoc pro te est. Hostes quoque optaverunt capere quasdam urbes, ut servarent: nec ideo non hostilia vota. Denique qualia esse judicas vota, quæ nemo volet tibi minùs, quàm is, pro quo fiunt, succedere? Quantò hoc honestius votum est? Opto, in eo statu sit, quo semper beneficia distribuat, nunquam desideret. Gratos illi & habere contingat, nec experiri necesse sit. Tam æquali in eum indulgentiâ fortuna perseveret, ut nemo in illum esse possit, nisi conscientiâ, gratus.* Qui DEUM amat, sinè ullo propriarum rationum respectu, sed sinceriſſima illa charitate, quæ secundùm Apostolum, (2. *ad Cor. c. 13.*) *Non est ambitiosa, nec quærit, quæ sua sunt*; tunc solùm ægre ferret, dilecto suo Domino se inutilem servum esse; quando & ille alicujus rei inopiâ laboraret, & sibi facultas eum adjuvandi deesset. Sed, cùm non alia de causa ipsi

inutilis sit, nisi quia ille in perpetuo est omnimodæ ac perfectissimæ beatitudinis statu, non modò nihil indè capere ægritudinis potest; verùm etiam summopere gaudet de sua, quidquam ei utilitatis & fructûs asserendi impotentia: utpote qui, non se aliquid posse, sed DEUM omnia esse, in votis habet. Si aliquid desiderare illi posset, nihil desideraret aliud, nisi tantam naturæ privilegio ipsi adesse bonorum omniũ affluentiam, ut nullus quidquam aliunde quærendi, & accipiendi locus restaret. Sed, quoniam tam eximiæ felicitatis, ac perfectionis statum ei nequit optare, utpote quo, per essentiam suam sibi debito, nunquam ille vel hactenus caruit, vel carere in posterum potest; quæcunque concipienda sibi occurrunt desideria, in unicum pleniſſimi actum gaudii convertit: gratulans secum ipse, quòd Dominum, Patrémque, & Amicum perfectè sibi sufficientem habeat: nec unquam desinens lætissimis ei vocibus ingeminare, (*Ps.* 15.) *DEUS meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.* Proh quantùm, mi Domine! gaudeo, infinitè adeò perfectum, ac beatum te esse; ut nedum quis ex nobis hominibus, aut Angelis, qui tui inutiles servuli sumus, sed neque tu ipse tota omnipotentiæ tuæ vi quidquam

quam ſuperaddere ad omnimodam bonorum tuorum plenitudinem poſſis? Hæc perfectio, opulentia, & felicitas, omni ex parte infinita, neceſſaria, immutabilis, nullius incrementi capax, nullum detrimentum metuens, ſemper æqualis, ſemper tota, ſemper eadem illud eſt præcellentiſſimum decus, quod te DEUM facit, quod ſummo omni inferiorum naturarum obſequio dignum reddit, quódque me cogit, ut, quidquid ſum, & poſſum, tibi ſupremo meo Domino, haud quidem juvando, ſed duntaxat colendo, & amando devoveam. Satìs, ſupérque eſt, quòd tu, tantus DEUS, digneris ab humili hoc, & nullius pretii vermiculo laudari, atque diligi. Satìs, ſupérque contentus & beatus ſum, quòd paupertina hæc, atque inutilia obſequii mei momonumenta neutiquam tibi ingrata eſſe noverim. Unum id merces pleniſſima, fructúſque optatiſſimus mihi eſt omnium, quæcunque in tui gratiam vel facere poſſim, vel pati. Ultra aliquid velle, inſtar ſacrilegii, germano, ac fideli tuo ſervo indigni, abominor. Mereris Domine, ut pro quovis non tuo quidem, ſed unius externæ tuæ gloriæ incremento, totum noſtrum eſſe impendamus: tantóque magìs contenti ſimus, illud hac de cauſa inſumpſiſſe;

pſiſſe ; quantò certiores ſumus, non poſſe te ditiorem, magíſque perfectum, ac beatum evadere, quàm ante hoc noſtræ ſervitutis vectigal ſemper fueris, & etiam ſinè illo ſemper porrò eſſes futurus.

CAPUT XVIII.

Quàm excellenter commemoratæ hactenus DEI perfectiones comprehendantur ſingulari eo nomine; *Ego ſum, qui ſum*, quod ipſemet ſibi attribuit: déque duobus aliis nominibus, quæ & ipſa proprio magìs jure eidem conveniunt, nempe *bonum*, & *totum*.

PRiuſquam ad reliquas perfectiones divinas prograediar, quæ ſecundùm noſtram intelligendi rationem magìs determinatæ, & certi alicujus generis ſunt; non abs re exiſtimo, ſummatim colligere, & uno ſub aſpectu intuendas proponere, quas hucuſque explicavi, quæque velut generales quædam prærogativæ ſuam reliquis omnibus denominationem impertiunt: perfectiones nimirum entis increati, neceſſarii, æterni, infiniti, ſimpliciſſimi, &

& omnino immutabilis : oſtendendo, quàm perſpicuè contineantur omnes in ſingulari, nec audito aliàs nomine, quo ipſemet DEUS quodammodo ſe definiit, dum, rogatus à Moyſe, quonam nomine apud Judæorum populum vocari vellet, reſpondit, (*Exod. c. 3.*) *Ego ſum, qui ſum : ſic dices filiis Iſraël, Qui eſt, miſit me ad vos.* Ipſum *Eſſe* aptiſſima ſignificatio mei eſt. Vocor, *Qui eſt* : Hæc mea peculiaris natura eſt, hoc verum propriúmque meum nomen, hoc illud, quod præcipuè inter omnia de me ſciri, & exprimi poteſt. *Non dixit*, (commentatur D. Auguſtinus) *Dominus DEUS, ille omnipotens, miſericors, juſtus: quæ ſi diceret, vera diceret: verùm, ſublatis de medio omnibus, quibus appellari poteſt, & dici DEUS, ipſum eſſe ſe vocari reſpondit, & tanquam eſſet ei nomen; Hoc dices, inquit, Qui eſt, miſit me.* (*In Pſ. 134.*) Et certè tantùm amplitudinis, profunditatis, intelligentiæ, & ſignificationis duabus iis ſyllabis continetur; ut, ſi quidquid eſt hominum, atque Angelorum conſilium iniiſſent, de idoneo reſponſo interroganti Moyſi reddendo, nunquam excogitare potuiſſent vocabulum æquè ponderoſum, támque mira emphaſi gravidum. Quamvìs enim nulla rerum creatarum occurrat adeò vulgaris, ut verè non ſit,

quæeſt; nullã tamen reperire eſt adeò eximiã, ut pro peculiari ſuâ differentiâ, & germano nomine habeat eſſe, quæ eſt: quem extraordinarium, novúmque ſenſum præfert hìc illa appellatio, *Qui eſt, non ex ſignificatione*, (ùt bene animadvertit Cajetanus) *ſed ex appropriatione*: nempe non quatenus de DEO merè affirmatur, ſed quatenus affirmatur, tanquam ei ſingulariter, propriéque conveniens. *Sic enim ſumpta plus innuit, quàm ſignificet formaliter.* (*In* 1. *p. qu.* 13. *a.* 11.) Quare D. Hilarius profitetur, cùm in hunc Exodi locum incidiſſet, pluſquam dici poſſit, illius emphaſi, & novitate captum ſe eſſe. (L. 1. *de Trin.*) *Admiratus ſum planè tam abſolutam de* DEO *ſignificationem, quæ naturæ divinæ incomprehenſibilem cognitionem aptiſſimo ad humanam intelligentiam ſermone loqueretur. Non enim aliud proprium magìs* DEI, *quàm Eſſe intelligitur.* Nec diverſa fuit ſeu Bernardi Clarevallenſis, ſeu Thomæ Aquinatis ſententia. Quorum prior nihil ait præclari & eximii poſſe DEO attribui, quin magno hoc nomine contineatur. (L. 5. *de Conſ.*) *Quid eſt* DEUS? *Non ſanè occurrit melius, quàm, Qui eſt. Hoc ipſe de ſe voluit reſponderi. Si bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem, vel quidquid tale de eo dixeris, in hoc verbo inſtaura-*

tur

tur, *Quod est, est. Nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si & centum talia addas, non recessisti ab esse. Si ea dixeris, nihil addidisti: si non dixeris, nihil minuisti.* Posterior autem professo studio demonstrat, nullum reperiri aliud nomen, quod spectata ratione significandi tam propriè DEO conveniat, támque excellenter ineffabilem illius naturam declaret, quàm nomen, *Qui est*: utpote quod est maximè universale, *& nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminatè ad omnes, & ideo nominat ipsum pelagus substantiæ infinitum.* (1. *p. qu.* 13. *a.* 11.) Nam, cùm nobis non liceat proprium illum, & singularem modum cognoscere, quo esse divinum ab aliis omnibus existendi modis distinguitur; quantò nostræ circa illum cognitiones minùs determinatæ sunt, magísque universales, & à peculiari qualibet existendi ratione, ac differentia remotæ, tantò etiam magis ei congruunt, majorémque illius repræsentandi vim habent. *Intellectus noster non potest ipsam* DEI *essentiam in statu viæ cognoscere, secundùm quod in se est: sed quemcunque modum determinat circa id, quod de* DEO *intelligit; deficit à modo, quo* DEUS *in se est. Et ideo, quantò aliqua nomina sunt minùs determinata, & magis communia, & absoluta, tantò magis propriè dicuntur*

tur de DEO. Quid plura? tantus est admirandi hujus nominis cum admirabili natura DEI nexus, ut ipsis quoque Ethnicis innotuerit. Quare in foribus templi Delphici inscripta legebatur, teste Plutarcho, (*De Inscr. Templ. Delph.*) syllaba *es*:, tanquam documentum ingressuris veri nominis, quo DEUM compellare deberent, dicentes ei nimirum, *Tu es.* Et Dervisii Turcarum Mystæ, in suis tripudiantes profanis delubris, solent idendidem succinere *Hu*, quod perinde valet, atque *est*: quasi velint innuere, ceu Petrus à Valle (*L. 1. Lit. 2.*) testatur, uni DEO propriè veréque convenire, ut sit. Quin Plotinus eò processit, ut diceret, non modò nomen, *Qui est*, quovis alio congruentius naturæ DEI esse; sed nullum aliud, hoc excepto, ei posse congruere. (*En. 5. L. 5. c. 13.*) *Qui de* DEO *aliquid dicit, nec est contentus dicere, quod* DEUS *sit id, quod est; hic cuncta aufert, & nihil de* DEO *affirmat.* Sed quàm proprium, & peculiare DEI sit eximium hoc nomen, adhuc intelligi luculentiùs poterit, ex insita ei virtute repræsentandi absolutas omnes, de quibus hucusque egimus, divinæ essentiæ perfectiones: adeò ut nulla harum sit, quæ in illo non contineatur, illóque affirmato, non implicitè simul ipsa affirme-

metur. Quam illius significandi vim, quemadmodum in hujus capitis titulo generatim proposui, ità nunc particulatim ostendere aggrediar.

2. Incipiendo itaque à primâ; quonam pacto attribui DEO potest, instar nominis proprii, quòd sit ille, *Qui est*? nempe quòd sit ipsum esse; quin significetur simul, non habere illum ab ulla causa, ut sit: sed esse primam, increatam, & universalem causam omnium, quæ sunt? nullo prorsus pacto, inquit D. Bonaventura. (*Itin. Ment. c. 5.*) *Quid enim est per se, si ipsum esse non est per se, nec à se?* Perinde quasi dicat. Quòd certum, & particulare aliquod esse producatur ab alio, facilè intelligi potest: cùm extra certum & particulare quodvis esse aliud intelligi possit, quòd illius producendi vim habeat. At extra illum, *Qui est*, nempe extra ipsum esse, quidnam intelligetur, ipsum producendi vim habens, cùm extra esse solùm intelligi nihilum queat? Et certè, si ille, cujus proprietas, & peculiaris nota est, esse, non haberet à se ipso, ut sit; à quonam alio id haberet? Num ab inferiore secundùm naturam? at superius ab inferiore produci omnino impossibile est; ergo à superiore, vel pari. At quodnam antecel-

cellere, vel par esse naturâ illi queat, qui per antonomasiam, & singularem excellentiam ens nominatur? Cùm commune aliquod nomen certæ ac particulari personæ, quasi proprium assignatur, certò, & palàm innuitur, prædicti nominis significationem non vulgari, & communi cum aliis, sed singulari & eximia quadam ratione ei personæ convenire: nam alioqui id vocabulum non esset sufficiens illius nota, nec haberet vim nominis proprii ad eam unam ex omnibus aliis indicandam. Ideóque, cùm videmus, Oratoris Romani vocabulo, esto ad complures alios generatim pertinente; solum Ciceronem designari, non secùs ac si proprio suo compellaretur nomine; & vocabulo Virginis, tametsi plurimis aliis communi, magnam DEI Matrem æquè ac peculiari suo Mariæ nomine exprimi, pro argumento id habemus singularis compertissimæque excellentiæ, qua & ille Romanos alios Oratores, & diversas hæc virgines supergreditur. Finge jam DEUm neutiquam esse primam omnium causam, nec à se ipso, sed aliunde habere, quòd sit; næ ille haudquaquam tunc cæteris rebus universis in existendi ratione antecelleret: sed ea princeps causa, à qua esset productus, excellentiori, quàm ipse existe-

isteret modo : eique proinde æquiore jure conveniret dici per antonomasiam, *Qui est*. Quid ergo aliud significat, talem appellationem illi, ceu propriam attribui; nisi ipsum existere : non vulgari, & promiscuo reliquorum entium modo, sed tanto præstantiori, ut solus penè dici possit existere : ceu qui solus à se ipso habet suum esse, & ex cujus participatione cætera omnia accipiunt, ut sint? Breviter, si, quod supra demonstravimus, necesse est existere in mundo primum aliquod, & à nemine procreatum rerum omnium principium, dubitari minimè potest, quin ipsum excellentiori modo sit, quàm cætera omnia, quæ per participationem ipsius sunt. Proinde, si cui entium convenire per antonomasiam potest nomen, *Qui est*, ipsi apprimè, imò ipsi uni conveniet. Ergo neque dubitari potest. quin, dum nomen prædictum DEO tanquam proprium tribuitur ; perinde sit eum vocari absolutè & præcisè, *Qui est*; ac primum, nec, nisi per se existens, rerum omnium principium vocari. Quamobrem D. Hieronymus, quærens, cur DEUS hoc sibi tanquam proprium vendicaverit nomen, quo nullum cæteroqui est communius ; non aliam rationem rei affert, nisi quòd solus est à se ipso :

ipso : nihil ambigens, quin idem prorsus sit, ità existere; & posse singulariter appellari, *Qui est* (*In c. 3. Ep. ad Ephes.*) *Numquid solus DEUS erat, & cætera non erant? Utique Angeli, & cælum, & terra, & ipse Moyses erant. Et quomodo nomen commune substantiæ sibi proprium vindicat DEUS? Illâ, ùt diximus, causâ: quia cætera, ut sint, DEI sumpsêre beneficio: DEUS autem, qui semper est, & ipse sui origo est, non potest intelligi aliunde habere, quod subsistit.* Hæc ille: adstipulatorem in hac sua interpretatione, ac sententia Philosophorum principem habens, apud quem principii certissimi loco est, illud in quovis genere præcipuè, magisque propriè tale esse, quod neque ab ullo habet, ut tale existat; & omnibus aliis ità existendi causa est. (*L. 2. Metaph. textu 4.*) *Unumquodque id ipsum maximè est inter alia, per quod aliis participatio nominis est: ut putà ignis calidissimus, quia ex eo habent cætera, ut calida sint. Quapropter principia semper existentium necesse est, verissima esse. Non enim ipsa ut sint, aliquid aliud causa est, sed ipsa cæteris.* Perinde itaque est dici, DEUM esse, *Qui est*; ac significari unum ipsum à se, & cætera omnia ab ipso habere, quòd sint.

3. Nec minùs patenter eodem nomine, *Qui est*, indicatur divinæ existentiæ necessitas: tum

tum quia, quod ità est, ut possit etiam non esse; multum habet de natura accidentis, & quodvis accidens, judice Aristotele, (*L. 6. Metaph. c. 2.*) *Videtur propinquum quiddam non enti*: quapropter vix potest dici revera esse, nedum mereatur in excellentiæ argumentum absolutè vocitari, *Quod est*; tum quia, secundùm interpretationem percelebris Rabbini Moysis Majmonidis, idem valet hebraicè nomen, *Qui est*; ac nomen, *Qui existit*. Unde & ipse concludit, & cuivis in proclivi est concludere, non aliud esse, quòd DEUS ibi, tanquam nomine proprio, & eum à reliquis omnibus discriminante appelletur, *Qui existit*, quàm, si appellaretur, *Qui necessariò existit*: cùm nulli rei possit non necessariò id convenire, quod unaquæque proprium ex natura sua habet, quoque à ceteris omnibus, tanquam speciali differentia, secernitur. Ut proinde, vocans se DEUS, quasi proprio sibi nomine, illum, qui existit; perinde faciat, ac si diceret, ego sum ille, cujus existendi actus nequaquam, ceu in rebus creatis ab existendi possibilitate distinguitur: sed unum prorsus atque idem cum hac est; ut, sicut omni tempore necessarium mihi est, posse existere; ità etiam omni tempore necesse sit, verè ac re

ipsa me existere: *Existens, qui est existens: quasi diceret, qui necessariò existit.* (L. 1. more Neh. c. 63.)

4. Æternitas quoque, nemo non videt, quàm perspicuè hoc nomine contineatur: cùm nequeat illud propriè Deo convenire, quin quovis tempore eidem conveniat, æternúmq; idcirco, & immotam in eo durationem significet. Nam sicut ex eo, quod homini propriè convenit, rationis participem esse, consequitur, nullum in tota æternitate assignari posse momentum, in quo is verè dici rationis particeps nequeat; ità ex eo, quòd propriè DEO conveniat nomen, *Qui est*; sequitur, nullum esse vel præteritæ, vel futuræ æternitatis momentum, in quo non verissimè appelletur, *Qui est*: sed semper sub hac specie, & sub hoc nomine illum nobis occurrere: semper ex anteriori parte, *Qui est*, & ideo principii nescium: semper ex posteriori, *Qui est*, ac proinde finis expertem: semper in summa, *Qui est*, ideóque nil habentem futuri, aut præteriti, sed in unico, sempiterno, & nunquam non eodem *præsenti* immobiliter fixum. Atque hinc factum est, ut SS. Patres communiter per nomen, *Qui est*, à DEO sibi propriè vindicatum, æternum & immobile illius ævum exprimi sentiant.

Ità

Ità sentit D. Augustinus, neminem affirmans posse dici, *Qui est*, nisi qui sempiternum esse habeat: (*In Ps.* 121.) *Quid est, quod est? quod æternum est*: & alibi, (*De vera Rel. c.* 49.) *Æternitas tantummodo est: nec fuit, quasi jam non sit: nec erit, quasi adhuc non sit. Quare ipsa sola dicere potuit: Ego sum, qui sum.* Ità D. Hilarius, agnoscens in illo *est* durationem nunquam ceptam, nunquam desituram, proin DEI propriam. (L. 1, *de Trin.*) *Non aliud magis proprium DEO, quàm esse intelligitur. Quia id ipsum, quod est, neque desinentis est aliquando, neque cœpti. Et, cùm in nullo à se DEI æternitas desit; dignè hoc solùm, quod esset, ad protestationem incorruptæ suæ æternitatis ostendit.* Ità D. Hieronymus, docens, hinc DEUM à creatis rebus distingui, quòd harum ævum, utpote continenter labile, ac penè totum ex præterito, futuróque constans, vix possit dici esse: At verò DEUS, æternitatis suæ causa, (*Epist.* 136.) *esse tantùm novit, fuisse, & futurum esse non novit.* Ità D. Bernardus: quo teste, sicut DEI unius proprium est, esse æternum, sic uni ipsi convenit permanere semper in præsenti *est*: at è contrario, (*Serm.* 31. *in Cant.*) *Quidquid ex eo, quod fuit, non cessat tendere in id, quod erit, transitum habet certè per est, sed omnino non est.*

Neque aliter sanè memorata Exodi verba explicare potuissent Plato, & Plutarchus, cùm utriusque unanimis sententia sit, à nemine verum esse haberi posse, qui illud æternum non habeat. (*Plat. in Tim. Plut. de Inscr. Templ Delph.*) *Quid igitur* (en posterioris verba) *illud est, quod revera est? Id utique unum, quod sempiternum; ortûs atque interitûs expers, cui nullus à tempore motus infertur.* Ex concordi itaque tam profanorum, quàm sacrorum sapientum sensu, idem valet, quòd Dominus dixerit: *Ego sum, qui sum*; ac si dixisset, ego sum, cujus ævum nunquam aut cœpit, aut deficiet, aut mutari potest, sed totum infinito, & semper eodem præsenti, sempiterno, & immobili *est* continetur.

5. Quid porro de infinitate dicemus? meliúsne illam exprimere DEUS poterat, quàm proprii nominis loco sibi *esse* attribuens, non hoc quidem, aut illud certi alicujus generis, & peculiaribus differentiis septum, sed per totam, cujus capax est, latitudinem undique diffusum? esse quatenus purè tale, perfecta exclusio nihili est, omnísque ideo mali, & defectûs, quæ nihilum exprimunt, exclusio. Quod si creatum esse multâ nihili, & mali portione videmus permistum; indè id profi-

ci-

ciſcitur, quia neutiquam purum, plenúmque, & totum eſſe illud eſt: ſed ſicut ab his, vel iis differentiis intrà peculiare aliquod genus concluditur; ità non poteſt, nisì peculiare aliquod mali genus, excludere. Cæterùm, ſi in quapiam ſubſtantia nihil determinationum talium, ſed non nisì abſolutum, purúmque eſſe reperiretur; nemo non videt, totum ibi eſſe, omnimodámque totius nihili excluſionem repertum iri. *Quia ipſum Eſſe purißimum* (ùt D. Bonaventura ait) *non occurrit, nisì in plena fuga non eſſe, ſicut & nihil in plena fuga eſſe. Sicut igitur omnino nihil, nihil habet de eſſe; ſic è contra ipſum eſſe, nihil habet de non eſſe, nec actu, nec potentiâ, nec ſecundùm veritatem rei, nec ſecundùm æſtimationem noſtram.* (*Itin. Ment. c. 5.*) At verò prorſus tale, ità purum, nec uſquam determinatum, plenúmque, & uſquequaque integrum eſt illud eſſe, quod DEUS ſibi aſſumit, aſſumendo nomen, *Qui eſt.* Obſervate, quæſo, num in nomine tali quidquam repræſentetur diverſum à puro eſſe, quódque amplitudinem illius intrà certam ſpeciem, ac menſuram coërceat. Sed quid, præter merum eſſe, & hoc ſinè ulla generis, ſpeciei, qualitatis, ac magnitudinis determinatione repræſentari poteſt à nudo, & ſimpliciſſimo *eſt?* Ad-

dite nominatim illi *est*, quidquid potest mens vestra præclari & eximii concipere; nihil ei addideritis, quod ampliſſima illius ſignificatione non contineatur. Dividite illud in quotcunque perfectionum ſpecies excogitare vobis fas eſt; nunquam tot earum excogitabitis, quin plures in eo ſemper ſuperſint. Genus generum omnium eſt, inquit Seneca, *ſupra ſe nihil habet. Initium rerum eſt. Omnia ſub illo ſunt.* (*Ep. 58.*) Quia nihil certum, & peculiare exprimit, quia nihil determinati ſpectandum exhibet; ideo ſecundùm Cajetani animadverſionem, (*In 1. p. qu. 13. a. 11.*) *Infinitis determinationibus determinari poteſt, & infinities infinitos eſſendi modos comprehendit.* O *eſt!* quantò dictu brevius, tantò cogitatu amplius. O ſyllaba, quæ totum complectitur, quæ infinitatem adæquat, intrà quam nihil deeſt, extra quam nihil ſupereſt. O nomen! in ſumma digniſſimum, quod DEUS, tanquam proprium ſibi attribueret, cognoſcendam eo nobis daturus, quantùm cognoſci à mortalibus poteſt, incomprehenſibilis ſuæ naturæ præſtantiam. Qui infinitum eſſentiæ pelagus eſt, nullum, teſte D. Joanne Damaſceno, poteſt accommodatius ſibi nomen nanciſci, quàm purum, ſolúmque eſſe. *Inter omnes DEI nomencla-*

claturas nulla est magis propria, quàm ista, Qui est: eò quòd DEUS nullam non essentiam in se complectatur, tanquam vastum quoddam, & immensum essentiæ pelagus. (*L.* I. *de Fide c.* 12.)

6. Succedit simplicitas, omnem à se numerum partium, & quodcunque compositionis genus excludens. Et, ô quàm præclarè ipsa quoque in eo nomine elucet, quámque manifestè colligendum ex eodem nobis relinquit, nihil in DEO esse, quod ipsamet DEI essentia non sit? Cùm enim nihil aliud sit esse, quàm bonum; dum affirmatur de DEO esse, neque hujus quidem, aut illius speciei esse, sed esse ab omnibus differentiis abstractum, & secundùm totam significationem sui generis sumptum; nihil aliud hoc est, quàm bonum de illo affirmare, neque ipsum quoque ad certam speciem contractum, sed omnino universale, & quantumcunque intelligi potest. Quid ergo hinc consequitur? consequitur utique, à nullo ipsum, ex bonis, quibus affluit, distingui, sed idem prorsus tam cum unoquoque, quàm cum universo eorum cumulo esse. Nam alioqui neutiquam dici posset, quòd sit universum esse, atque bonum, sed quòd illud solummodo intrà se habeat. Dum ergo dicitur, non quidem habere, sed

esse omne bonum; tantundem prorsus id valet, quantùm si diceretur, nullum ex infinitis suis bonis, distinctæ instar formæ, aut rei ab illo obtineri, sed omnia unum aliquid, & omnino idem cum essentia illius esse. Consequens rite observatum à D. Bonaventura, qui ait, DEum cuilibet ipsum consideranti sub nomine & specie puri esse, (*Itin. Ment. c. 5.*) *Occurrere, ut nullo modo in se habentem, nisi quod est ipsum esse, ac per hoc cum nullo compositum.* Observatum à Severino Boëtio, dum scripsit; (L. 1. *de Trin.*) *Quod non est hoc, atque hoc, sed est tantùm hoc; illud verè est id, quod est.* Observatum denique à sanctis Bernardo, atque Anselmo: videre est & in his primi verbis, (L. 5. *de Consc.*) *DEUS est, qui est, non quæ est*; & in illis alterius, *Tu solus Domine es, quod es, & tu es, qui es. Nam, quod aliud est in toto, aliud in partibus, non omnino est, quod est.* (*Prosol.* 22.)

7. Supereſt demum expreſſam in ejusdem nominis significatione omnimodam DEI immutabilitatem agnoscere. Quam ad rem Plato, & D. Augustinus splendidissimam nobis doctrinæ suæ præferunt facem. Cùm & secundùm illius principia, (*In Tim.*) non aliud sit verè esse, quàm immutabiliter esse; hic

hic verò jam universè affirmet, (Tr. 4. *in Ep. Joa.*) *Quod verè est incommutabile esse*; jam generale hoc effatum DEO nominatim accommodet, scribens, (L. 7. *de Trin.*) *Illum verè solum esse, quia incommutabilis est.* Neque deest planissima ratio, quæ utriusque authoritatem suo suffragio confirmet. Nam, quod mutatur, verius est *in fieri*, ùt Philosophi loquuntur, & in motu ad esse, quàm in firma ipsius possessione, quæ propriè significatur à præsenti *est*. Præterquam quod substantia mutabilis nequaquam unum ens propriè dici potest, sed variorum entium congeries: atque idcirco, secundùm citata paulò antè D. Bernardi verba, non tam est, quod est; quàm est, quæ est. Idque Plutarchus non obscurè animadvertit: indè tanquam ex principio certissimo arguens, verum esse nemini, nisi DEO convenire. *Revera enim nos essentiæ nequaquam participes sumus. Nullus enim manet, neque est unus, sed nascimur multi. Nam, qui mutatur, idem non est: &, si idem non est; nè est quidem, sed alius ex alio mutationibus factus. DEUS autem non multa est, sed unum: non ut unusquisque nostrûm congeries ex infinitis, diversissimisque affectionibus variè commista. Sed unum oportet esse id, quod est.* Quam unitatem per ipsum Dei Delphici, hoc est A-

pollinis, nomen exprimi addit, nomen nimirum, multitudinem apud Græcos excludens. *Apollo enim dicitur, quòd unicus sit, voce multitudinis negationem arguente.* (*De Inscr. Templ. Delph.*)

8. En igitur, quot & quàm singulares DEI prærogativas nobis innuat, atque in memoriam revocet admirandum hoc nomen, *Qui est.* Innuit primò, eum habere, quòd sit, haudquaquam vulgari, & communi rebus ceteris modo, per participationem alterius, sed excellentiori multò ratione, quæque convenire nequeunt, nisi primo, & increato omnium entium principio. Innuit deinde, nihilo minùs necessarium illi esse existendi actum, quàm necessaria existendi possibilitas sit: adeò ut ceu nullo tempore hac potest; sic neque illo unquam possit carere; quippe in quo utrumque idem est. Innuit ad hæc, illius ævum, omnis principii, & finis, & motûs expers, non nisi unico, æternóque *est*, totum constare. Innuit præterea, convenire illi, ut sit ipsum purum esse, nullis differentiis contractum, sed per maximam effusum, cujus capax est, amplitudinem: scilicet totum esse, à quovis nihilo, & defectu sejunctum, nullâque non ex parte infinitè perfectum. Innu-

nuit pariter, infinitam hanc illius perfectionem non haberi ab ipso ceu formam, vel congeriem formarum sibi superadditam, sed esse unum, & omnino idem cum simplicissima ejus essentia. Innuit denique nullum mutationi in eo locum esse, nec fieri ullo modo posse, ut alius unquam sit, quàm, qui necessariò, ac semper fuit, ens nimirum usquequaque perfectum, & quo nihil excogitari queat melius. Unde manifestè apparet, quàm fœcunda & locuples significatio hujus nominis sit: quantúmque de divinis perfectionibus unicuique reperire liceat, qui attenta meditatione altissimos sensus in duabus his syllabis, *Qui est*, tanquam in cælesti quadam aurifodina, scrutari velit.

9. Quæ meditatio, ut materiæ plus habeat, non prætermittendam censeo egregiam DEUM contemplandi rationem, prout nihilo is maximè opponitur, ab Antonio Glielmi propositam in suo tam pio, tam ingenioso, *de sanctissimæ Trinitatis Magnalibus*, libro. Quemadmodum, ille inquit, (*Serm.* 29.) existere in mundo res creatas videmus, quæ aliquid de esse, & aliquid de nihilo in natura sua habeant; sic ex utraque earum parte duo possumus extrema concipere, prorsus simplicia,

& inter se omnino contraria: nempe hinc DEUM, qui est purum, totúmque esse; inde verò purum nihil, quod est absolutissima totius esse negatio. Age itaque, duo hæc extrema, DEUM scilicet, purúmque nihil, ex adverso composita intueamur. Cùm enim sibi in omnibus adversentur, ex singulis posterioris defectibus, contrarias prioris prærogativas legitima, pérque facili consecutione licebit eruere. En rei praxim breviter, pérque summa hinc inde capita expositam. Purum nihil, non modò non est, sed neque esse potest: ergo purum esse, nimirum DEUS, utpote ipsi omnimodè repugnans, non modò est, sed neque potest non esse. Nihilum, non modò non existit hodie, sed neque ullo tempore extitit, aut extiturum est: ergo DEum necesse est, semper extitisse, ac semper existere. Nihilum omnem perfectionem à se excludit: ergo DEUS omnem perfectionem in se debet complecti. Nihilum, quamvis infinitas omnes, quæ concipi possunt, perfectiones neget; non tamen est infinita negationum invicem distinctarum congeries, sed unica & simplex negatio, puri nihili nomine expressa: ergo DEUS, quamvis omnium possibilium bonorum infinitatem in sua essentia contineat;

at; non tamen est aliquid ex pluribus bonis conflatum, sed unum duntaxat, & simplicissimum bonum. Nihilo neque addi ulla negatio boni potest, cùm omnes universim significet; neque ulla detrahi, nam alioqui esse purum nihil desineret: ergo DEO nullum esse, nullâque boni particula vel accedere, vel decedere potest: nam alioqui non esset, quale necessariò est, purum esse, atque bonum, plenissima scilicet totius esse, ac boni complexio. Purum nihil nusquam sive est, sive esse potest: ergo ex oppositâ ratione nullus esse locus potest, ubi DEUS præsens non adsit. Denique purum nihil, ceu quovis esse, ac bono caret, sic nihil operari potest, seu in se ipso per actus vitales, & naturæ suæ congruentes; sive extra se per productionem effectuum aliis utilium: Ergo secundùm contrariorum regulam, sequitur, DEUM esse perfectissimum agendi principium, excellentissimam vitam, & virtutem, nullis non producendis effectibus possibilibus parem.

10. Talis prædicti scriptoris ratiocinatio est. Unde & ex reliqua omni hujus capitis doctrina duo colligere licet. Primum, quàm in promptu cuivis non plumbeæ mentis homini sit, quod in libro Sapientiæ scribitur, (c. 13.)

13.) *De his, quæ videntur bona, intelligere eum, qui est*, nimirum ex limitato, & defectuoso rerum conditarum esse, ad purissimi, & infiniti illius esse, quod unum propriè est, intellectu consurgere. Præsertim verò, cùm hoc nomen ens, quod assiduè in mente, atque ore habemus, juxta D. Thomæ sententiam, (1. *p. qu.* 13. *a.* 5.) analogum sit: nempe ex eorum nominum genere, quæ multis quidem tribuuntur, sed ità, ut primitus, ac præcipuo jure uni conveniant, déque aliis eatenus solummodo affirmentur, quatenus hæc cum eo uno nexum aliquem proportionis, vel similitudinis habent: à cujus significatu nequit prædictorum nominum significatio sejungi: sed necesse est, ut illud tacitè indicent, ac menti offerant, quandò de aliis minùs propriis, & secundariis suis objectis dicuntur. Quapropter, ceu qui graminum viriditatem pratorum risum metaphoricè nuncupari audit; fieri non potest, quin aliquam tunc humani risûs speciem mente concipiat, utpote rei, quæ una primò, ac per sese ità appellatur, & cujus non nisi imago quædam pratorum risus est; non aliter, qui rem aliquam esse audit, vel dicit, non potest, modò vim verbi *est* rite calleat: illius quasi admonitu in DEI memoriam,

am, cogitationémque non adduci, tanquam primi & ſummi entis, quíque unus propriè, ac per antonomaſiam eſſe dicitur.

11. Alterum, quod ex dictis colligendum occurrit, mirus eſt in pleriſque hominibus ſtupor: qui, licèt nè ipſam quidem rerum creatarum exiſtentiam poſſint vel loquendo enuntiare, vel auditu, & cogitatione percipere, quin ad DEI conſiderationem indè excitentur; vix tamen unquam ſummi illius eſſe reminiſcantur, quod ab alio quovis eſſe ſibi continenter obtruditur: ſimili prorſus ratione, (D. Bonaventura inquit) atque oculorum acies, corporibus, & coloribus ſpectandis intenta lucem, quæ princeps objectum ſuum eſt, quámque ſimul cum cæteris rebus omnibus videt, & ſinè qua nihil videre poteſt, vix ſenſu tenuiſſimo advertit. *Mira igitur* (libet ejuſdem ſancti Doctoris verbis rem concludere) *eſt cæcitas noſtri intellectûs, qui non conſiderat illud, quod priùs videt, & ſinè quo nihil poteſt cognoſcere: ſed, velut oculus, intentus in varias colorum differentias, lucem, per quam videt cætera, non videt: & ſi videt, non tamen advertit; ſic oculus mentis noſtræ, intentus in iſta entia particularia, & univerſalia, ipſum eſſe, extra omne genus, & ſi primò menti occurrat, & per ipſum*

alia

alia tamen non advertit. Imo, velut oculus, *quando videt puram lucem, videtur sibi nihil videre;* sic & ille *assuefactus ad phantasmata sensibilium, cùm ipsam lucem summi Esse intuetur*, indiscreto illo, & à quavis peculiari specie sejunctissimo visu minimè expletur, perinde quasi nihil ibi cerneret: *non intelligens, quòd ea ipsa caligo summa est mentis nostræ illuminatio:* Nihil enim indistinctâ illâ summi & puri esse intelligentiâ concipi unquam potest à nostra mente sublimius, quódque ipsam magìs perficiat. (*Itin. Ment. c. 5.*)

12. Quemadmodum porrò DEUS à singulari præstantia sui esse habet, ut tot de causis, quot supra memoratæ illius perfectiones sunt, mereatur nominari, *Qui est*; sic è contrario nostri esse imperfectio totidem unicuique nostrûm causas suppeditat, cur debeat potiùs, *qui non est*, quàm *qui est*, nuncupari. Libeat id breviter intueri, tum ad justæ humilitatis sensus in animis nostris excitandos; tum etiam, ut ex minimo, vel nullo jure, quod ad nomen entis creatæ res habent, luculentiùs appareat, quàm singulari illud ratione supremo totius esse Authori debeatur. Primum caput, unde nos dicendi simus, non esse veriùs, quàm esse, impotentia est existendi, nisì

per

per alienam virtutem, cùm nemo noſtrûm ſuæ ſibi exiſtentiæ ſit author, ſed eam & alieno munere primùm acceperit; nec ſinè alterius arbitrio retinere vel ad momentum queat. Quapropter, ſi omnia magis propriè dicuntur eſſe id, quod per ſe ſunt; quàm, quod per operationem alterius, ceu quilibet noſtrûm merum nihil per ſe eſt, nec nisi ab alio habet, ut ſit; ſic nihili nomen potiùs meretur, quàm entis. Et confirmatur adhuc magis hæc ratio. Cùm enim nemo appellari poſſit ſeu egregius ſcriptor, ob ſcripturam non ab ipſo, ſed ab alio elucubratam; ſive dives, ob pecuniam non ſuam; quonam pacto ulla ex rebus creatis ens poterit dici, propter eſſe non ſuum, utpote nec ab ipſa conditum, nec ſuo, ſed alterius dominio ſubjectum? Accedit ad hoc primum caput, noſtra nunquam exiſtendi poſſibilitas: quæ, ſicuti nihil nobis tribuit juris, cur in ſtatu potiùs rerum exiſtentium, quàm in merè poſſibilium ſimus; ſic palàm facit, nihil nos à natura meriti habere, ut dicamur eſſe potiùs, quàm non eſſe: vel ſaltèm evincit, unumquemque noſtrûm exiſtere in mundo, ritu accidentis, quod ab Ariſtotele appellatur *propinquum quiddam non enti*. Accedit inſuper, quòd noſtri ævi curſus, cùm

non nisì certo tempore initium sumpserit, vix paucos existentiæ annos habeat, quos solidæ præcedentis sui nihili æternitati opponat: cúmque ex momentis componatur, perpetuo fluxu aliis post alia dilabentibus, totum idcirco inter *fuit*, intérque *erit*, dividitur, ut nè ad punctum quidem temporis in firmo *est* permaneat; ac proinde, ceu suprà cum D. Bernardo affirmavimus, *Transitum certè habet per est, sed omnino non est. Nam quomodo est, quod nunquam in eodem statu permanet?* Accedit præterea, quòd omne esse creatum, cùm certis terminetur limitibus, tantæque, & non ulterioris magnitudinis sit; finitæ perfectioni, qua præditum à natura est, infinitarum, quæ ipsi desunt, perfectionum defectum conjungit: quòd si igitur à potiore parte ducenda rerum denominatio est, utì infinitè plus de nihilo & defectu, quàm de esse habet; ità meretur nihilum potiùs, quàm ens nuncupari. Accedit illud quoque, quòd nostrum esse, cùm nequaquam unum, & simplex sit; quot partes & formas inter se distinctas complectitur; tot quodammodo speciebus nihili constat. Unaquæque enim prædictarũ partiũ, utì finitum quid est, ità ex modò dictis, infinitè plus de non esse, quàm de esse habet, congruentiúsque fert ni-

nihili nomen, quàm entis. Unde sequitur, ut, qui (si finita, sed tamen simplex natura nostra esset) non nisi unum nihil possemus vocari; tam multiplex nihilum appellandi nunc simus, quàm multis ex partibus, atque formis componimur. Præterquam quòd nemini dubium videtur, quin, quanta & qualis cujusque rei unitas est, tantum etiam sit, & tale illius esse: ut proinde, quantum à perfecta unitate absumus, tantùm quoque à perfecta entis ratione distemus. Accedit postremò mutabilitas, quæ neque à nostro esse creato separari potest, neque cum proprio & vero esse conjungi: cùm rebus sibi obnoxiis firmam sui esse possessionem eripiat, neque patiatur, ut sint eædem, quæ fuerant: communi propterea sapientum judicio, inter adulterini, & fictitii esse notas rejecta: quorum & plura superiùs testimonia retulimus; & duo insuper coronidis locò attexere hìc juvat: alterum D. Hieronymi scribentis, (*Ep.* 136.) *Quæ commutabilia sunt, quasi non sunt*: Alterum D. Augustini, idem, sinè *Quasi*, affirmantis, ubi ait, *Quod semper aliter, atque aliter est, non est.* (*In Ps.* 121.)

13. Cùm itaque in quovis ente creato prædicta sex vitia conveniant, singula seorsum

sufficientia, ut nihilo potiùs, quàm vero enti simile efficiatur, parum jam erit, DEUM cum Moyse, & Sapiente, (*Ex. 3. Sap* 13.) appellare, *Qui est*; sed novo insuper, & splendidiori vocabulo, eum, *qui unicè est*, nuncupare debebimus, profitentes illi, cum Anna Samuelis matre, (*L. 1. Reg. c. 2.*) *Non est alius extra te*; & cum Jobo, (*c. 23.*) *Ipse solus est.* Perinde quasi creatarum universitas rerum penitùs coram ipso evanescat, aut tenue illud, quod priùs præseferebat, essentiæ vestigium illio amittens, quo pacto soli oppositus deficit, nec videri magis potest, quàm si extinctus omnino esset, siderum fulgor: ac propterea, ceu sol in meridie dici potest solus lucere, sic & multò magis dici DEUS possit, solus revera existere, & totum in se uno esse complecti. Quam illius prærogativam probè animadververtit, expressítque Isaias, dicens, (*c. 40.*) *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo: & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.* Idem hìc ergo, quod & in aliis quibusque perfectionibus DEI accidit. Nam, utì nullam est invenire adeò præstantem scientiam, quæ divinæ comparata nequeat mera insscitia vocari, vel insignem adeò potentiam, quæ coram divina summæ imbecillitatis speciem non præsefe-

rat;

rat; sic neque ullum potest tam eximium, perfectúmque esse animo concipi, quod præ infinito DEI esse plus, quàm purum putum nihil æstimationis, pretiíque habeat. Ab ipso est, inquit D. Gregorius: quidquid habemus, quidquid sumus, & coram ipso instar nihili est, quidquid vel habemus, vel sumus. (*L. 18. Mor. c. 27.*) *Huic si conjungimur, sumus, vivimus, sapimus. Huic si comparamur, nec sapimus, nec vivimus omnino, nec sumus.* Quam ad rem uberiùs declarandam commodè facit illa D. Thomæ sententia: (*1. p. qu. 50. a. 1. ad 1.*) *Medium comparatum ad unum extremum, videri alterum extremum.* Nimirum rem quamlibet, quæ ità in medio duorum contrariorum jacet, ut neutrum ex iis, sed utriusque particeps sit, si cum eorum uno conferatur: videri jam ex medio discedere, & ad alterum contrarium pertinere. Exemplo sit corpus tepidum, quod, cùm neque absolutè calidum, neque absolutè frigidum, sed aliquid in medio horum sit. si cum re calida comparetur; non jam, utì priùs, caloris æquè, ac frigoris particeps, sed merè ac penitùs frigens apparet: quemadmodum è contrario cum frigidare compositum, è medio tepidi statu in calidi naturam, atque speciem videtur transisse. Jam verò res creatæ

nec purum esse, nec purum nihil sunt, sed a
quid inter duo hæc extrema medium, &
utroque conflatum. Quapropter, si eas cu
puro puto nihilo comparemus, non nisi m
ram speciem entis præseferunt. At, si cu
puro puto esse, DEO nimirum, componan
tur, à medio illicet statu ad extremum oppos
tum transeunt, neque jam ex nihilo, atque e
se compositæ, sed merum prorsus nihil viden
tur, & *sic sunt, quasi non sint.* Concludamu
igitur cum D. Bernardo, DEUM tum pro
pter infinitam supremi sui esse præstantiam
tum quia quodcunque aliud esse, perfection
multò ratione intrà se continet, plenissimum
jus obtinere, ut non modò, qui præcipuè est
verùm etiam ut, qui unicè est, appelletur
(*L. 5. de Cons.*) *Ipse sibi, ipse omnibus est: at pr
hoc quodammodo solus est ipse, qui suum ipsius
& omnium esse*: Certúmque è contrario, &
indubitanter stabilitum maneat, nostrum esse,
*ùt ex nihilo productum, & nihileitatibus circumda
tum, & ad nihilum tendens,* (*Alb. Magn. de Ad
hær. Deo c. 9.*) vix posse aliud, quàm meram
entis imaginem dici, quo illud nomine Regi
us Vates expressit, dum caneret, (*Ps. 38.*) *Ve
rumtamen in imagine pertransit homo:* nec quam
vis imaginem, sed imperfectissimam, & ma-
xi-

ximè inanem, qualis est umbra, cui à Jobo assimilatur iis verbis, (*c.* 14.) *Et fugit velut umbra*: dignum proinde, ceu modò citatus Clarevallensis Doctor adjungit, quod præ suo æterno exemplari, nimirum infinito DEI esse, censeatur, *potiùs non esse, quàm esse.*

14. Perpenso hactenus absoluti entis nomini nihil addi potest magis singulare, & eximium, quódque luculentiori energiâ incomprehensibilem DEI naturam repræsentet; digna nihilominus ei adjungi videntur duo alia, & soli DEO congruentia, & significationis exaggeratissimæ nomina, *bonum* nempe, atque *totum*, vel *omne*. Et primum quidem adeò unius DEI proprium est; ut neque in significatione adjectiva ulli, præter ipsum absolutè conveniat, juxta illud divini Verbi effatum. (*Luc.* 18.) *Nemo bonus, nisi solus* DEUS. Abstractum verò, & per se subsistens, & à D. Augustino, ùt suprà indicavimus, peculiari cum approbatione DEO tribuitur, & à D. Dionysio Areopagita, quamquam ineffabili exprimendo haud satis, vel ipsum sufficiens, inter omnia tamen illius nomina maximè venerandum vocatur. (*De Div. Nom. c.* 13.) *Quin nec ipsum bonitatis nomen ei tanquam aptum accommodamus: sed desiderio aliquid intelligendi, & di-*

cendi de arcana illa, & ineffabili natura, quod est omnium nominum maximè venerabile, ipsi primum consecramus. Sed Trismegistus præ cæteris de hac nomenclatura DEO uni vendicanda laborat, sic scribens: (*Pim. c. 2.*) *DEUS unicus ipsum bonum est, neque aliud quidquam, præter bonum. Reliqua omnia ab ipsa boni natura secreta sunt. Cave igitur, nè quando dixeris aliud quidquam bonum. Profanus enim hic foret error. Neque etiam dixeris, DEUM aliud quiddam præter solum bonum. In eandem quippe impietatem incideres. Una enim DEI natura est ipsum scilicet bonum.* Quæ effatus, indè colligit, nomen prædictum, esto in sermone hominum frequentissimum sit, non ab omnibus tamen, qui illud usurpant, satis intelligi: & hanc esse causam, cur neque DEUM omnes intelligant. Si enim compertum rite haberent, quid dicant, dum bonum enuntiant; DEUM utique ignorare non possent, qui, quasi unicum, princeps, propriúmque objectum, significatu illius nominis continetur. *Sermone igitur ab omnibus bonum pronuntiatur. Quid tamen sit, ab omnibus non intelligitur. Idcirco DEUS ab omnibus non cognoscitur.* Et alibi, ad ejusdem confirmationem doctrinæ, ideo neminem extra DEUM nuncupari bonum posse addit, quia,

quæ

quæ in nobis videtur esse bonitas, nihil sit aliud, quàm minor mali mensura: (*lb. c. 6.*) *Id quippe, quod non nimis malum, quódque minus malum, bonum in hominibus appellamus. Quò fit, ut bonum nostrum nihil aliud, quàm mali portio minima sit. Quare solum boni nomen homini adest, ô Asclepi! natura boni nequaquam:* gratias ad extremum Deo agens, de sibi impertita hujusmodi veritatis notitia. *Et quidem DEO ingentes gratias habeo, qui, de natura boni cogitanti, mihi sententiam hanc certam infudit.*

15. Alterum nomen, quod *totum*, vel *omne*, vel *omnia* esse dixi, ab eodem Trismegisto indicatur tum in Hymno suo sacro, ubi DEUM vocat, (*Pim. c. 13.*) *Unum & Omne*; tum in Asclepii capite octavo, ubi nullum peculiare nomen tametsi ex multis, variisque conflatum nominbus, idoneum esse ait DEO dignè exprimendo: ac proinde vel omnium rerum attribuenda illi esse nomina; vel si unum & simplex illius nomen quæratur; nullum excogitari posse aptius, nomine collectivo, *omnia*. *Non enim spero rerum omnium Patrem uno posse, quanquam è multis composito, nomine nuncupari. Necesse autem est (siquidem is sit unus, & omnia sit) aut omnia esse ipsius nomen; aut ipsum omnium nominibus nuncupari.* Neque

solus ille extitit, qui hoc DEUM insigniret, tam appositò, ad exprimendam illius magnitudinem, nomine. Testatur siquidem Eugubinus, usitatum apud priscos sapientes fuisse, ut, DEUM significaturi, vocabulo *Pan* uterentur, (*L. 3. de Peren. Phil. c. 8.*) quod Græcè idem valet, atque *omne*. Unde etiam de Christi Domini morte accipi fors possent voces illæ, *Magnus Pan mortuus est:* quas refert Plutarchus, imperante Tiberio, auditas à compluribus per noctem fuisse: tam vulgatâ & indubiâ miraculi famâ, ut ipsemet Tiberius Cæsar studiosè inquiri curaverit, quisnam ille Magnus Pan esset, cujus mors tam insigni nuntiabatur prodigio. (*De Orac. Delph.*)

16. En tibi igitur, pie Lector, tria ob singularem significationis præstantiam, DEO aptissima nomina, *esse*, *bonum*, & *omne*: quæ, ubi sedulò ruminata, & altè introspecta à te fuerint, eximiam incomprehensibilis naturæ illius speciem menti tuæ impriment. Quare posteaquam in arcanis singulorum sensibus perscrutandis, eruendísque, quantùm sat est, operæ atque studii posueris; jam unum, jam aliud revocare in memoriam curabis: assiduè præ oculis habens, &, quo par est, admirationis, reverentiæ, amorísque sensu intuens in-

infinitum illud *esse*, integerrimum illud *bonum*, pleniſſimúmque illud *omne*, à quo, & cujus gratiâ eſt, quidquid eſt, ultra quod nihil concipi poteſt, quódque unum per ſe amari, unum admiratoni eſſe, unum haberi in honore ac pretio meretur. Si verò interroges, quodnam ex commemoratis nominibus præcipuam divinæ naturæ exprimendæ vim habeat; reſpondeo, nihil ab eorum ullo ſignificari, quod reliqua item duo non ſignificent. Nam prima duo, nimirum *esse*, atque *bonum*, re ipſa unum quid ſunt: eadémque universè, ac ſinè ullis peculiaribus differentiis concepta omne eſſe, atque bonum ſignificant, quæ expreſſa tertii ſignificatio eſt. Quod tamen ad ſignificandi rationem ſpectat; primum cenſeo aliis præhabendum: tum quia ipſemet DEUS illud ſibi ſpecialiter adoptavit; tum quia ex duobus reliquis, *omne* non eam perfectæ unitatis ſpeciem præfefert, ut imperfectionem partium inter ſe diſtinctarum formaliter à conceptu ſuo excludat; *bonum* verò, juxta Angelici Doctoris ſententiam, nequaquam prima eſt rerum notio, ſed ab earum eſſe profluit. *Quia ſecundùm hoc unumquodque cognoſcibile eſt, in quantùm eſt actu. Unde ens eſt primum intelligibile, & ſecundùm rationem priùs, quàm bonum.* (1. *p. qu.* 5. *a.* 2.)

CA-

CAPUT XIX.

De Immensitate DEI, nempe illius intima, & necessaria in quibuscunque possibilibus locis præsentia.

PRiusquam divinæ hujus proprietatis tractationem ingrediar, nonnullas ei universales notitias præmittendas censeo, sinè quibus minùs expeditum Lectoribus ad illius intelligentiam iter pateret. Statuo igitur primò, duas esse magnitudinis species. Altera est corporum, posita in certarum partium numero, putà in vicenis, vel tricenis partibus, unaquaque cubiti, vel palmi modum implente: ità ut tota in partes prædictas, tanquam in propriam sui mensuram dividi queat: nec aliud proinde significat, tantam esse alicujus corporis magnitudinem, quàm posse illud in tot certas partes dividi, seu duplo, vel triplo unum corpus esse altero majus, quàm duplicem, triplicémque ab uno contineri earum partium numerum, in quas alterum dividi potest. Altera est magnitudo, spiritualibus substantiis conveniens, quæ sicut nullis partibus constat, sic ne-

neque in illas dividi, aut eas pro mensura sui habere potest: sed in sola ejusmodi substantiarum naturali perfectione, & virtute consistit: adeò ut idem sit earum aliquam perfectione, & agendi virtute antecellere alteri, ac eâ esse majorem. Statuo secundò, magnitudini rerum respondere spatium, quod occupant, & naturali jure exigunt. Quare, si corpus centum palmos magnitudine sua colligat; per majus, quàm totidem palmorum spatium extendi nequit. Quemadmodum pariter, quantò substantia quæque spiritualis plus, minúsve perfectionis, & virtutis à natura habet; tantò majus, vel minus sit spatium necesse est, in quo existit. Ac propterea ex duobus Angelis, quorum alter utpote naturâ perfectior, in toto decem milliariorum spatio operari simul potest; alter verò minori perfectione præditus, suam operandi virtutem ultra duo milliaria non extendit. Prior spirituali sua magnitudine, vel, ut cum D. Thoma loquar, *per contactum virtutis* (1. *p. qu.* 8. *a.* 2. *ad* 1.) decem milliaria occupabit, tanquam locum sibi naturaliter debitum; posterioris verò amplitudo non nisi duûm milliariorum spatium complebit. Statuo tertiò, corpora divisim occupare suum spatium, totum

tum nempe se totis, háſque, aut illas ipſius partes his, aut illis ſuis partibus: ſubſtantias verò ſpirituales, cùm indiviſibiles, ac ſinè partibus ſint; ſingulas quaslibet ſpatii ſibi debiti partes tota ſua magnitudine implere. Statuo demum: ſicut ad perfectam æternitatem non ſufficit duratio undecunque infinita, ſed neceſſe adhuc eſt, ut tota ejus infinitas nullo non temporis puncto ſimul præſens exiſtat; ſic perfectæ immenſitati conſtituendæ haud ſat eſſe magnitudinem undequaque infinitam, & per poſſibilia quævis ſpatia diffuſam; ſed requiri præterea, ut ejuſmodi magnitudo non minùs tota in minimo quoque illorum ſpatiorum, quàm in iis univerſis exiſtat. Unde conſequitur, nullum corpus, eſto infinitè quaquaverſus procurreret, immenſum futurum: utpote quod in nulla ſpatii ſui parte infinitum eſſet: quocirca hæc prærogativa convenire alteri non poteſt, quàm ſubſtantiæ ſpirituali, perfectionis infinitæ, potentique ſinè ulla loci mutatione, in quibuslibet poſſibilibus ſpatiis operari: ità ut univerſam eorum amplitudinem indiviſæ ſuæ virtutis præſentia impleat, tam in unoquoque, quàm in omnibus ſimul infinita, atque tota.

2. Jam verò ex generali hac doctrina ad rem noſtram, nempe ad ſummam DEI magnitu-

tudinem, & ad ſpatium, quod implet, progrediens; dico in tota illum mundi univerſitate exiſtere, non modò per præſentiam, & potentiam, eò quòd omnia exactiſſimè videt, ac ſubjecta penitùs ditioni ſuæ habet; ſed per eſſentiam quoque quatenus nulla ibi pars, aut res tam exigua reperitur; quin ei neceſſariò ipſe inſit, eámque Divinitatis ſuæ ſubſtantiâ contingat, totum interiùs pervadens, & exteriùs amplectens: quemadmodum mare totum replet ſimul, concludítque immerſam ſuis fluctibus ſpongiam: aut veluti lux totam permeat, & ambit expoſitam ſibi vitream ampullam. Nisi quod mare, & lux non tota eadémque ſua magnitudine illorum corporum & interiora penetrant, & ſuperficiem circumdant, ſed alia ſui parte illa intus replent, aliâ foris ambiunt. Cùm DEUS eadem indiviſa magnitudine, qua circa res omnes creatas extenditur, intra eaſdem exiſtat: non alius hìc, alius ibi, nec major, ubi majus, & minor, ubi minus occupat ſpatium, ſed in quavis parte, licèt diverſa idem, & totus. *Ipſe manet* (verba ſunt D. Gregorii) *intrà omnia, & extra omnia: ipſe ſupra omnia, & infra omnia: ſurſum regens, deorſum continens, extra circumdans, interiùs penetrans. nec alia parte ſuperior, aliâ infe-*

ferior, aut aliâ interior, aliâ exterior: sed unus & idem, totas ubique, præsidendo sustinens, & sustinendo præsidens, circumdando penetrans, & penetrando circumdans. (L. 2. Mor. c. 12.) Quamobrem opportunè, ac providè D. Augustinus nos commonet: *Nè quasi spatiosa magnitudine opinemur DEUM per cuncta diffundi, sicut aër aut lux ista diffunditur. Omnis enim hujuscemodi magnitudo minor est in sui parte, quàm in toto. At verò ille non parti rerum partem suam præsentem præbet, & alteri parti alteram partem, æquales æqualibus, minori verò minorem, majorique majorem: sed non solùm universitati creatæ, verùm etiam cuilibet ejus parti totus pariter adest.* (Ep. 57.) Nullum itaque ab objectis corporeis mutuari exemplum possumus, quod illius in creatis rebus existentiam appositè referat; satiúsque fuerit, eum ibi existentem concipere, vel secundùm imaginem ab eodem Hipponensi Præsule allatam, (*Ibid.*) *sicut est magna sapientia in homine, cujus corpus est parvum:* vel quomodo anima nostro corpori inest, tota in capite, tota in pedibus, tota in quovis alio ejus membro: ità ut eum mente apprehendamus, nihilo minùs toto se intimum cuilibet mundi spatio, quàm si hic, ceu falsò opinati sunt Veteres, magnum animal foret, DEUM pro ani-

anima inditum ſuo corpori habens. Quæ imago illum exhibet, non modò cuivis creatæ rei præſentiſſimum, ſed præſentiorem etiam, quàm ulla res corporea præſens ſibimet ſit: cùm nulla ejuſmodi rerum tota ſit in quavis ſui parte, ceu totus in quavis mundi parte DEUS eſt.

3. Et ſanè tali DEUM ratione per totam mundi univerſitatem diffundi, ſuáque illam ſpirituali magnitudine ad hunc modum implere, indubitatiſſimum Catholicæ Religionis dogma eſt, in pluribus ſacrarum Literarum locis luculenter expreſſum: ùt in Actis Apoſtolorum, ubi D. Paulum, de DEO affirmantem audimus. (*c.* 17.) *Non longè eſt ab unoquoque noſtrûm: in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus*: & in prophetia Jeremiæ, ubi DEUS ipſemet de ſe profitetur: (*c.* 23.) *Numquid non cælum, & terram ego impleo?* & apud Vatem Regium, qui modò infinitam tribuit Deo magnitudinem, canens, (*Pſ.* 144.) *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis*; modò tam præſentem in quavis mundi parte deſcribit, ut nuſquam ab eo liceat recedere: (*Pſ* 138.) *Quò ibo à ſpiritu tuo & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cælum tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades: ſi ſum-*

pſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Quibus divinis oraculis plurima addere Patrum teſtimonia poſſem, ſed iis recenſendis libens ſuperſedeo, tum nè crebrior, & minùs neceſſaria ejuſdem veritatis repetitio faſtidium Lectoribus creet; tum quia opportunior infrà iis utendi erit locus. Satìs in præſens ſit, duos audire: Cyrillum videlicet Alexandrinum, qui prædictam ubivis exiſtendi rationem, quàm nobis inexplicabilem, tam dignam DEO eſſe affirmat: (*L. 12. Com. in Joa.*) *Virtus DEO conveniens eſt, eſſe ubique, & inexplicabili modo implere cælum, implere terram, capere omnia, à nullo capi*: & Iſidorum, qui eandem declarare ſic nititur: *Immenſitas divinæ magnitudinis ità eſt, ut intelligamus eum intrà omnia, ſed non incluſum; extra omnia, ſed non excluſum: & ideo interiorem, ut omnia contineat: ideo exteriorem, ut incircumſcripta magnitudinis ſuæ majeſtate omnia concludat.* (*L. 1. de Sum. Bon. c. 2.*)

4. Quòd ſi obſcura, & noſtro captu altior videtur, hæc indiviſa totius DEI ubique exiſtentia; at clariſſimæ ſunt, & à nemine non facilè intelligibiles, quæ illam rationes demonſtrant. Dubitari ſiquidem nequit, quin, ve-

veluti corpora, sic & spirituales substantiæ suam magnitudinem habeant, & secundùm eam alicubi sint. Quapropter, si tantum cuique rei spatium debetur; quanta illius est magnitudo, neque aliam hæc habet in rebus incorporeis mensuram, nisi naturalem earum præstantiam, & agendi virtutem; cùm perfectio, & virtus agendi, quæ per naturam suam Deo inest, nullis circumscribi limitibus queat; dicendum necessariò est, nullis item limitibus spiritualem illius magnitudinem claudi, nec ullum reperiri posse locum, & spatium, cui intimè præsens non sit. Adde, quod DEUS, ùt suprà demonstravimus, immutabilis naturâ est, quíque nunquam possit moveri, & ad locum, ubi antea non esset, transire. Ergo vel, ubivis locorum existat, necesse est; vel, si alicubi non existit, impossibile omnino erit, eum ibi ullo tempore existere. Quocirca scitè admodum Christianorum quispiam, ab Alcuino relatus, (*2. de Trin. c. 7.*) interroganti, ubinam DEUS existeret; cedo, inquit, tu priùs, ubinam non existat: innuens hoc responso, stultè quæri locum, in quo summus ille universitatis Conditor, & Dominus sit: cùm nullus assignari locus possit, unde necesse sit, illum semper abesse: & ubi propterea necesse

non sit, eum semper adesse. Idem quippe spectata immutabilitate illius foret, alicubi eum semper non esse, ac debere indè semper abesse. Firmissima prolati argumenti vis est, & plus adhuc ex sequenti dilemate firmamenti atque roboris capiet. Fac enim DEUS, ceu Author libri *de mundo ad Alexandrum* (c. 7.) commentus est, in cælo duntaxat secundùm substantiam suam degat, à reliquo prorsus mundo absens, nisi quatenus, eum indè contemplans, & regens dici potest in eo existere secundùm præsentiam, ceu sol in hemisphærio, quod illuminat, & secundùm potentiam, ceu Princeps in regionibus suo imperio subjectis. Enim verò, si res ità se haberet, alterutra id fieret de causa. Quia ille nimirum alibi, quàm in cælo, degere vel non posset, vel nollet. Atqui non nisi certum, & determinatum aliquod spatiũ obtineri à Deo posse, veritati procul dubio, & rationi repugnat; cùm enim nullis illius perfectio, atque virtus coërceatur terminis, nullis quoque coërceri necesse est illius magnitudinem: & si hæc nullos habet, cur certos quospiam habere illius locus necessariò debeat: adeò ut, præter unum aliquod, reliquis omnibus ei perpetuò interdictum sit spatiis? Quisnam hos illi cir-

circumposuit cancellos? quis ità eum sepiit, conclusítque: super extremam cæli oram, quodillius carcer dici veriùs tunc posset, quàm Regia, imperiosum illud carmen incidens: (*Job. c. 38.*) *Usque huc venies, & non procedes amplius?* Reliquum ergo est, ut suamet ipsum sponte ità se arctâsse, & perpetuum à reliquis omnibus extra cælum locis indixisse sibi exilium, dicamus. At quis tam absurdam, insanámque voluntatem potuisse ab eo suscipi credat? Cùm longè optabilius, & melius cuique sit, posse ubivis locorum degere, quàm intrà certa quædam spatia immobiliter fixum, & à reliquis omnibus perpetua necessitate exclusum consistere. Concludatur itaque, posse DEUM totam simul mundi universitatem complere, ínque singulis ejus partibus eodem tempore existere, cùm id spatium infinita perfectionis, & virtutis suæ magnitudine amplius non sit: quod si potest ità totam obtinere, alienum ab omni ratione, & fide esse, quod unam tantummodo illius partem delegerit, intrà cujus cancellos, à cæteris quibusque in perpetuum absens, nec laxiùs degendi, unquam potens futurus, se includeret: nisi fortè ab eo id factum dicamus, nè inferioris hujus mundi sordibus majestatis suæ decus pol-

lueret: quæ Apulei, & aliorum quorumdam ab Anaſtaſio Synaita relatorum, (*L. 2. de Fid. Dogm.*) imaginatio fuit: ſtultiſſima ſanè imaginatio, quæque nuſquam poſſet idoneum, nisi in vacuis capitibus nanciſci locum. Perinde ac ſi lux ſolis, dum graveolentibus cloacis illabitur, labis aliquid, & fœtoris indè hauriat: aut quaſi illuſtrem Jobi animam ulceroſi corporis ſanies fœdaverit. *Sed homines carnalibus ſenſibus dediti*, (ùt animadxertit D. Fulgentius) *etiam ipſum DEUM non poſſunt, nisi animaliter cogitare.* (*Contra Serm. Faſt. c. 5.*)

5. Et profectò, nisi hujuſmodi veritas ex ipſiſmet humanæ rationis principiis ſat conſtaret; quonam pacto ab iis ſapientibus potuiſſet detegi, queis divinæ Fidei exortibus non aliud in philoſophando affulgebat, nisi ſolius lumen rationis? & tamen quot ex ipſis non modò eam cognoverunt, ſed & luculenta prædicatione evulgarunt? Talis certè Pythagoras fuit, qui, teſte Salviano, (*L. 1. de Gub. DEI*) dicebat, DEUM eſſe *animum per omnes mundi partes commeantem, atque diffuſum.* Talis Aratus, è cujus monumentis Virgilius ſuum illud deſumpſit hemiſtichium: (*Eclo. 3.*) *Jovis omnia plena.* Talis Annæus Seneca, qui negat, ad ullam mundi partem poſſe nos conver-

verti, quin DEUM ibi reperiamus præsentem. (L. 4. *de Benef. c.* 8.) *Quocunque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi Nihil ab illo vacat. Opus suum ipse implet.* Talis Plotinus, qui, inter principia lumine naturæ nota, hanc de DEO ubivis existente persuasionem reponit, (*En. 6. L. 5. c. 4.*) *Constat*, inquiens, *apud omnes homines, qui de DEO aliquid cogitant, DEUM esse ubique præsentem:* subdénsque paulò pòst in eandem sententiam, *id omnino esse institum humanæ naturæ, ut, si DEUM esse existimat, totum etiam esse ubique arbitretur.* Ità ille, cujus effatum manifestè comprobatur, vulgatissimo hominum usu DEI opem in dubiis quibusque casibus implorandi sinè ulla dubitatione, quin, submissa licèt voce, & tacita mente id faciant, audiendi ab eo sint. Quæ fiducia (ceu præclarè animadvertit Arnobius, L. 6. *c. Gent.*) neutiquam posset ità firma ab iis concipi, nisì persuasum ex naturæ instinctu haberent, eum, cui supplicant, toto se ubique præsentem adesse: ità ut eodem possit tempore audire fusas sibi tam hìc loci, quàm in remotis quibusque aliis regionibus preces, secundùm quæ sapientum tum argumenta, tum suffragia, judicandum cuivis relinquo, ferendáne sit absq; stomacho Auerrois temeri-

tas, quem D. Thomas ob crebras, & craſſas hallucinationes ſuas, *non Peripateticum, ſed Peripateticæ Philoſophiæ depravatorem* (*Opuſc.* 16.) nuncupat: dum quaſi Delphicũ conſcendiſſet tripodem, oraculi authoritatem aſſumens, nil dubitat eorũ ſententiam, qui Deum eſſe ubique arbitrantur, puerilem vocare. (*Diſput.* 14. *Met.*) O Judicem tum eorũ, quos damnat, tum cauſæ, propter quam eos damnat, prorſus ignarum! ſi Gregorios, Auguſtinos, Hieronymos, tótque alios Eccleſiæ Doctores clariſſimos, profanus homo ignorabat, nihílne etiam, quid ſpectatiſſima veteris Philoſophiæ lumina, Plotinus, Pythagoras, Triſmegiſtus, de divina immenſitate docuerint, cognoverat. An hos pariter præ ſe adeò deſpiciebat, ut abecedariis puſionibus annumerandos diceret. Itáne puerilis ſententia, DEUM eſſe ubique arbitrantium: ſententia, quam ipſamet natura hominum mentibus inſculpſit, lectiſſimúſque ingeniorum totius ævi flos unanimi comprobavit ſuffragio? ſed bene habet, quòd ſupercilioſus Philoſophaſter dignam vicem recepit, & à legitimo quidem, longéque majoris, quàm ejus ſit, authoritatis cenſore: cùm D. Gregorius Niſſenus manifeſtam eſſe adeò aſſeveret doctrinam, quam ipſe, quaſi puerorum

rum propriam explosit; ut eam ignorare puerilis intelligentiæ specimen sit. *Quis ità puerili est ingenio, ut ad universitatem aspiciens, in universitate non credat esse* DEUM, *in eam subeuntem, eique insidentem?* (*Catech. c. 25.*)

6. Parum tamen esset ad divinæ magnitudinis decus, totam ab ea, quantacunque est, mundi universitatem compleri. Addo, minimè his illam, aut ullis contineri posse certis limitibus, sed extra ultimi cæli fines, & quidquid creatarum est rerum, per amplissimos immanis vacui, sese undique circumfundentis campos, infinitè ad orientem, ad occasum, ad septemptrionem, ad meridiem excurrere, tota in sui medio, ad tenuissimi puncti instar, rerum existentium universitate relicta. Adeò ut, quemadmodum nullus cogitari potest tantus ante mundi procreationem annorum numerus; quin verum sit, infinitè priùs DEUM extitisse; sic neque ulla extra supremi cæli convexitatem fingi animo queat tam vasta spatiorum amplitudo; quin verum sit, DEUM infinitè ulteriùs diffundi: & sicut mens nostra, quantumcunque se ante prim m ævi ortum extendat, nunquam tamen divinæ æternitatis originem deprehendet; ità pariter, quamvis sinè fine ultra mundi spatia contendat, nullo

tamen pacto ad divinæ immensitatis extrema perveniet.

7. Neque verò, sive testium authoritas, sive rationum vis perpendatur, posse id vocari in dubium videtur. Quid enim? nónne in secundo Paralipomenon libro (*c.* 2.) legimus, tantam esse DEI magnitudinem, ut *Cælum, & cæli cælorum capere eum nequeant*? Quonam igitur pacto, quem cæli minimè capiunt, intrà cælos tantummodo existat? Humor, qui vase aliquo contineri totus nequit, illo usquequaque completo, necesse est supereſſe, & reliquum foras diffundi. Nónne Jobi, (*c.* 11.) *Altior cælo, profundior inferno, longior terrâ, & latior mari mensura ejus esse* dicitur? Quidnam, quæso, aliud hic significatur, nisi illius amplitudine etiam ea excedi, quæ à nobis maxima censentur? Nónne Baruch Prophetam præ admiratione exclamantem audimus, (*c.* 3.) *Quàm magna est domus* DEI, *& ingens locus possessionis ejus? Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus?* Atqui, si non ultra mundum pateret, fine aliquo clauderetur, verèque dici immensus nequiret.

8. Quid de sanctis Patribus dicam? quantam *nubem testium* cogere hìc possum, si omnes, imò si vel aliquos tantùm propositioni meæ

suff-

ſuffragantes in medium adducam? En Athanaſium, qui Serapioni ſcribens, *DEUM ubique, & extra omnia* reperiri affirmat. (*Ep.* 1.) En Cyrillum Hieroſolymitanum, qui idem acutè eruit, ex iis ſacrarum Literarum verbis, ubi cælum DEI ſolium appellatur, cùm nequeat, qui in ſolio reſidet, ultra illius ſuperficiem non eminere. (*Catech. 6.*) *Cælum ipſi thronus: ſed exuperat, & tranſcendit, qui ſedet.* En alium Cyrillum, Alexandriæ Antiſtitem, qui & ipſe locum DEO tribuit: *Extra omnia, & in omnibus.* (*L.* 11. *Com. in Joan.*) En Baſilium, qui eum non in ſpatiis duntaxat conſtituit, quæ re ipſa exiſtunt, ſed in iis pariter, quæ fingi cogitando poſſunt: (*In Eu. Joa.*) *Totum illud, quodcunque mente intellexeris, id ipſum reperies DEO plenum.* En Joannem Damaſcenũ, quo authore divina immenſitas (*L.* 1. *de Fid. c.* 14.) non ſolùm *implet omnia*, verùm etiam *ſuper omnia conſiſtit*: dicta idcirco aliàs ab eodem, (*Ib. c.* 8.) *Complectens omnia, & ſupraeminens, ſinè ulla inquinatione ſubſtantiis inſiſtens, & ultra omnia.* En Dionyſium Areopagitam, qui DEO tribuit vim exiſtendi: (*De Div. Nom. c.* 1. 3. *&* 9.) *In mundo, circa mundum, ſupra mundum*: utpote illi, cujus magnitudo *omni magnitudini extrinſecùs ſuperfunditur, & ſupra expan-*

panditur, omnem complectens locum, omnem excedens numerum, omnem transiliens infinitatem. Addítque, si dixerimus existere ipsum *in omnibus, quæ sunt; minus dicturos, quèm pro illius infinitate, quæ omnia excedit, & amplectitur.* Hujusmodi Græcorum Patrum est sensus, non diserta minùs, & concordi asseveratione à Latinis expressus. Testis sit Hilarius, qui, DEI locum nè cogitatu quidem posse omnino comprehendi, ait (in secundo de Trinitate libro sic scribens) *Curre sensu, si quid putas ei ultimum esse, eum semper invenies. Quia, cùm semper intendas; semper est, quò intendas: semper autem ejus locum intendere, ità tibi est, ùt ei esse semper sinè fine est.* Testis Prosper, cui non minùs proprium divinæ immensitatis videtur, loca omnia prætergredi, quàm æternitatis omnibus esse antiquiorem temporibus. (*Sent. 289.*) *Utque ævi spatia, ac numeros præcedit, & exit, sic nullo immensus cohibetur fine locorum.* Testis Leo Magnus, è cujus sententia: (*Hom. 3. de Nativ.*) *DEUS est totus ubique præsens, & omnia excedens.* Testis Gregorius, prædicti Leonis tam in Petri solio, quàm in Magni nomenclatura Successor, à quo DEI immensitas sic describitur: (*Hom. 8. in Ezech.*) *Ponamus ergo ante oculos mentis, quæ sit illa natura, quæ te-*

net

net omnia, implet omnia, circumplectitur omnia, superexcedit omnia, sustinet omnia: nec alia ex parte sustinet, alia superexcedit, neque alia ex parte implet, aliâ circumplectitur; sed circumplectendo implet, implendo circumplectitur, sustinendo superexcedit, superexcedendo sustinet. Idem videre est confirmatum à Seraphico Doctore Bonaventura, secundùm quem DEI esse; (*Itin. Ment. c. 5.*) *Quia simplicissimum, & maximum, totum est intrà omnia, totum extra omnia:* confirmatum à Thoma Aquinate, ubi docet: (*Quodl. II. a. I.*) *DEUM esse non tantum in his, quæ sunt, sed etiam in his, quæ possumus imaginari:* confirmatum denique, nè longior sim, ab Augustino: dum contrariæ opinionis vanitatem sic redarguit: *An fortè substantiam DEI, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco, sed fatentur incorporeâ præsentiâ ubique totam; à tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sunt, & uno tantùm, atque in comparatione infinitatis illius tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam? Non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros.* (*De Civ. L. II. c. 5.*)

9. Neque post lectissimam hanc Patrum aciem omittendi videntur seu illustres Theologi; commemoratæ illorum sententiæ assertores: uti Gulielmus Parisiensis, Cajetanus, So-

Soto, Molina, Valentia, Suarez, Hurtadus, Fonseca, Zumel, Becanus, Raynaudus; seu ii Ethnicorum sapientum, qui suum eidem calculum addiderunt. Quos inter præcipuum Trismegisto, ac Plotino locum deberi nemo ibit inficias: cùm & hunc disertè dicentem audiamus, (*En. 6. L. 8. c. 18.*) *Intra DEUM omnia esse*, tanquam intrà eum, *qui est omnium comprehensio, & mensura*; & ille palàm profiteatur, *DEUM esse ubique, tum in eo, quod est, tum in eo, quod non est*: addens inferiùs, *nec locum, nec magnitudinem circa eum esse. Omne enim est. Omne autem circa omnia, & per omnia.* (*Pim. c. 5. & 12.*)

10. Quid ergo? hæc tot, támque insignium Authorum consensio, an non per se sola sufficeret, ad persuadendum cuivis, quòd approbat? sed neque aliæ probationes desunt, ex intimis, ùt dici solet, propositæ rei visceribus ductæ: ipsæque etiam per se, ad eam extra omne dubium ponendam, sat validæ. Nam, quomodo immensus, & infinitæ magnitudinis DEUS concipi potest, si non nisì certum, finitúmque occupat spatium? Quomodo etiam major re ipsa mundo appellari, si, nè transversum quidem digitum, ultra hujus fines prominet? Si infinitæ magnitudinis cor-

corpus existeret, infinita certè spatia occuparet. Cur ergo protendi minùs debeat spiritualis magnitudo infinita? Adde, quòd, constituentes DEUM in universis, tam quæ existunt, quàm quæ existere possunt spatiis, immobilem simul, & mutari nescium evidenter ostendimus: utpote qui omnia semper, ac necessariò occupans loca, nihil utique novi habet spatii, ad quod acquirendum sese valeat extendere; ceu probè Trismegistus collegit, moveri posse DEUM negans, *Eò quòd omnia in ipso, & ipse in omnibus sit.* (*Asc.* 11.) Cùm è contrario, si eum nusquam opinemur extra mundi fines existere; non facilè appareat, quomodo sarta tecta constare illius immobilitas possit. Fac enim, alterum DEUS mundum (ceu procul dubio potest) millenis passuum millibus à præsenti hoc dissitum creet. Quæro, num ibi revera, & secundùm suam essentiam præsens existeret, an contra indè abesset. Si abesset, qualisnam dicenda illius immensitas foret, quæ neque creata, & vera quævis loca occuparet? si existeret, quonam pacto nova hæc in loco, ubi ante non erat, existentia, sinè motu, & mutatione intelligi potest?

11. Sed manifestior adhuc fiet doctrinæ propo-

positæ veritas, si duo refutentur principia, quibus opinio contraria suis veluti fundamentis, nititur. Alterum, extra ultimam mundi convexitatem nullum reperiri verum locum, sed purum vacuum, & nihil. Alterum, nullam rem posse in puro vacuo, & nihilo existere. Respondeo igitur, falsam primò esse, quæ ab adversariis statuitur, negationem omnis veri loci, atque spatii extra mundum. Esto quippe nullum ibi sit spatium materiale, & creatum, sunt tamen alia spatia spiritualia, & increata, citra illam determinationem quaquaversum porrecta, divinæ nimirum immensitatis spatia, in quibus consistit DEUS, & innumerabiles mundi possent consistere. Quocirca triplex possumus, cum Leonardo Lessio, spatii genus distinguere, creatum, increatum, & imaginarium. Creatum est terminatio illa exterior, qua unaquæque rerum in mundo existentium, ceu vase quodam sibi apto, & propriâ quantitatis suæ mensurâ concluditur. Increatum est DEI magnitudo, incomprehensibili nobis modo infinitè quaquaversum diffusa. Imaginarium denique locus ille creatus possibilis, quem nostra cogitatio, aliter nesciens divinam immensitatem exprimere, fingit sibi extra mundum

dum infinitè in omnem partem extendi. Nam, ſicuti divinam æternitatem nequimus mente apprehendere, nisì infinitam concipientes temporum ſeriem; ſic neque divinam imẽnſitatem, nisì infinitam imaginantes extenſionem locorum.

12. Falſum item eſſe, ac temere fictum contendo alterum eorundem principium, affirmans nullam rem poſſe in mero vacuo, & nihilo exiſtere, ſi merum vacuum, & nihil accipiatur, ùt ab ipſis accipitur pro negatione duntaxat omnis loci creati, à re exiſtente diſtincti. Nam, ùt mundum prætéream, qui explicari non poteſt, quo in loco creato, diſtinctóque à ſe exiſtat, DEUS certè ante mundi procreationem non minùs verè, propriéque exiſtebat, quàm nunc: & tamen in mero exiſtebat vacuo, ac negatione creati cujuſque, & diſtincti à ſe loci. Unde, præterquam quòd modò dicti adverſariorum principii falſitas palàm oſtendatur; firmiſſimum quoque argumentum eruitur, veræ illius, quàm Deo nos tribuimus, in infinito omni extra, & circa mundum vacuo exiſtentiæ. Admiſſo ſiquidem, poſſe illum in meriſſimo cujuslibet diſtincti à ſe loci, & creatæ rei nihilo exiſtere, imò etiam per omnem mundo prævi-

am æternitatem ſic re ipſa extitiſſe; nulla apparet ratio, cur potiùs in una tantùm aliqua prædicti vacui, ſeu nihili parte, nempe in ea ſola, quæ à mundo occupata eſt, quàm in alia quapiam majori, & plurium mundorum capaci, tunc fuerit. Ac proinde nulla ſuppetit ratio ambigendi, quandoquidem poteſt ille revera eſſe in vacuo cujuslibet ſpatii creati; quin poſſit quoque eſſe, imò ſemper fuerit, ſempérque eſſe debeat in toto infinito vacuo, quod extra mundum concipi poteſt, tanquam in ſpatio, quod unicum infinitæ illius magnitudini aptè, congruentérque reſpondet.

13. Nemo itaque in ſupremo univerſitatis Conditore ullam imaginetur ſimilem ei, quæ creatis rebus ineſt loci à ſuo eſſe diſtincti neceſſitatem. Ut ubique ille ſit, nullis eget locis, atque ſpatiis creatis: ſed ſive hæc adſint, ſeu deſint, eodem ſemper modo manet in ſe ipſo, ínque ſua immenſitate quaquaverſus, tum ubi eſt, tum ubi non eſt alter locus, infinitè diffuſa. Neque ideò magìs verè, & propriè in mundo exiſtit, quàm exiſtat in toto extra mundum vacuo, quámque ante mundum ubique itèm extiterit. Quemadmodum enim, priuſquam hunc in lucem educeret, non de-

erat

erat ipsi locus, ubi degeret, sed, ùt Tertullianus scribit, (*Contra Prax. c. 5.*) *Solus ipse sibi erat & mundus, & locus, & omnia*; sic neque, postquam illum intrà immensitatem suam peperit, acquisivit, cœpítque habere, in quo existeret, locum: aut intrà novi hujus loci ambitum suam compressit, quæ nullis ante cohibebatur terminis, magnitudinem: sed, retinens eam, qualis, & quàm interminata semper fuit, in illa una duntaxat, quasi in proprio sui loco pergit existere: nisì quòd nunc totâ ipsâ est intimè præsens exiguo huic puncto, nempe mundo, intra ipsam producto, cui antea, utpote non existenti, verè, ac propriè dici præsens haud poterat. *Ubi erat, antequam mundus fieret*, inquit D. Bernardus, *ibi est*, etiam post mundi effectionem: si per totam retro æternitatem commodè, ampléque in se ipso extitit; quídni possit in eodem illo tam antiquo, & idoneo sibi loco æquè commodè, ampléque etiamnum degere? *Ubi erat, antequam mundus fieret, ibi est. In se ipso erat: in se ipso est.* (*L. 5. de Conf.*)

14. Atque hinc est, quod, licèt nulla designari res possit, in qua DEUS verè, intiméque non sit; negat tamen Damascenus, designari ullam posse, in qua ceu in vero, pro-

prióque ſui loco ille ſit. (*L. 1. de Fid. c. 14.*) *DEUS non eſt in loco, ſed ipſe eſt ſibi locus.* Nec alia eſt Boëtii, & D. Anſelmi ſententia: quorum prior diſtinguit ſubtiliter inter eſſe *ubique*, quod tam proprium DEI eſt, quàm per poſſibilia quævis loca extendi; & inter eſſe *in quibuslibet locis*, quod tam alienum ab eo eſt, quàm loco ullo indigere. (*De Trin.*) *DEUS ubique eſt, ſed non in loco:* Alter verò ſimili diſtinctione utens, adverbium *ubique*, quando divinæ exiſtentiæ conjungitur, pro omni pòtiùs re, quàm pro omni loco intelligendum eſſe admonet. (*Monol. c. 22. & 23.*) Nam, *cùm locus non illi faciat, quod locus; non irrationabiliter dicitur, quia nullus locus eſt ejus locus.* Quemadmodum porrò, quia DEUS minimè circumſcribitur, & ſuſtentatur à ſpatiis creatis, ubi eſt; neutiquam, ut in vero ſuo loco, in iis eſſe dicitur; ſic, quòd ſpatia eadem circumſcribit, & ſuſtinet, illa in eo dici poſſunt, tanquam in veriſſimo loco ſuo eſſe: juxta Apoſtoli effatum, (*Ad Rom. 11.*) *Quoniam in ipſo ſunt omnia.* Et hic certè modus loquendi eſt, quo ſacri Doctores communiter, de ipſius exiſtentiâ diſſerentes utuntur: veluti (ut nonnullos recenſeam) Petrus Damiani: ſecundùm quem (*Opuſc. 36. de Omnip. c. 6.*) *DEUS eſt, ut ſic di-*

dixerim, locus illocalis, quia sic in se continet omnia loca, ut non ipse moveatur per loca : Veluti Arnobius, & Dionysius Areopagita, qui Deum vocant, prior (*L. 1. c. Gent.*) *Locum rerum, & spatium, ac fundamentum cunctorum, quæcunque sunt*; alter (*De Div. Nom. c. 10.*) *Sedem, & fundum, in quo omnia firmantur, & recumbunt*: Veluti Tertullianus, à quo DEUS dicitur (*Cont. Prax. c. 5.*) *Esse omnis locus, non ipse in loco*: Et veluti D. Augustinus, dum demonstrat ex eadem ratione, unde domus, in qua nos degimus, noster locus est, DEUM pro loco rebus esse, in quibus existit. *Aliter nos habitamus in domo, aliter* DEUS *in Sanctis. Tu habitas in domo, si subtracta illa fuerit, cadis*: DEUS *verò sic habitat in Sanctis; ut, si ipse discesserit, illi cadant. In quibus nos habitamus, illa nos continent. In quibus* DEUS *habitat, ipse illos continet.* (*In Ps. 123.*)

15. Quando igitur affirmamus, DEUM existere in imaginariis omnibus spatiis, nempe in toto illo inani, quod undique circa ultimam mundi superficiem sinè ullo termino expanditur; neutiquam dicimus, seu vera ibi reperiri spatia creata, seu illud vacuum, & nihilum instar loci DEO esse. Sed summa omnis sententiæ nostræ est, nusquam extra mundum creari aliquid posse, quin DEUS ibi

vice illius rei nunc existat, pérque totam retro æternitatem extiterit; ac proinde nullum esse posse ultra præsentis mundi fines absolutum, & omnimodum vacuum, nempe ubi nihil penitùs sit: sed aliquod solummodo vacuum, negationem nimirum cujusvis rei creatæ: cum qua tamen negatione DEUS ibi existat, & eodem sanè pacto, quo intrà mundum existit: nullum nempe alium habens locum, præter suam immensitatem, quæ infinitis spatiis, & locis creatis æquivalet, eorúmque omnium defectum supplere potest. Hæc, inquam, tota est doctrinæ hìc à nobis propositæ summa: de qua sanè sic intellecta non video, quidnam dubii superfit. Constat quippe apud omnes, in iis extra præsentis mundi ambitum imaginariis spatiis, ubi DEUM nos constituimus, posse ab illo alterum mundum produci, & constitui. Cur igitur, ubi nemo diffitetur, possibilem esse novi mundi existentiam, quisquam neget, posse ibi mundi Conditorem existere? Quidnam, rogo, difficultatis, aut absurdi hìc occurrit? Aut quænam ratio priorem illam partem admittendam persuadet; quin multò validiùs posteriori huic suffragetur? Itáne verò res creata ad vacuum suo esse occupandum sufficiet, & rerum omni-

mnium Creator eidem per ſuum eſſe occupando impar erit? Poterit illa, externo quamvis, & diſtincto à ſe loco opus habens, ubi nihil materialis loci eſt, produci, & permanere: qui autem illam ibi produceret, & loci inſtar contineret, non poterit per immenſitatem ſuam, quæ univerſalis eſt locorum omnium locus, & commune omnium ſpatiorum ſpatium exiſtere, ubi nulla, præter ipſam, ſint ſpatia? Poterit certè: & hoc ipſo revera pacto exiſtit, tam extra, quàm intra mundi univerſitatem, tam ubi nihil, quàm ubi quidpiam creatarum eſt rerum. Cùm enim diſtincto à ſe loco minimè indigeat, ſed ſuus ipſe, & rerum omnium ſit locus, manifeſtè appareret, tantundem illi, ad ubique exiſtendum, facere noſtratium locorum ſeu defectum, ſeu copiam: neque illum ideo minùs verè, atque propriè extra mundum, ubi deſunt hujuſmodi loca, quàm in mundo, ubi adſunt, exiſtere: ut qui nullo pacto ab iis pendet, ſed perinde hìc, atque illic, in uno, & eodem ſemper loco, ſua nimirum in ſubſtantia, & immenſitate immutabiliter manet: cum hoc tantùm diſcrimine, quòd in mundo rerum omnium creatarum fundamentum, locúſque ſit, extra mundum verò toti rerum ibi creabilium univerſitati pro loco, & fundamento eſſe poſſit.

16. En ergo, quo pacto DEUS concipi debeat, dum secundùm immensitatis suæ rationem spectatur. Concipi debet, tanquam esse in omnes latè partes infinitè exporrectũ, quódque necesse sit tam in rebus universis, quæ sunt, quàm extra eas reperiri: sed ità, ut non alium in ipsis habeat, quàm extra ipsas, locum. Cùm ubicunque sit, in se ipso semper subsistat, & ipse sibi proprius sit locus: imò locus primarius, in quo reliqua omnia entia, & loca subsistant, adeò ut nihil possit creari, & permanere, nisi intrà ipsius immensitatem: neque, quando mundum præsentem creavit, aliud revera fecit, quàm quòd intrà infinitam, & innumerabilibus capiendis mundis parem substantiæ suæ magnitudinem, certum aliquod, ac minimum designaverit spatium, in quo hunc collocaret, quem solum, ex infinito aliorum possibilium numero creare voluit: ultra, & circa ipsum, in sui medio constitutum, latiore incomparabiliter gyro se extendens; quàm ipse ultra, & circa intimum extendatur suæ magnitudinis centrum. Tale, inquam, concipiendum nobis est summum esse divinum; si dignam formare animo libet immensæ illius magnitudinis speciem. Quemadmodum enim, in percensenda causarum se-

ſerie, neceſſe omnino eſt ad unam aliquam devenire, quæ, à nulla alia originem ducens, reliquas omnes producat; ità in locorum conſideratione certus aliquis neceſſariò eſt deſignandus, qui, à nullo alio contentus, reliquos ipſe omnes contineat. Et, ſicut divina eſſentia primum principium, & univerſalis fons eſt, unde omnes aliæ oriuntur eſſentiæ. Sic divina quoque immenſitas princeps locus, & commune fundamentum dicendum eſt, ſuper quo creata quævis loca innitantur, atque innixa conſiſtant.

17. Jam verò, cùm dubitari prorſus nequeat, quin DEUS, ceu oſtenſum à nobis jam eſt, infinita ſua magnitudine & creatæ cuivis rei inſit, & per quævis poſſibilia, ultra rerum creatarum univerſitatem, ſpatia extendatur; utiliſſimæ exercitationis genus fuerit, eùm mente interdum concipere, jam primo ex duobus prædictis modo, ceu circa nos exiſtentem, imò & penitùs nobis infuſum; jam altero, ceu extra ultimam mundi ſphæram per imaginaria quævis ſpatia infinitè porrectum. Nam & prior conſideratio, identidem frequentata, uſui erit, ad jugem DEI memoriam, intimámque cum eo conſuetudinem inter medios rerum actus fovendam, & poſte-

rior, per otium aliquando usurpata, ad consentaneam infinitæ illius magnitudini reverentiam, admirationémque in animo excitandam, plurimùm conferet. · Si ergo primâ uti placuerit, quocunque oculos verteris; revoca in memoriam, DEUM ibi totâ suæ Divinitatis substantiâ præsentem existere, & multò quidem excellentiùs, quàm ulla rerum creatarum in eodem illo spatio degentium: cùm hæ ità ibi adsint, ut possint indè abesse; ipse verò nullo modo esse possit, quin perpetuò adesse ibi debeat. Imò & singulis rebus, quas præ oculis habes, multò intimiorem eum esse, quàm sibi illæ sint: cùm illæ non toto suo esse intrà quamcunque partem sui sint, ùt ipse nullam non earum partem esse suo implet. Hæc, inquam, tecum recogita, & pro indubitato habe illius ibi existentiâ non minùs firmiter credens, quàm si visu ipso perciperes: quemadmodum aërem tibi undique circumfundi, quamvìs noctu minimè videas, æquè tamen persuasum, certúmque habes; atque interdiu, cùm perspicua id in luce intueris. Tum animo reputa: quonam pacto afficereris, si, quem interiori tantùm fide, certissimâ illâ quidem, sed obscurâ adesse ibi tenes; prodigioso in lumine manifestum, & palàm se pro-

prodentem ipsismet oculis cerneres: qua illum animi submissione venerareris, quâ fiduciâ illius benignitati inopiam tuam commendares, quàm effusè gauderes, ità præsentem habere tuum supremum Conditorem, tuum cœlestem Dominum, tuum amantissimum Patrem: statuens postremò, eosdem erga ipsum quanquam solo fidei obtutu spectabilem, tuos esse affectus, atque sensus debere: cùm certissimè noveris, divinam ejus substantiam æquè veram, & totam tibi adesse, ac sub extraordinaria, & spectabili illa specie tunc adforet.

18. Sed multò adhuc vivacior repræsentatio DEI erit, si assuescas eum intueri, non coram te solummodo, & in rebus, quascunque aspicis, sed in te ipso etiam tota sua Divinitate existentem: nihilo scilicet minùs tuo corpori infusum, quàm anima eidem se infundat, nec minùs animæ tuæ intimum, quàm illa ipsa in se intimè existat. Nec parum quoque huc faciet, meminisse illorum D. Pauli verborum (*Act.* 17.) *In ipso vivimus, movemur, & sumus:* ità ut, ceu DEUM penitùs, atque assiduè intrà te esse concipis; sic & te simul non alibi, quàm intrà ipsum vivere, moveri, & versari concipias: multò magis ab illius immensitate undique circumseptum, & concluſum; quàm

quàm aviculam ab aëre, intrà quem volat, aut infantem à gravidæ parentis viſceribus, quæ illum vitali ſuo ſinu aſſiduè amplectuntur, vegetant, fovent, ac ſuſtinent: imagine enim verò perquàm apta, ad materna erga imbecillitatem noſtram DEI officia exprimenda, quámque idcirco apud Iſaiam ille uſurpavit, dilecto ſuo populo dicens, (*c. 46.*) *Audite me domus Jacob, qui portamini à meo utero, qui geſtamini à mea vulva.* Felix, qui hujuſmodi conſiderationibus familiarem ſibi reddet divinæ præſentiæ uſum, eas quàm creberrimè innovans, mentíque objectans. Quàm dulce indè animi pabulum, quos intimæ, aſſiduæque charitatis ardores, quantum alacritatis, & virium, ad quæcunque virtutum exercitia promptè obeunda, percipiet? ſed de fructuoſiſſima hac conſuetudine, quam nunc non niſi obiter delibavimus, in ſecunda noſtri operis parte fuſiùs, ac diſtinctiùs agemus.

19. Sin autem, præter modò dictas, proximiores repræſentationes, juvat aliquando extraordinariam, magíſque exaggeratam formare in animo divinæ magnitudinis ſpeciem; age, mentis obtutum intende, ad Deum contemplandum, qualem ſecundo ſuprà loco exhibuimus, ultra extremam mundi ſuperficiem

per

per infinita in omnem partem ſpatia quàm latiſſimè diffuſum: adeò ut totam rerum creatarum univerſitatem intra ipſum tibi repræſentes, quo pacto finita quævis magnitudo poteſt intrà infinitam ſpectari, inſtar minimi ſcilicet, & vix obſervabilis puncti, *tanquam momentum ſtateræ, & gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram*: prout D. Auguſtinus ſolitum ſe ſcribit fuiſſe, divinam immenſitatem concipere: (L. 7. *Conf. c.* 5.) proponendo ſibi primitus mundanæ totius molis amplitudinem, vaſtam illam quidem, ſed tamen finitam: ac deinde prius Conditorem *uſquequaque infinitum, omni ex parte ambientem, & penetrantem eam: tanquam ſi mare eſſet ubique, & undique per immenſum, infinitum ſolùm mare; & haberet intrà ſe ſpongiam, quamlibet magnam, ſed finitam tamen; plena eſſet undique ſpongia illa ex omni parte ſua immenſo mari. Sic creaturam finitam, DEO infinito plenam putabam: & dicebam, Ecce DEUS, & ecce, quæ creavit DEUS.* Ejus itaque mori, exemplóque inſiſtens, attolle in ſuperna oculos, & dic tecum ipſe: Quidnam illud eſt, quod tam longè ſupra caput meum eminet? Orbis lunæ eſt, elementa ſuo ambitu finiens. Et ſupra illum quid conſequitur? Alii deinceps, aliíque excelſiores cæ-

li.

li. Et ſupra illos omnes quid porrò? Deus: & ſuprà? Quid quæris ſupra, cùm ad ſummum deveneris? Nihil ſupra, & iterum ſupra, & centies ſupra, & quoties vis ſupra eſt, præter DEUM. Quanto maximo poteſt conatu, ſurſum versùm mens tendat, nec ullum per totam æternitatem ſaliendi faciat finem; nunquam adeò altè conſurget, quin & ibi, quò pervenit, DEUM reperiat; & infinita adhuc ſuperent ſpatia, per quæ poſſit intrà illum altiùs ſemper, altiúſque conſurgere. Superna hunc in modum pervagatus, & plena Deo nactus; perge ſimili mentis diſcurſu reliquas item partes, dexteram, lævam, quæque ſeu infra, ſeu ante, ſeu retro porriguntur, ſingillatim luſtrare: obtutum videlicet in earum unaquaque extendendo, quoad longiſſimè valet pertingere, tum ſic tecum ratiocinando: Quidnam rei ſupereſt ultra hæc omnia, quæ video? Alia, atque alia terrarum ſpatia ſuperſunt. Quid verò trans illa? Aër, quàm latiſſimè diffuſus. Et poſt totam illius extenſionem? Craſſitudo longè amplior ſphærarū cæleſtium. Et ultra illas? DEUS. Et ulteriùs? item DEUS: atque ità deinde ſemper DEUS, nec aliud quid præter DEUM: adeò ut, quantumcunque ulteriùs porrò cogitatio procedat,

dat, nunquam possit, nedum totam illius immensitatem transcurrere; sed neque tantùm in ea progredi, quin alia perpetuò, & infinitè majora ad novos ampliores processus, ibi spatia reperiat. Demum, post tam varios per divinam immensitatem ubique tibi obviam, & ubique interminatam discursus; quam diversis obtutibus, jam ex una, jam ex alia mundi parte infinitam spectâsti; uno obtutu, talem undique contemplandam desume: observánsque, vastam hanc mundi molem à latissimè circumfuso, nec usquam desinente illius ambitu, minimum quasi punctum in sui medio relictam; dic cum Augustino: Ecce uno sub aspectu coadunatum, quidquid cogitari rerum existentium potest: *Ecce DEUS, & ecce, quæ creavit DEUS.* Ubi etiam licebit tibi, rursus advertere, &, ceu in quadam imagine expressiùs intueri, quàm appositè ille, aliàs à nobis memoratus Sapiens, DEUM esse sphæram dixerit, *cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam.* Cùm, ùt palàm vides, è qualibet creatæ universitatis parte necesse sit, per ulteriora, & ulteriora semper spatia illius circumferentiam quærere, nec tamen, post quascunque progressiones, ullo tempore, ullóque in loco eam liceat deprehendere,

ut-

utpote quæ tam esse nusquam potest; quàm impossibile est magnitudinem infinitam terminum habere, ubi desinat. Quare non magis medius illi est, qui in terreni orbis centro, quàm qui in suprema cælorum superficie degit, cùm uterque infinito undique ambitu ab ea transcendatur: nec proinde ullum potest sive in terris, sive in cælis, sive ultra cælos designari spatium, quod appellari illius centrum, & quasi medium nequeat, æquali undique, quia infinita extensione ab ea circumseptum: nec, si DEUS etiam rerum universitatem centuplò hac præsenti majorem conderet; aliud ipsa quoque existimari posset, quàm novum centrum vastissimæ illius sphæræ, infinitis à dextra ejus parte, infinitis à læva, infinitis sursum, infinitis deorsum, & paribus à quavis parte spatiis extensæ. Quæ, si sedulo cogitatu ruminari, & versare tecum instituas, satagens, juxta Apostoli votum, (*Ad Ephes.* 3.) *Comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum* immensitatis divinæ, fieri utique haud poterit; quin ad ejus speciem obstupescas, humilíque cum terrore exclames, magnus es Domine, immensus, incomprehensibilis, nostróque non modò intellectu, sed admiratione

one etiam major. Absorbetur, & deficit mentis meæ parvitas, intrà tuæ immensitatem essentiæ. Quantò illam magis considero, tantò plus in ea mihi noscendum se objicit: & post ampliſſima quævis spatia, extra ultimas mundi oras emensa, lassatámque imaginationem vastioribus apprehendendis mensuris; non ultra illius centrum processisse me adverto. Totus itaque à tuo esse circumclusus, totúsque eodem pleniſſimus cum ea, quæ tam infinitæ magnitudini debetur, reverentia, adoro te intrà me, adoro circa me, adoro in mundo, adoro extra mundum, adoro ubique, nimirum in te ipso, qui tuus es, ac communis rerum omnium locus: locus princeps, immobilis, infinitus, quámque capax amplectendi suo ambitu, tam potens sustentandi sua vi, quidquid usquam seu existit, seu existere potest locorum: nec aliud ultra habeo exoptandum, nisi ut, veluti per essentiam, sic etiam per charitatem tibi semper, & ubique sim præsens.

CAPUT XX.

De infinita DEI scientia.

TRibus modis DEUM ubique esse D. Thomas (1. p. qu. 8. a. 3.) & Theologi comuniter docent, per essentiam nimirum, præsentiámque, & potentiam. Per essentiam quidem, *in quantum adest omnibus, ùt causa essendi:* per præsentiam, *in quantùm omnia nuda sunt, & aperta oculis ejus* : per potentiam, *in quantùm omnia potestati ejus subduntur:* quemadmodum quivis Regum per essentiam, nempe secundùm corpus, atque animam, est in solio, ubi residet : per præsentiam in tota aula, ubi est solium, videns nimirum, quæcunque ibi fiunt : per potentiam in universo suo regno, pro suo nempe arbitratu illud moderans. Cùm igitur primo modo DEUM in quibuslibet locis, & rebus existere, totâ scilicet suæ Divinitatis substantiâ penitissimè iis infusum, præcedenti jam capite ostenderimus; consequens est, ut duobus itèm reliquis modis ubique illum esse ostendamus: per potentiam videlicet, quidquid libeat, ubique operandi, & creata omnia suo nutu regendi, quod

quod duorum huic proximè ſuccedentium capitum materia erit : pérque præſentiam, & cognitionem, qua, quidquid uſpiam ſeu eſt, ſeu eſſe poteſt, clariſſimè perſpicit, quod in præſenti capite agendum ſuſcipimus.

2. Et quoniam cujuſvis ſcientiæ menſura, tum à rerum, quæ noſcuntur multitudine, tum à peculiari eaſdem pernoſcendi modo peti conſuevit; obſervandum nobis eſt, quàm eximia utroque hoc nomine ſit divinæ ſcientiæ perfectio, quam, ſive hinc, ſive illinc ſpectetur, palàm videbimus eſſe infinitam, imò etiam, ſi ità loqui fas eſt, plus quàm infinitam. Ità ſanè, talis & tanta primò eſt, ſi innumera objectorum, quæ perſpicit, multitudo attendatur. Nam, quæ tandem ex rebus univerſis, ſeu præſentibus, ſeu præteritis, ſeu aliquando extituris, ſeu quæ, hac, illáve conditione poſitâ, exiſterent, ſeu merè poſſibilibus nominari, aut concipi animo poteſt, quin eam DEI oculus, prout Eccleſiaſticus ait, (*c.* 23.) *Multò plùs lucidior ſole*, útque in Græca verſione legitur, *millies ſplendidior ſole*, exactiſſimo viſu introſpiciat ? Omnes profectò, omnes à maxima ad minimam, à ſuprema ad infimam, ſecundùm quamcunque ſingularum partem, proprietatem, affectionem,

nem, actionémque. seu absolutam, seu conditionalem, distinctissimè ille pervidet, & plenè comprehendit: nec circa earũ ullã vel arcanum occurrere potest, indagatu adeò arduum; quod ei manifestum, & meridiana luce clarius semper non fuerit; vel adeò inexplicabilis quæstio proponi, cujus certissimam solutionem in promptu non habeat. Quæ scientia, ùt ex dicendis constabit, multitudinem veritatum, & cognitionum amplectitur non infinitam duntaxat, verùm etiam infinities infinitam; ut perspicacissima quælibet cælestium spirituum intelligentia, obtutum in eam figens, hæreat, obstupescat, confundatur, deficiat.

3. Utque ab ea cognitionum classe ordiamur, quæ inter cæteras minor numero est; coadunantur primò intrà immensam divinæ scientiæ amplitudinem veritates omnes, naturâ suâ necessariæ, omnia videlicet disciplinarum, artiúmque principia, & quidquid consequentiarum ex unoquoque eorum ratiocinando elici potest, & causæ omnes seu remotæ, seu proximæ quorumvis naturalium effectuum: quod perinde est, ac si dicamus, omnes ibi contineri disciplinas, & artes, secundùm maximam, quæ convenire singulis que-

queat, latitudinem: adeò ut nulla in iis vel oriri dubitatio, vel fieri interrogatio possit, cui supremus earum Magister idoneo confestim responso satisfacere haud sciat: utpote cui uni verè congruit Plinianum illud de sapiente quodam elogium: (*Ep. 22. L. 1.*) *Nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit.* Sed hæc ludus videri, comparatæ cum reliquis possunt. Nam, præter jam dictam necessariarum veritatum scientiam, progreditur mens divina ad omnes singillatim discernendas, quæcunque vel fuerunt, vel sunt, vel aliquando erunt, spirituales, corporeas, animatas, animáque carentes substantias, Angelos, homines, pecudes, plantas, lapides, metalla, aquæ guttas, atomósque per aërem quaquaversum dispersas: omnia hæc continenter præ oculis habens; nec minùs perspicuè intuens, quæ longissimè retro fuerunt, ínque postremo ævi fine erunt, quàm quæ nunc in rerum universitate existunt; nec minùs exactè distinguens minima, & similia invicem corpora, quàm majora, & inter se notabiliùs diversa, unam nempe atomum, vel roris guttam à quacunque altera, quàm montem à monte, & sidus à sidere. Adeò ut, mare aspiciens, possit ibi statim discernere aquas è Tyberi illò in-

invectas ab iis, quas Padus, vel Danubius, vel quilibet alius fluvius eò detulerit: cúmque hyberno tempore ulmei alicujus nemoris folia, è ramis hac, illac delapsa, & temere confusa, humi jacent; promptissimum illi est non solùm sinè ulla dubitatione internoscere, ex quanam hæc, & ex quanam illa ulmo decide-rint; verùm etiam quæcunque singulis particulariter conveniunt, distinctè affirmare dicendo: exempli gratiâ, folium hòc in illo hujus ulmi ramo, ínque illa ejus virga tertio Kalendas, quintiles erupit, septimúmque in cæterorum ordine ibi locum habebat, illíque erat proximum, quod ventorum vi ablatum, centenis nunc ab eo passibus distat. Smiliter, ubi turbine aliquo pulveris nubes attollitur, & rursus, eo cessante, subsidit; de quolibet pulveris grano certissimè novit, síque interrogetur, referre illico potest, ubinam antea jacuerit, quódque ex aliis dextrum ei, vel sinistrum, quodnam supra, vel infra ipsum fuerit, cum sexcentis aliis id genus inobservabilium differentiarum minutiis. Neque solùm res singulas, quotquot vel fuêre, vel sunt, vel porrò erunt, cum majori, quàm cogitare valeamus, distinctione cognitas habet; sed cujuscunque insuper earum collectionis numeri,

ri, nil hæsitans absque mora temporis potest rationem exactissimè reddere: putà, quot muscæ natæ, mortuæque hoc anno, & quocunque alio ab orbe condito sint: quot nivis flocci hac, vel illa hyeme agros contexerint: quot hic, vel ille autumnus poma, hoc, vel illud ver protulerit flores: quot hac, illac toto aëre atomi volitent: quot Gangis, aut Nili alveus arenas contineat: quot diluvii Noëmici tempore è nubibus fluxerint guttæ: & mille alias hujusmodi humanæ arithmeticæ non computabiles summas. Adde huc, quòd de universis, singulisque modò dictis substantiis, tam præteritis & futuris, quàm præsentibus, ingentibus, ac pusillis, eximiis, & vulgaribus sciat, quidquid sciri, & quæri unquam potest: omnes nempe, licèt minimas earum partes, omnes nativas proprietates, omnes mutationes, quæ casu aliquo in iis contigêre, aut contingent, omnes denique earum actus, & motus, ex quo eductæ in lucem sunt, quoadusque pergent existere. Ac proinde, citra ullam cunctationem, aut errandi periculum, affirmare de unoquoque hominum potest, quot capilli in ejus capite, quot intrà venas guttæ sanguinis sint: quot in sua omni vita cibi bolos comederit, quot confecerit passus,

quot verba elocutus sit, quoties respirârit, quoties caput, aut manus moverit, omnes cogitationes, omnes oculorum conjectus, & quidquid mutationum à calore, frigore, & cæteris hujusmodi qualitatibus in illius corpore unquam acciderit. Idem dicendum de quocunque alio animantium, volucrum, aquatilium, serpentum, quadrupedum. Idem de quavis planta, vel arbore, quantum ad numerum illius, & ad varios à ventorum vi impulsus: idem postremò de multifariis circa loci situm, vel physicas qualitates mutationibus, quæ in quacunque aëris parte, in quolibet pulveris grano, ínque omni aquæ, pluviæ, fluvialis, ac maritimæ guttâ contigerint. Nempe hæc omnia, atque singula supremus ille *Luminum Pater* nullo non tempore explicatissima ante oculos habet, multóque novit certiùs, quàm nostrum nos nomen, ac quinos manus nostræ digitos teneamus: adeò ut, de quocunque interrogatus, nunquam possit dubitare, vel respondere, ignoro; sed confestim, quod quæritur, quale sit, fuerítque, aut erit, in medium proferre. Quidnam ergo, mi Lector, de hac objectorum, & cognitionum multitudine ais? multitudine tam immensa, ut impossibile nobis sit totam mente compleeti,

cti, sed necesse habeamus in millenas eam classes partiri, atque ità minutatim propositam, peculiaribus considerationibus intueri. Quantam esse illius mentis capacitatem par est, intrà quam diversa adeò, & innumera objecta, neque illa quidem, velut in angusto confusa, & se invicem præpedientia, sed cum summa laxitate, & aliorum ab aliis distinctione adunantur: quæque non minùs exactè unumquodque eorum comprehendit, quàm, si solum præsens haberet, nec ulli alteri præter ipsum vacaret? Nónne videris jam tibi audisse, quidquid dici de scientia summa, & omnimoda potest.

4. Sed enim verò sic arbitrari idem esset, ac divini intellectus metas in primo stadii sui ingressu statuere. Resume ergo tantisper obrutum auditis tot miraculis spiritum: & perge contemplari infinitum *plus ultra* reliquarum cognitionum, ad quas illa se extendit. Cùm, quasi nihil foret perspicere tum res omnes creatas, quæ vel nunc sunt, vel olim fuerunt, atque erunt; tum quidquid absolutè ad earum singulas pertinet, eadem insuper claritate intueatur, quidquid de unaquaque affirmari verè possit, si in aliis, aliisque constitueretur, vel constituta esset; circumstantiis,

quarum nullus definiri numerus potest: quidquid exempli gratiâ accidisset, vel accideret, si ego in quavis alia regione, vel temporis differentia natus essem: si locò habitudinis naturalis, quam sortitus re ipsa sum, aliam sortitus essem ex tam multis, quæ mihi potuissent obtingere: si millenis, millenisque diversis rationibus educatus à pueritia essem: si cum illo, vel illo differentium personarum genere consuetudinem habuissem: si quamcunque artem, & professionem vivendi elegissem, ex tam multis ab hac differentibus, quam re ipsa elegi: si his, aut illis forem vel incitamentis ad peccandum stimulatus, vel divinæ gratiæ præsidiis ad bene vivendum instructus, quæ utraque plura, & plura sinè ullo termino esse queunt. Ità planè; quidquid in unaquaque ex prædictis circumstantiis, & ex innumeris earum inter se combinationibus, revera à me, & de me factum esset, vel fieret, in quovis vitæ meæ momento, multò illi compertius semper fuit, quàm comperta sint nobis, quæ meridiana in luce perspicimus. Quò fit, ut præter iñumeras de singulis rebus tum creatis, tum creandis veritates, absolutè ipsi notas, tantò majorem, quia omnino infinitum, aliarum de iisdem veritatum, nempe conditiona-

onalium, numerum ſua cognitione amplectatur: neque ulla in hoc itidem genere ſit excogitabilis quæſtio, quam nequeat prompto, indubitatóque reſponſo expedire: diſertè pronuntians, quid circa unamquamque rem, ſive in hac, ſive in illa, ſive in alia quavis hypotheſi factum eſſet, vel fieret. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ DEI!* (*Ad Rom. 11.*) Quis huic tam variæ, inumeræque veritatum multitudini metiendæ par ſit? Noſtra mens, vix eam contemplari aggreſſa, hebeſcit, caligat, vertigine corripitur, tremebunda reſilit, nimiæque temeritatis ſe damnans, inter ipſos primos conatus terrori tota, ac deſperationi ſuccumbit.

5. Et tamen nondum vel dimidiam, imò nec milleſimam emenſi partem ſumus divinæ, ultra ſemper, atque ultra pertingentis ſcientiæ. Aliæ ſinè fundo abyſſi, alia ſinè ullis litoribus reſtant maria, ubi nedum infinitus, ſed infinities etiam infinitus veritatum eſt numerus. Et hujuſmodi ſunt profectò entiũ poſſibilium claſſes, omnia nempe illa, quæ, præter jam creata, & deinceps creanda, in vaſtiſſimo ſuo continet ſinu, potéſtque in lucem emittere, nec ullo tamen tempore emittet ſupremi Effectoris potentia: cùm & diverſæ talium

lium rerum ſpecies, & individua intrà unamquamque ſpeciem poſſibilia, omnem, ut ſequentì capite oſtendam, numerum, ac finem excedant: neque dubitari ullo modo poſſit, quin unumquodque ex hujuſcemodi objectis pari claritate, & diſtinctione à DEO cognoſcatur, ac quæcunque alia jam in mundo exiſtentia. Finge igitur, circa quodlibet cujuſcunque poſſibilis ſpeciei individuum, non plus ab eo, quàm unicam veritatem cognoſci. Quidnam hinc ſequeretur? ſequeretur extra omne dubium, quod paulò antè affirmavi, nempe infinitas etiam ſic, non modò cognitiones, ſed & cognitionum infinitates in illius mente extituras. Cùm enim quævis ſpecies infinita individua amplectatur, certæque ac peculiari cognitionum circa ea infinitati materiem præbeat, prout infinitæ ſunt ſpecies, ſic infinitas eſſe oporteret cognitionum de iis infinitates. Si ergo, etſi circa quodvis individuum poſſibile non nisì unicam veritatem DEUS noſſet: neceſſe nihilominus foret, conceptas ab eo de illis univerſis notitias infinities eſſe infinitas; quidnam, rogo, dicendum jam eſt, cùm circa unumquodque ex talibus individuis infinities infinitis, tot numero veritates ille debeat perſpicere, quot circa unumquod-

quodque ex individuis vel creatis, vel creandis ab eo perspici vidimus: singulas nempe uniuscujusque partes, qualitates, actiones, motus, & quidquid præterea de eodem, in quibusque aliis possibilibus circumstantiis constituto, enuntiari verè posset, obtutu exactissimo pervidens? Qualemnam, DEUM immortalem! cernere hìc est coacervatarum inter sese infinitatum abyssum? Quæve non hominum dicam, sed vel cælestium spirituum arithmetica revocare ad calculos, & certa supputatione complecti valeat, quidquid objectorum divina mens novit; si non modò illa, sed etiam ipsæ illorum infinitates ultra omnem numerum sunt? *Ecce DEUS magnus, vincens scientiam nostram. Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.* (*Job. 36. Ps. 139.*)

6. Neque verò existimes, quampiam hìc hyperbolen, quæ cæteroqui præcipuè adhiberi consuevit, ubi minimè necessaria est, nempe cùm de rebus sermo est suâpte naturâ eximiis, & communem modum egressis. Quidquid de divinæ scientiæ amplitudine hactenus diximus, dogma est, sive in revelationis divinæ, sive in humanæ rationis lumine inspiciatur, certissimum. Expendamus illud ad primum:

Quidquámne est capillis tenuius ? & tamen certos Euangelium nos facit, eorum numerum exactissimè à DEO sciri. (*Mat. 10.*) *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt.* Quidquámne cogitationibus animi abstrusum, & reconditum magis ? Et tamen in libris Paralipomenon legimus, nullam earum divinis obtutibus non patere. (*L. 1. c. 28.*) *Omnia corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes.* Quidquámne scitu incertius, quàm eventus futuri ? Et tamen, Ecclesiastico teste, (*c. 23.*) *Domino DEO, antequam crearentur, omnia sunt agnita.* Quæcunque ex propositionibus meis maximè universales sunt, ad examen vocentur. Ullane occurret, quæ sacris è libris vel descripta non sit, vel erui per consequentiam legitimam nequeat ? Infinitam DEI scientiam vocavi. Quid ? nónue talem David quoque appellat, dicens : (*Ps. 146.*) *Sapientiæ ejus non est numerus* ? Nihil ignotum DEO esse affirmavi. Aliúdne tandem hoc fuit, quàm repetere, quod prolatum pridem fuerat, tum ab eodem Regio Vate, dum ei canit : (*Ps. 138.*) *Tu cognovisti omnia* ; tum à Gentium Doctore, ubi scribit : (*Ad Hebr. 4.*) *Non est creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus* ? Dixi, suâ illum scientiâ com-

complecti, quidquid sciri veritatum potest. Nónne idem pronuntiaverat Ecclesiasticus ab his verbis suum librum exorsus, *Omnis sapientia à Domino* DEO *est, & cum illo semper fuit. Ipse creavit illam, & vidit, & dinumeravit, & mensus est?* Imò nónne ad ità loquendum mihi præiverat ipsum Verbum divinum, non tam veri cognitorem, quàm ipsammet puram putam veritatem se nominans: (*Joan. c.* 14.) *Ego sum via, & veritas, & vita?* Certè à veritate universè, ac generaliter sumpta nulla abesse peculiaris veritas potest: &, veluti appellans se alibi DEUS, non hoc, aut illud esse, sed ipsummet purum esse, *Ego sum, qui sum*; totum procul dubio esse sibi attribuit; ità hìc non hanc, aut illam veritatis speciem, sed veritatem universè vocans, apertissimè nobis innuit, nullam reperiri veritatem posse, cujus sibi desit possessio. Quo etiam videntur spectare illa D. Joannis verba, (*Ep.* 1. *c.* 1.) *DEUS lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.* Cùm enim luci sapientia, & tenebris ignorantia assimilari soleat; quonam pacto nihil tenebrarum in DEO esset, si vel unius veritatis inscitiâ laboraret; ità ut, de ea interrogatus, cogeretur respondere, nescio.

7. Transeundo jam à sacrarum Literarum

rum oraculis ad rationis humanæ argumenta; manifestissimam ex his quoque perspicimus divinæ scientiæ infinitatem. Nam, si rerum merè possibilium cognitionem attendamus; nemini profectò esse dubium potest, quin DEUS, suam omnipotentiam cognoscens, eas simul omnes, ceu inibi comprehensas clarissimè videat. Quod verò ad existentes, & deinceps extituras attinet; nisi opinemur, vel temere, & citra omne consilium, in his producendis eum agere; vel omnem illarum, postquam productæ sunt, curam abjicere, fateamur necesse est, distinctè ab eo cerni, quidquid ad unamquamque earum pertinet: neque tunc primò cerni, cùm esse illa incipit, sed in tota retro æternitate perspectum fuisse. Nam, cùm certissimò constet, immutabilem prorsus eum esse, nec proinde ullam posse adipisci notitiam, cujus antea expers fuerit; necesse procul dubio est, vel semper nota hæc illi fuisse, vel nunquam cognosci ab eo posse. Quantùm denique ad nostras cogitationes, & quæcunque ex libera animi determinatione volumus; quonam pacto credi potest, ullum ex hisce actibus seu ignotum illi esse, cùm eos omnes pro supremi judicis munere ad examen vocare, & dignis remunerari præmiis debe-

beat; sive ignotum saltèm priùs, quàm à nobis conciperetur, fuisse; cùm utpote naturâ immutabilis necesse habeat, quidquid aliquando novit, semper novisse, &, ùt suprà diximus, vel alternam rerum obtinere notitiam, vel in perpetua earum insciti versari. Adde, quòd, cùm quævis ignorantia mentis imperfectio sit; si quid ille veri ignoraret, haud utique esset, qualem suprà ostendimus, in quovis perfectionis genere omnino infinitus. Adde præterea, quòd, si illum primam esse, atque universalem omnium causam fatemur; omnem etiam, quæcunque esse potest, cognoscendi vim ab eo proficisci, ac proinde in eo contineri fateamur, necesse est. Adde postremò, quòd res omnis, cùm verum quoddam sit, debet posse cognosci, prout verè est, nec deesse proin, qui eam possit cognoscere. Unde sequitur, admittendam necessariò esse aliquam mentem, à qua, quidquid veri est, possit cognosci: &, si aliquam, certè divinam, ex qua una, velut ex immenso quodam fonte, omnis derivatur, qua reliquæ mentes pollent, cognoscendi facultas.

8. Quarum rationum vis ut clariùs perspiciatur, operæ pretium fuerit, demonstratæ rei exemplum ab oculo mutuari, quem

corporis intellectum ſapientes appellant. Hic ſcilicet, animatum veluti ſpeculum, nequit in ſe non exprimere, quidquid præſens ſibi eſt, quidquid nempe ex adverſo illi objicitur, intrà ſphæram activitatis ſuæ poſitum, & lumine congruenti illuſtratum. Quocirca, quæcunque conferunt ad majorem objectorum numerum ei repræſentandum, ut proſpectus loci latiùs patens, pupilla perſpicacior, & lumen vividius; conferunt quoque ad objecta plura in ſe exprimenda. Atque ità vetus ille Strabo, in Lilybæo Siciliæ Promontorio exiſtens, ob ſingularem oculorum vigorem, atque acumen (*Teſte Plin. L. 7. c. 21.*) diſcernere, & numerare poterat naves, è Carthaginis portu ſolventes, aliis minùs perſpicacibus oculis, in tanta mille ampliùs ſtadiorum longinquitate inviſibiles. Quemadmodum etiam quiſque noſtrum experitur, plura ſe objecta ex editiori, quàm ex plano loco, inque meridie, quàm ſub veſperam cernere. Finge igitur globum terræ univerſum nihil eſſe aliud, quàm oculum, & quidem inſtar ſolis fulgidum, & pro modo fulgoris ſui perſpicacem. Nonne talis oculus, quidquid in circumjecta undique regione rerum ſpectabilium eſt, neceſſariò videret? dubitari certè non po-

potest: Nam & rotunditatis suæ causâ pupillam in omnes æqualiter obversam haberet; nec earum ulla esset, ad quam immenso suo lumine, & pari perspicacitate non pertingeret. Perge jam, & sub simili specie divinam tibi mentem propone: nempe, quasi spiritualem quemdam oculum, immensæ magnitudinis, perspicacissimum, lucidissimum, & in omnes latè partes obversum, adeò ut nihil eorum, quæ cognosci possunt, intrà illius sphæram non sit. Talem, dico, illam animo concipe, nec difficulter deinde intelliges, quo pacto talis oculus, nullo non tempore, summáque cum claritate percipiat, quidquid in tota rerum universitate veri, & cognoscendi se objicit. Si enim ea est oculi bene affecti natura, ut necessariò videat, quæcunque habet præsentia; quidni necesse sit, vera omnia videri ab eo oculo, cui tanquam perfectissimo, nihil deest de summa perspiciendi virtute; & ùt immenso, atque æterno, omne verum semper est præsens? Omnis veritas cognitionis gratiâ est, nec quidquam magìs, quàm cognosci, optat; nec alia de causa interdum non cognoscitur, nisì quia idoneum cognitorem non invenit. Quamobrem idem esset, supremam DEI mentem alicujus veri ignaram concipe-

re, ac defectum in ea imaginari idoneæ ad intelligendum virtutis. At quis unquam, nisi mentis prorsus expers, quidquam suspicetur necessariæ ad cognoscendum habitudinis ei menti deesse, à qua omnis profluit cognoscendi facultas. *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? Aut, qui finxit oculum, non considerat?* (*Ps. 93.*

9. Certè imaginatio tam vecors neque apud sapientiores Ethnicorum reperit locum. Comperta adeò illis fuit divini intellectûs vis, ad quodvis verum pervidendum; ùt Græci, testibus Dionysio Areopagita, (*De Div. Nom. c. 5.*) & Gregorio Nisseno, (*Or. 12. c. eun.*) indè nomen DEO fecerint, Θεὸν quasi inspectorem, à verbo θεάομαι, intueor vocantes: quemadmodum apud Hebræos generali videntis nomine præscios futurorum Vates designare mos erat. (*L. 1. Reg. c. 9.*) *Qui Propheta hodie dicitur, olim vocabatur videns.* Quod si disertiora eorundem testimonia audire cordi est; præstabit hæc Trismegistus, tum ubi definit, (*Ascl. 11.*) *Intellectum summi DEI solam veritatem esse;* tum ubi contemplari nos jubet DEUM, (*Pim. 11.*) *Ut intelligentias omnes in se habentem*, præstabit Orpheus, qui Jovis o-

cu-

culum, utpote omnia perſpicientem, (*Marſ. Fic. L. 2. de immort. c.* 10.) *Oculum infinitum* appellat. Præſtabunt circa ipſarummet cogitationum ſcientiam, Thales Mileſius, & Annæus Seneca: quorum prior, ſciſcitanti, poſsétne aliquis, improbè agens, Deos latere; reſpondit, (*Laërt. L.* 1.) *Nè cogitans quidem*: alter verò affirmat, neque animam noſtram præſentiorem eſſe ſuis actibus, quàm ſit DEUS. (*Ep.* 83.) *Nihil DEO clauſum eſt. Intereſt actibus noſtris, & cogitationibus mediis intervenit. Sic intervenit, dico, tanquam aliquando diſcedat? Nempe ſemper adeſt, & ſemper inſpicit.* Præſtabunt verbis quàm maximè univerſalibus Plato, & Empedocles. Cùm & hic prædicaret, (*Sext. Emp. L.* 1. *c. Math. c.* 17.) *Nihil omnino eſſe, quod DEUM lateat*; & libro 10. de Legibus ſcriptum extet, *DEUM, cùm ſit omniſcius, cenſendum eſſe videre, & noſſe omnia, vel minima.* Præſtabit ille etiam cæteroqui ſemiatheus, rerum naturalium ſcriptor, qui, quamvis negaret, ullam DEO eſſe rerum noſtrarum curam, non tamen potuit, nimiâ rei evidentiâ coactus, ſummam illi pariter cognoſcendi virtutem eripere: cùm eum ſic deſcribat, (*Plin. L.* 2. *c.* 7.) *Quiſquis eſt DEUS, totus eſt ſenſus, totus viſus, totus auditus.* Quam ejus

sententiam apud Sextum quoque Empyricum reperire est, hoc versiculo expressam: (L. 8. *c. Math. c. An sint Dii.*) *Totus quippe videt, totus mens, totus & audit.* Usque adeò, quod Proclus verissimè tradidit: *Persuasum naturaliter est omnibus hominibus, Divinitatem omnia nosse.* (*Philop. ad 2. Procl. & in Alcib.* I.)

10. Demonstrandum jam est, quanta sit divinæ scientiæ perfectio, ratione etiam alterius initio propositi capitis, excellentissimi scilicet, & summè admirabilis modi: quo res omnes intelligit. Nam primò, quidquid Deus videt, non modò usquequaque comprehendit, nullam illius partem, qualitatem, actionémque omittens, quàm exactissimè non perspiciat; verùm etiam, ut recepto in scholis vocabulo utar, supercomprehendit: summa claritate discernens, quemcunque illius cum rebus cæteris omnibus, seu activæ, seu passivæ affinitatis, & relationis nexum: quod perinde est, ac in unoquoque peculiari objecto reliqua pene omnia cognoscere. Præterea, ad intelligenda quæcunque intelligit, nequaquam, instar nostri, opus ille habet, proprias objectorũ species ab iis mutuare: (alioquin nihil rerum posset, ante illarum existentiam cognoscere) sed pro unica specie, unicó-

eóque formali objecto cujuslibet cognitionis ſuammet habet eſſentiam: ceu illam, quæ omne in ſe bonum complectens, & omne à ſe malum neceſſariò excludens, ſola ſufficit ſe comprehendenti ad pleniſſimam, poſſibilia quævis ſeu bona, ſeu mala pernoſcendi virtutem. Ità expreſsè Areopagita: (*De Div. Nom. c. 7.*) *Non enim ex rebus ipſis res diſcens, novit eas divina mens: ſed in ſe ipſa, & ex ſe ipſa, ſecundùm cauſam omnium ſcientiam, & notitiam, & eſſentiam præhabet: non ſingulis ſecundùm cujuſque ſpeciem intendens, ſed ſecundùm unicam cauſæ complexionem cuncta ſciens, & continens. Nam, ſi ſecundùm unam cauſam* DEUS *eſſe omnibus impertit, ſecundùm eandem cauſam ſciet omnia, tanquam ex ſe exiſtentia, & in ſe ipſo ante præexiſtentia. Non habet itaque* DEUS *peculiarem ſcientiam ſui; aliam verò communem res omnes complectentem. Ipſa enim omnium cauſa, ſe ipſam cognoſcens, nullo modo ea, quorum cauſa eſt, ignorabit. Hac igitur* DEUS *res cognoſcens, non ſcientia rerum, ſed ſcientiâ ſui illas novit.* Quem modum intelligendi res, non per aliam, quàm ſuæmet unius eſſentiæ ſpeciem, agnoſcit D. Thomas (*L. 1. c. Gent. c. 49.*) in iis Pſalmi 101. verbis: *Dominus proſpexit de excelſo ſancto ſuo*, ſubjungens, *quaſi de ſe ipſo excel-*

celso alia videns. Neque solùm, ad cognoscenda objecta creata, nullis DEUS propriis eorum speciebus indiget, satìs harum loco habens suam divinam essentiam, quasi speciem, quæ omnes alias excellentiori continet modo; sed neque cognitione distincta à se ipso indiget, supplente hujus quoque vicem eâdem suâ essentiâ. Quod à supradicto Angelico Doctore tum aliis rationibus, tum hac speciatim probatur: *Quia* (L. 1. c. Gent. c. 45.) *omnis substantia est protpter operationem*: ac proinde, si DEI operationes ab eo distinguerentur, ipse esset propter aliquid distinctum à se: *Et sic non esset sua bonitas, cùm bonum cujuslibet sit finis ejus.* Præterquam quod esse optimum, quale procul dubio est divinum, nequit, ut ab Aristotele additur, ullam in se habere potentiam, quæ aliunde compleri egeat: sed necesse est, ut purissimus, simplicissimúsque actus sit, nempe entis genus, per se omnino perfectum, & suamet omnis perfectio. Cujus principii nequaquam constaret veritas, ubi aliud foret ipsius esse, aliúdque ipsius intelligere. (L. 12. Metaph. c. 9.) *Si, quod est ejus substantia, non intellectio est, sed potentia; profectò non optima est substantia.* Unde per legitimam ratiocinationem concludit Plotinus, ut digna for-

formetur in animo divinæ mentis ſpecies, concipiendam eam eſſe, non quaſi habilem omnia cognoſcere, ſed quaſi ipſammet perpetuam, immutabilémque omnium cognitionem: (*En.* 5. L. 9. *c.* 5.) *Mentem debemus accipere, non eam, quæ potentiâ, ſed quæ actu, & perpetuò ſit mens. Quod niſi eſt ità, adventitiam habet intelligentiam:* declarans idem alibi his verbis, *Intellectus* (de ſummo & divino loquitur) *nequaquam ex potentia, quæ intelligere poſſit, in actum prodit intelligendi. Quod enim in potentia eſt, exigit alterum, quo accedente, perducatur ad actum: quod autem à ſe ipſo ſemper ità ſe habet, eſt actus.* (*En.* 2. L. 5. *c.* 3.)

11. Ex hac porrò divinæ ſcientiæ prærogativa, quòd nempe unum, idémque cum DEO ſit, tria inſuper alia conſequuntur mira admodum, & prorſus ſingularia illius decora. Primum eſt, quòd, licèt infinita complectatur objecta, non tamen idcirco ex infinitis cognitionibus conſtat, quæ inter ſe diſtinguantur, & aliis aliæ objectis reſpondeant: ſed unicus tota eſt, atque ſimplex obtutus: ſufficiens intrà immenſam virtutis ſuæ ſphæram comprehendere, quidquid ſciri, & perſpici poteſt, nihílque ob tantam rerum ſibi objectarum multiplicitatem, diſtractus, aut labo-

rans magìs, quàm ſi ex toto illo numero unam tantùm quampiam ſpectaret. *Sed nec diverſis* (libeat D. Petrum Damianum audire) *obtutibus diverſa conſiderat: ut, cùm intendit præteritis, vacet à præſentibus, vel rurſus, cùm præſentia & futura conſiderat, oculos à præteritis avertat: ſed uno duntaxat, & ſimplici præſentiſſimæ majeſtatis intuitu ſimul omnia comprehendit: neque hoc confuſè & inexplicatè, ſed omnia diſcernit, & juxta proprietatem ſuam diſtinguit.* (*Opuſc.* 36. *c.* 7.) Quemadmodum enim, qui è loco, ſupra univerſum theatrum eminente, illud ſpectat, poteſt unico obtutu, quidquid in unaquaque parte ejus fiat, ſimul cernere; ſic DEUS, *in ſupremo rerum vertice infallibiliter ſupereminens, quaſi quodam profunditatis, & æterni conſilii circulo non modò cuncta temporum ſpatia, ſed & loca, & univerſas amplectitur creaturas. Sed hæc omnia uno contemplationis ictu, & ſimplici ſemper aſpectat intuitu.* Deus certè, non nisi illius proprium, & creatæ cujuslibet mentis capacitatem excedens: cùm nemo non experiatur, quàm ſibi arduum, & laborioſum ſit, vel duobus objectis, quæ invicem non cohæreant, animum ſimul attendere.

12. Sequitur ſecundò, æternam, immutabilémque, & eandem ſemper eam eſſe: ità ut

ut nunquam DEUS possit vel cognitionem acquirere, cujus expers antea fuerit, vel quam antea possederat, per oblivionem amittere: nec, quia objecta ab eo cognita assiduè variantur, & aliis alia succedunt; idcirco alia item, atque alia illius sit scientia, nempe jam de his, jam de illis objectis, jam magìs, jam minùs latè patens, jam clarior, jam obscurior: sed, sicut cum divina essentia idem est; sic ejus ritu talis, & tanta semper sit, qualis, & quanta esse unquam potest, semper æquè perfecta, æquè universalis, æquè infinita. *Non enim* (verba sunt D. Augustini) *more nostro ille, vel, quod futurum est, prospicit, vel, quod præsens est, aspicit, vel, quod præteritum est, respicit: sed alio modo quodam, à nostrarum cogitationum consuetudine longè diverso. Ille quippe, non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter videt: ità ut omnia, quæ temporaliter fiunt, stabili, & sempiternâ præsentiâ comprehendat: nec aliter nunc, & aliter antea, & aliter postea: neque enim ejus intentio de cogitatione in cogitationem transit, in cujus incorporeo contuitu simul adsunt cuncta, quæ fecit.* (L. 11. *de Civ. c.* 21.) Quapropter, ratione hujus invariabilis scientiæ, nec Plotinus (*En.* 4. *L.* 3. *c.* 26.) patitur, DEO tribui præteritorum memoriam; nec D. Gre-

Gregorius (*L. 20. Mor. c. 23.*) propriam in eodem futurorum præscientiam agnoscit. Cùm enim universis ille temporibus totus semper sit præsens; & quidquid est præteritum, novit, sed non quasi illius reminiscens; & quidquid futurum est, aspicit, sed intuitu, quali præsentia aspici solent, *Ità ut* (quemadmodum citatus paulò antea Hipponensis Doctor concludit) *nec ea, quæ dicuntur præterita, ibi prætereant; nec ea, quæ dicuntur futura, quasi desint, expectentur, ut veniant, sed & præterita, & futura cum præsentibus, sint cuncta præsentia: nec singula cogitentur, & ab aliis ad alia cogitando transeatur, sed in uno conspectu simul præsto sint universa.* (*L. 15. de Trin. c. 7.*)

13. Tertium decus est, quòd hæc tam excellens scientia nullo laboris, studiíque sumptu DEO constat, sed tam necessaria illi est, quàm suummet ipsum esse; cùm non aliud sit illum esse, quàm perfectissimam rerum omnium scientiam esse. Ac proinde, quemadmodum nihil laborandum, & satagendum ei est, ut sit, qui est; sic neque ut sciat, quidquid scit: & velut speculum nulla arte, nullísque penicillis, & coloribus indiget, ad pingenda quæcunque habet præsentia; sed, simul atque aliquid ei objicitur, confestim, & necessariò

in

in ſeſe illud exprimit; ſic mens divina minimè opus habet, cogitationes intendere, ullóve artificio, & conatu ad indagandam rerum veritatem uti: ſed, immenſi cujuſdam ſpeculi inſtar, cui omne verum ſemper eſt præſens; totum illud, ſinè ullo conatu & labore, immobili, æternáque cum neceſſitate configuratum in ſe exhibet. Nisi quod ſpeculorum imagines ab objectis, quæ exhibent, velut à ſuo exemplari promanent: cùm divina rerum creatarum cognitio primarium ſit exemplar, unde illæ omnes, quaſi totidem ſimulacra, eſſentiæ ſuæ formam accipiunt. Quare convenientiùs vocari poteſt æternum, & univerſale prototypon, in cujus virtute ante omne tempus extiterint, & ad cujus imitationem ſuis temporibus effingantur, quæ alia deinceps, atque alia in lucem prodeunt noſtrarum cognitionum objecta.

14. Quos tam miros, & ſingulares intelligendi modos quiſquis rite perpenderit, manifeſtè agnoſcet, creatam omnem ſive hominum, ſive Angelorum ſcientiam præ divina nihil eſſe aliud, quàm meræ inſcitiæ caliginem. Agnovit id ſanè etiam in cæca infidelitatis nocte Pythagoras: primúſque, teſte Laërtio, (L. I.) appellari Philoſophus, ſeu amator ſapien-

entiæ voluit: repudiato, tanquam DEI unius proprio, sapientis nomine, quo antea naturalium disciplinarum Professores insigniri consueverant. Nec minùs eandem veritatem perspexit, publicéque professus est Socrates, oraculi Delphici voce (*Laërt. in ejus vita*) *Mortalium unus verè sapiens appellatus*: contestans suis civibus, non aliam esse hominum sapientiam, quàm ut suam agnoscant insciti am: idque causæ fuisse, cur tributum sibi ab oraculo sit sapientis nomen: non quòd verè esset, sed quia probè intelligebat, sese talem haud esse. *Revera, ô Athenienses* (en sapientissimum ejus effatum) *videtur solus DEUS esse sapiens. Quòd verò Socratem nominet sapientem ob id facere, quò nomine meo utens, quasi sic dicat: Is, ô viri! sapientissimus est, qui, quemadmodum Socrates, novit sapientiam suam nihili esse pendendam.* (*Plat. in Apol. Socr.*)

15. Talis igitur, támque eximia, tum à multitudíne objectorum, tum à modo ea noscendi, contemplatrix scientia DEI est. Quid porrò de admirabili arte, & practica scientia dicemus, quam in procreandis, tuendis, moderandísque rebus exhibuit, atque exhibet? Nè pigeat, mi Lector, eam paulisper attendere, nova quippe in illius contemplatione re-

reperies miraculorum, humanam prorsus fidem excedentium theatra. Cernitur primò singulare hujusce artis ingenium in tam innumeris, diversísque naturis, quas intrà se concepit, atque in lucem produxit: quarum nulla dignè explicari potest, quantum extraordinariæ admirabilitatis in suarum partium numero, symmetria, & concinnitate præseferat. exemplo sit unius corporis humani structura. Hoc, si Galeno credimus (*De Form. Fœt.*) sexcentos ampliùs continet musculos, quorum unusquisque decem habeat usus, seu fines: adeò ut circa ipsos duntaxat, ultra sex finium millia, ab opifice attendi necesse fuerit. Ossa verò ducentesimum superant numerum, singula ad quadragenos usus facta: qui profectò usus omnes, supra octies millenos ante operis aggressionem prospiciendi, & rite observandi fuere. Adde jam tot reliquas ejus partes, ùt venas, viscera, cartilagines, nervos. Adde operationes vegetandi, sentiendi, atque intelligendi, quæ in eodem fiunt, &, quarum causâ, tam multis, tam variis, támque artificiosis organis eget. Adde postremò (nè in exequenda ventris, stomachi, capitis, aurium, manuúmque anatomia, justò prolixior sim) miram adeò cujuslibet hominis à quovis alio di-

diversitatem, præsertim in oris conformatione, inque vocis sono, secundùm quæ vix unquam contingit, ut duo prorsus conveniant. *Parvum dictu* (inquit Plinius) *sed immensum æstimatione, tot gentium sermones, tot linguæ, tanta loquendi varietas. Jam in facie, vultúque nostro, cùm sint decem, aut paulò plura membra, nullas duas in tot millibus hominum, indiscretas facies existere: quod ars nulla in paucis numero præstet, affectando.* (L. 7. c. 1.) Tantum certè in hujusmodi opere subtilitatis, atque ingenii obiter consideranti intuendum se offert; ut, si nullum aliud DEUS nobis exhibuisset sui specimen; satis hoc uno artificem se divinum probâsset. At quantò sese talem luculentiùs probavit, cùm præter inventionem, effectionémque jam dicti, exquisitissimi sanè, sed unius operis tot alia graphicéque adeò elaborata architectatus sit; quot, & cujusmodi sunt brutorum animantium, & plantarum species, quas in rerum universitate ubique obvias spectamus? Neque solùm tam multiplici artificiosissimorum operum varietati concipiendæ animo, inque lucem promendæ par fuit; verùm etiam, quasi totum id pro nihilo ei foret, in fœcundissimo, ut sic loquar, mentis suæ utero novas habet alias, infinitè plures,

lon-

longéque admirabiliores, nobis prorsus ignotas, nec ullo cogitatu assequendas ideas: quarum ad exemplar innumeras statim posset diversissimas ab iis, quas hactenus creavit, rerum species producere: imò etiam innumerabiles mundos fabricare, singulos, seu substantia, seu forma spectetur, tum huic nobis cognito, tum cuilibet aliorum dissimiles. Et hujusmodi ideæ semper intrà illius mentem extitere, atque existent, *non tanquam formæ ab aliis impressæ, sed ùt archetypa, & ut ipsa mentis substantia,* (*Plot. En. 5. L. 9. c. 5.*) quales ibi Ethnicus sapiens aspexit: adeò ut, qui vastissimam illam mentem penetrare, ac emetiri obtutu posset; *Immensos quosdam* (ùt D. Augustinus scribit *L. 11. de Civ. c. 10.*) *atque infinitos thesauros rerum intelligibilium illic deprehenderet*: quidquid videlicet seu factum jam est, seu fieri insuper potest, summa cum distinctione repræsentatum, & in unam speciem collectum: speciem profectò non sinè infinita admiratione, & voluptate intuendam, & cui parem, similémve nusquam alibi est cernere. Præsertim quòd res creatæ, secundùm certissimam D. Anselmi doctrinam, (*Monol. c. 33.*) Longè ibi nobiliùs, quàm in semet ipsis existunt, nempe quasi unum idémque aliquid cum

ſuo illo æterno exemplari : ac proinde, quanquam mutabiles & corporeæ, immutabiliter, ac ſpirituali modo ibi ſunt, nec qualis natura earum eſt, temporariæ ac mortales ; ſed, qualis ſuprema illa ſtatio, inoccidua, æternæque : ſimiliter atque artis cujuſcunque opera in illius virtute priuſquam fiant, & poſteaquam deſtructæ ſunt, continentur, haud tanquam effecta artis, ſed tanquam ars ipſa : neque illis vitiis deformia, quæ ſæpenumero à materia, vel artifice habent, ſed omnibus numeris abſoluta, cúmque tota illa perfectione, quæ arti per ſe ipſam convenit. Quam Anſelmi doctrinam D. quoque Auguſtinus pridem tradiderat, vocans Verbum divinum, (*L. 6. de Trin. c. 7.*) *Artem quamdam omnipotentis, atque ſapientis* DEI, *plenam omnium rationum, viventium, & incommutabilium* : colligénſque indè, à beatis Cælitibus clariùs videri res creatas in Verbo divino, ubi illæ (*L. 11. de Civ. c. 29.*) *Habent cauſas, rationéſque, ſecundùm quas factæ ſunt, incommutabiliter permanentes*, quàm in propria earundem natura : quippe cùm hìc videantur quaſi effecta artis divinæ, illic verò quaſi ipſa ars divina.

16. Mirè itèm elucet architectonica ſupremi Effectoris ſcientia, in ordine tam certo, &

& concinno, quo hanc rerum universitatem disposuit: creans illam (*Sap.* 11.) *In mensura, & numero, & pondere*: suámque, ùt Ecclesiasticus scribit, (*c.* 1.) sapientiam super unamquamque effundens: adeò ut ratione artificiosissimi nexûs, quo omnia, cùm primùm in lucem prodiêre, aptata, & sibi invicem juncta sunt, invariabilis tot jam sæculis duret planetarum per eosdem semper calles motus, annique tempestatum mutua in orbem successio: elementorum, primarúmque qualitatum hostiles discordiæ, pro eo ut dissolvatur rerum universitas, ei potiùs conservandæ, & perpetuò instaurandæ deserviant: Rerum genera & species ab assidua individuorum corruptione nullum deficiendi periculum metuant: in causarum quà peculiarium, quà universalium operationibus cum incredibili varietate summa misceatur consensio: quódque admirationem omnem excedit, quævis tot naturarum & partium suum duntaxat bonum, atque finem respiciens, nullum toti incommodum afferat: quin imò illa ipsa privatæ suæ utilitatis procuratione, totius harmoniam, pulchritudinem ac perfectionem constituat. ad quos effectus certò assequendos, quanta, rogo, consideratione, & providentia opus fu-

it? Quot quámque díverſæ minutiſſimarum quarumlibet mundi partium ordinationes effingendæ animo, inter séque comparandæ fuerunt? Quàm intimè unamquamque rem creandam inſpici & cognoſci oportuit, non ſolùm ſecundùm ſuam peculiarem naturam, & proprietates ipſi inſitas; verùm etiam ſecundùm illius proportionem, habitudinémque ad cæteras cujuſvis generis res, è quibus mundus componitur.

17. Nec minor in mundo perpetim adminiſtrando, quàm in eódem ſemel conſtituendo, divinæ providentiæ amplitudo, & capacitas cernitur. Nihil quippe tam abjectum, parvíque adeò momenti eſt, quod ſupremus ille arbiter ſua attentione indignum exiſtimet, cujus curam aſpernetur, cui ſe toto non vacet; adeò ut nulla uſquam res, etiam minima, finè nutu & conſilio ejus fiat; non roris gutta humum riget, non folium ex arbore decidat, non palpebra oculi nictitet, non vermis aut culex intereat. Ubique præſens intervenit, ubique operatur, ubique operantes dirigit. Eodem tempore, quo in cælo Angelos beat, in terra jumentis pabulum præbet: eâdem providentiâ, qua toti univerſitati adeſt; ſingulas illius partes complectitur: ità cuilibet rei, mi-

nimæ intendens, ut si à quavis alia otiosus interim foret, nec minus de infimis, quàm de summis, & præstantissimis cogitans: *Quoniam,* ùt ait Sapiens, (*Sap. 6.*) *pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* Quæ gubernationis ratio usque adeò humanum omnem modum, ac morem excedit; ùt Ethnicorum multi, veluti tanto Principe indignam, illiúsque felicitati, & quieti plùs nimiò importunam, ab eo prorsus excluserint: *Irridendum* arbitrantes cum Plinio, nedum vitâ, & sensu carentium, sed etiam *humanarum rerum curam agere illud, quidquid est summum.* (*L. 1. c. 7.*) Irridendi enim verò ipsi potiùs, dum curtâ suæ imbecillitatis decempedâ metiendum duxerunt capacissimæ illius mentis vigorem. Perinde quasi curam gerere de iis, quæ in mundo universo, imò in mille mundis fiant, quidquam pertubationis, molestiæque DEO afferret, nec esset potiùs, prout Salomoni visum est, oblectamenti, & ludi instar, dum divinam nobis sapientiam proposuit, non veluti occupatam, & laborantem, sed quasi *ludentem in orbe terrarum.* (*Prov. 8.*) Quamobrem Trismegistus temperare sibi minimè potest, quin adversùs tam impiæ, fatuæque opinionis authorem exclamet, (*Pim. c. 14*) *O dementem!*

ô cæcum! & totius divinæ cognitionis expertem! Nihil est magìs, ô Asclepi! ridiculum, quàm quod huic accidit. Nam, dum se DEUM *venerari fatetur, eò quòd negotio, curáque liberet,* DEUM *prorsus ignorat: quódque deterius est, mortalium illi passiones adscribit, superbiam, ignorantiam, imbecillitatem.* Qui alibi etiam scitè, appositéque ad præsentis rei declarationem, ait, velut lineæ à centro prodeuntes multæ numero sunt, sed in illo puncti speciem referunt; haud secùs res creatas extra DEUM varias, & multiplices apparere: at intrà ipsius mentem non nisì objectum unicum dici posse: quarum procuratio non magìs eum fatigat, quàm nos fatiget oscitandi, vel movendi unius digiti cura. *Summa gubernationis supremo illi Domino paret, non ùt multa, sed potiùs ùt unum. Ex uno enim cuncta defluentia cum distantia videntur, creduntur esse plurima, adunata verò unum.* (*Ascl. c. 8.*)

18. Prodigiosissima demum eadem supremi Moderatoris ars in hominum regimine apparet, dum, plenam iis libertatem operandi pro suo arbitru relinquens; ità res disponit ac temperat. ut etiam quando contra divinas Leges suas agunt, divinis tamen suis consiliis, nescientes, atque inviti famulentur, ac ipsa-

met

met illorum perversitas suæ sit providentiæ instrumentum: quæ res sibi adversas, per obliquos, ignotósque ipsis calles ad destinatum sibi finem perducit, è tenebris lucem, ex confusione ordinem, éque malo bonum eliciens: adeò ut nemo unus pravo naturalis arbitrii usu illius possit voluntatem frustrari, sed per ipsas, quibus eam fugit, vias, in eandem cogatur incurrere: non aliter, inquit D. Anselmus, ac, qui in mundi centro sphæris undique cœlestibus circumcluditur, nullo pacto ab his valet longiùs recedere; imò, quantò magis una ex parte illas fugit, tantò ex altera iisdem fit proprior. Ità, *quamvis homo divinæ voluntati, & ordinationi subjacere nolit, non tamen eam fugere valet. Quia si vult fugere de sub voluntate jubente, currit sub voluntatem punientem. Et sic ipsum, quod perversè vult, aut agit, in universitatis ordinem, & pulchritudinem summa sapientia convertit.* (L. 1. *Cur* DEUS *homo c.* 15.) Artificii enim verò mirabilis genus, per quod DEUS (*Sap. c. 8.*) *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*: Cum summa efficacitate, in suo fine obtinendo, parem suavitatem, in eodem quærendo, conjungens. Qualis foret aurigæ dexteritas, qui libera omnino indomitis sex jugalibus frœna

permittens, ità nihilominus moderari cursum, eósque ad certa viarum divortia statuere obices sciret; ut ii, post multifarias hac, illac exerrationes, ibi demum, quo appellere decretum ipsi fuerat, sisterent cursum. Atque huc pertinent improvisæ illæ fortunarũ conversiones, quæ toties in mundi theatro repræsentantur, illáque primo aspectu fortuita, nodorum, qui penè inextricabiles videbantur, solutio. Huc repentini illi eventus, quibus DEUS labefactare amat superbas molitiones, à politicorum astu, quasi totidem turres Babel contra cælum extructas: (*Isa. c. 44.*) *Convertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens.* Huc revolutio super impios excidiorum, quibus ipsi conabantur justos obruere. Huc demum exaltatio probitatis, per easdem illas machinas, quibus hostes eversum eam iri sperabant: In quorum fidem innumera exempla suppeterent: sed unum locò omnium produxisse sat fuerit Patriarcham Joseph, qui, ùt pulchre animadvertit D. Gregorius: *Ideo à fratribus venditus fuerat, nè adoraretur: sed ideò est adoratus, quia venditus. Indè quippe coacti sunt voluntatem DEI peragere, unde hanc moliti sunt astutè commutare. Sic, sic divinum consilium, dum evitatur, impletur: sic humana sapien-*

entia, dum reluctatur, comprehenditur. Timuerunt fratres, nè Joseph super eos excresceret: sed hoc, quod dispositum divinitus fuerat; cavendo factum est, ut eveniret. Humana ergo sapientia in se ipsa comprehensa est, quæ voluntati DEI unde per intentionem restitit, indè ejus impletioni militavit. (L. 6. *Mor. c.* 12.)

19. Quòd si in hoc gubernationis genere aliqua evenire videmus, præsertim circa permissionem malorum, & distributionem bonorum, quorum æquitas, & ratio vel ignota penitùs nobis est, vel parùm perspicua; non ideo perturbari debemus, &, quod nonnulli insani, impiíque faciunt, divinam Providentiam in dubium vocare: sed sapientissimum potiùs Salomonem audire, ubi ait: (*Eccles. c. 8.*) *Intellexisse se, quòd omnium operum DEI nullam possit homo invenire rationem: &, quantò plùs laboraverit ad quærendum, tantò minùs inveniat:* pro certissimo, & primi instar principii habentes, deesse nobis potiùs notitiam rationis, & finis, cujus gratiâ tales eventus justè possint decerni, quàm DEO æquitatem defuisse, & sapientiam in iis decernendis. Nam, quid tandem miri est, si supremi illius Moderatoris judicia, ob innumerabiles circumstantias, quas respiciunt, & longissimam futuro-

rum eventuum seriem, unde contexuntur dicta jure optimo: (*Ps.* 15.) *Abyssus multa*, ante suum exitum perobscura interdum, minúsque probabilia nobis apparent: cùm circa plurimas etiam humanarum artium operationes in eadem nos experiamur illarum convenientiæ, & rationis inscitia versari? si itaque (argumentatur hìc D. Augustinus (*In Ps.* 148) nemo temerarii adeò & præcipitis judicii est, qui aliquod ignotæ sibi artis opificium aspiciens, ideo duntaxat, quia verum illius usum non intelligit; pro inepto, & nulli usui opportuno illud damnet: sed quivis, *etsi non habet peritiam artis, habet saltèm considerationem hominis*, dictitare intrà se solet. Hoc opus utpote ab homine talium rerum perito elaboratum, suum finem, atque usum habeat, necesse est, quamvìs ego illum, ob meam hoc in genere imperitiam, haud noverim: *Artifex novit, quare, etsi ego non novi*: si hac, inquam, judicandi æquitate uti erga quemvis figulum, erga quemvis fabrum lignarium, erga quemvis sutorem, in eorum officinis, & circa eorum opificia solemus: quidni eadem utamur erga DEUM in sua hac mundi officina, & circa rerum humanarum eventus, qui in eadem, quasi proprio divinæ illius artis effecta cernun-

nuntur? Cur hìc ſolummodo, ſi quid non percipimus; potiùs artificem ſapientiſſimum reprehendere, quàm noſtræ id tribuere imperitiæ velimus? *In officina non audet homo vituperare fabrum, & audet vituperare in hoc mundo DEUM?* Tale eſt argumentum ſancti Doctoris: argumentum adeò evidens, ut etiam inter ſuperſtitionis ethnicæ umbras cognitum à Trajani Cæſaris Magiſtro fuerit. Unde & ipſe illo uſus eſt, ſcribens: (*Teſte Plut. de ſera Num. Vind.*) *Facilius eſſe de rebus muſicis muſicæ imperitum diſſerere, quàm res Deorum inveſtigare eum, qui ſit homo. Quid ergo miremur, ubi humana ità difficulter percipimus, ſi non facilè nobis explicatu ſit, cur Dii peccantes alios maturiùs, alios ſeriùs plectant?* Sed quò adhuc meliùs illius vis intelligatur, operæ pretium erit, ſic illud urgere. Certum eſt, quotieſcunque rerum humanarum regimen in hac, vel illa ſui parte à recto videtur deflectere; alicui ex tribus hiſce cauſis eſſe id neceſſariò imputandum: vel quia DEUS de mundi gubernatione nil cogitet, vel quia illum minùs juſtè & ſapienter gubernet, vel quia ejus gubernatio, quamvìs rectiſſima, nobis prava, ex neceſſariæ notitiæ defectu videatur. Age jam, examinetur ſecundùm humanæ rationis principia, quænam

nam ex hujuſmodi cauſis ad veri ſpeciem propiùs accedat. Priores duæ rationi apertè repugnant, nec poſſunt pro veris ab ullo ſanæ mentis homine admitti. Quàm enim evidenter conſtat, DEUM exiſtere, tam certum eſt, non poſſe illum vel ſinè cura rerum humanarum eſſe, vel ſinè debita in iis procurandis ſapientia, & juſtitia. Tertia verò nihil habet, cur contingere nequeat, creditúque ideo difficilis ſit: cùm frequentiſſimè experiamur, nos falli in judicando de rebus, & quidem minùs perplexis, quàm ſit totius univerſi gubernatio. Cujuſnam igitur, non dico imprudentiæ, ſed inſaniæ fuerit, effectum, de quo quæritur illis malis cauſis tribuere, quæ evidenter impoſſibiles ſunt, quàm huic, quæ tam crebrò uſuvenire cernitur? adeò ut veriſimilius exiſtimemus, poſſe DEUM vel omnino incogitantem rerum humanarum eſſe, vel in adminiſtrandis iis parum providum, quàm noſtram mentem in judicando de illius regimine hallucinari? Apage, apage cum hujuſmodi perverſitate. Si enim in prima mundi procreatione (*Gen.* 1.) *Vidit* DEUS *cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, cur in eo gubernando, & ad finem ſuum promovendo, minùs recta operandi ratione uſus credatur? adeò

ut

ut de hac itidem affirmare non liceat. (*Eccleſ. 3.*) *Cuncta fecit* DEUS *bona in tempore ſuo : non poſſumus eis quidquam addere, vel detrahere?* Síque Ariſtoteles primi principii loco habuit, conſtituítque, (*L. 1. Pol. c. 2.*) *Nihil naturam facere fruſtrà*; quonam pacto Chriſtianorum aliquis poterit tam perversè de ſupremo naturæ Authore opinari, ut eum credat, non modò fruſtrà, & ſinè ratione, ſed perperam quoque, & contra rationem aliquid facere. Si quiſpiam ità comparatus animo foret, nihil neceſſe eſt, ut ſive Apoſtolus in aurem ipſi inſuſurret, (*Ad Rom. 9.*) *O homo! tu quis es, qui reſpondeas* DEO? ſeu ille Jobi amicus ei repetat, (*c. 36.*) *Quis poterit ſcrutari vias ejus? Aut quis poteſt ei dicere, operatus es iniquitatem? Memento, quòd ignores opus ejus. Ecce* DEUS *magnus, vincens ſcientiam noſtram.* Seu D. Bernardus eum doceat, quàm ſua iſthæc temeritas non fidei duntaxat, ſed & ipſi rationi adverſetur: (*Ep. 191.*) cùm nihil ſit aut *magìs contra fidem, quàm credere nolle, quidquid non poſſis ratione attingere*; aut *magìs contra rationem, quàm ratione rationem conari tranſcendere.* Sufficiet ad eum redarguendum Epictetus ſua illa interrogatione, (*Arrian. L. 2. c. 7.*) *Ignaviſſime homo! num aliud quidquam melius, quàm quod viſum*

DEO

DEO *fuerit* ? Sufficiat Plutarchus teſtificans, parum dixiſſe eum, qui juſtitiam DEI ſolio perpetim aſſidere ſcripſit: cùm ipſe veriùs per ſe (*Ad Princ. Ind.*) *Jus fáſque ſit, léxque omnium legum antiquiſſima, & perfectiſſima.* Sufficiet Chryſippus, qui, ubi aliquid incompertæ, abſtruſæque rationis contingeret; (*S. Cyril. 3. in Jul. ad c.* 4.) *Nolebat dici, quis ſcivit?* (nempe an hoc magis expediret) *ſed, hoc omnino erat melius.* Ego ſanè, ſi fors aliquando naturalis meus ſenſus tentet divinæ Providentiæ decreta in quæſtionem vocare: ex imis animi penetralibus muſſitans, quidnam ſit cauſæ, cur maximus ille univerſi Rector tantam patrari ſcelerum multitudinem ſinat, cùm cæteroqui facillimum ipſi foret ea omnia, & ſinè ulla quidem noſtræ libertatis læſione ab hominum vita prohibere: cur nonnullis tam multa æternæ ſalutis adjumenta ſuppeditet; aliis verò ſolum propemodum naturalis rationis lumen videatur relinquere: Cur his, poſt vitam flagitioſiſſimè actam, reſipiſcendi ſpatium indulgeat; illos autem, vix primo ſcelere admiſſo, ad æterna detrudat ſupplicia. Cur animarum, quas cæleſtis gloriæ aſſequendæ gratia creavit, ſuíque ſanguinis pretio redemit, pleraſque ruere in tartarum ſinat,

quan-

quanquam & eas omnes innumeris posset viis ad beatissimum illum finem perducere; & illæ multò ibi clariùs divinam justitiam in se ipsa perspicerent, quàm possint eam apud inferos in aliquo ejus effectu, nempe in suis pœnis cognoscere: Cùm hæc, inquam, aliáque id genus ex me quæri, intrà me audio, nil difficultatis ibi reperio, unde illico expedire me nequeam, uno hoc planissimo, & communi responso: Cur prædicta eveniant, in obscuro quidem mihi est, sed cùm DEI nutu permissúque eveniant, persuasissimum habeo, justam aliquam eorum rationem suppetere: Nam alioqui prava, & rationi contraria essent; quam pravitatem DEUS utpote sapientissimus cognosceret, & tanquam rectissimus exploratam & cognitam nollet. Si ergo dubitari non potest, quin ille summa sapientia, & æquitas sit, neque fieri nullo pacto, ut summa æquitas velit, quod pro justo non habet, aut summa sapientia, quod injustum est, pro justo habeat; manifestissimè apparet, quæcunque ille velit, justa ipsi videri: dúmque talia ipsi videntur, talia omnino esse: ut pro certissimo habendum sit, quod ex dictis evidenter consequitur, aliquam ejusmodi rationem, esto imbecilli nostræ menti incompertam

tam illic reperiri, quam DEUS, utì perſpicuè intuetur; ſic pro cauſa juſtiſſima habeat volendi quæ vult, & faciendi quæ facit. Hoc, ùt dixi, cõmune reſponſum ſufficientiſſimum mihi videtur ad omnes in præſenti materia quæſtiones tollendas, tanquam indubitatis, & ſolidiſſimis, quæ vel Orthodoxa fides, vel humana ratio habeat, principiis ſuffultum. Ad ſummum, juvat cum Salviano concludere, (L. 3. *de Provid.*) *Nihil in hac re opus eſt aliquid audire. Satìs ſit, pro cunctis rationibus, author DEUS.* DEUS hoc voluit, DEUS hoc decrevit; ergo impoſſibile omnino eſt, quin rectiſſimum ſit: neque, poſt inventam dialecticam, ulla unquam conſtructa argumentatio eſt, quæ ſtabiliora fundamenta, & conſequentiam certiorem habuerit. (*Pſ.* 117.) A *Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Imò, quantò aliquid ex decretis à Deo in ſpeciem abſurdius, & minus approbandum videtur, tantò in ejus fide facilius mihi eſt acquieſcere. Cùm, quantò imprudentior, conſiliíque, & æquitatis magìs expers DEUS foret, niſì juſtam & validam habuiſſet illud decernendi rationem, tantò evidentiùs ſequatur, debere neceſſariò, tametſi nobis minimè appareat, magni quampiam momenti ratio-

tionem esse, cujus ille gratiâ, justè sapientérque id decreverit. Egregiè S. Augustinus: *An verò usque adeò desipiendum, ut videat homo melius aliquid fieri debuisse, & hoc* DEUM *vidisse non putet; aut putet vidisse, & credat facere noluisse: aut voluisse quidem, sed minimè potuisse? avertat hoc* DEUS *à cordibus piorum.* (L. 1. c. Adversʃ. Leg. c. 14.)

20. Quæ cùm ità se habeant, colligamus in brevem summam explicatas hactenus scientiæ divinæ prærogativas, reputantes cum animis nostris, quantæ illa mens perspicacitatis, & amplitudinis sit, quæ totam simul videt, nullóque non vidit tempore infinitè infinitam objectorum, quotquot vel extiterunt, vel extitura sunt, vel existere possunt, varietatem: quæque singula à maximo ad minimum perfectè comprehendit, imò & supercomprehendit: perfectissima claritate discernens, quæcunque eò pertinent, déque illis sciri possunt, non modò prout absolutè in se ipsis sunt, sed etiam prout cum quibuslibet aliis rebus connexa. Præsertim quòd hæc omnia per unicam speciem, unicóque obtutu DEUS videat, quæ species, quíque obtutus nihil aliud sunt, quàm essentia ipsius. Quamobrem ipsemet sua infinita scientia est, ad quam comparandam

nullo ſtudio, aut labore opus habuit, ſed totam, quantacunque eſt, ſemper poſſedit: ceu aliquid ſecum omnino idem, ac idcirco non minùs ſibi neceſſarium, quàm ſit æternum ſuum eſſe. Neque in hac ſiſtit ſpeculatrice totius veri ſcientia; ſed practicam ei adjungit, noſtra omni nedum cogitatione, verùm etiam admiratione majorem: ſive incredibilis æſtimetur fœcunditas, qua tam multas, támque varias rerum omnium poſſibilium ideas, & ante omne tempus concepit, & aſſiduè collectas in ſua mente, tanquam in æterno, perfectiſſimóque earum exemplari habet: ſive attendatur ordo tam mirus, quo univerſas ampliſſimæ hujus univerſitatis partes diſpoſuit, & mutuò inter ſe colligavit: adeò ut, licèt aliæ aliis naturâ contrariæ, totum nihilominus ſtabile, uniforme, & ſibi undique aptum conſtituant: quin imò ſuiſmet ipſis deſideriis illius harmoniæ, perpetuitati, ac pulchritudini ſerviant: ſive intentiſſima, & pervigil obſervetur, qua creatis rebus etiam minimis adeſt, innumerámque tot actionum diverſitatem, quot in mundo omni, ſecundùm ſingularum ejus partium naturam fiunt, ad fines ſuos dirigit: nihil omnino tam multiplici procuratione impeditus, diſtractúſve, ut in mediis ejus actibus,

bus, ludentis potiùs ſecuritatem, quàm occupati, & negotioſi ſolicitudinem præſeferat: ſive demum Providentiæ ratio attendatur, qua humanam libertatem, adeò cæteroqui refractariam, deſtinationibus ſuis famulari, efficaciſſimè juxta, ſuaviſſiméque compellit: iiſdem viis, quæ propoſito ſuo maximè videntur contrariæ, ad illud exequendum, ignaram, & alia omnia cogitantem, perducens, adeò, ut nihil tam perversè ab hominibus fiat, quin plus boni indè elicere, eóque ad ſua conſilia obtinenda, & majorem totius univerſi perfectionem uti neſciat. Conſiderentur, & ſuis rite perpendantur momentis ſingula hæc ſupremæ illius mentis decora: & dijudicetur poſtremò: *Numquid DEO comparari poſſit homo, etiam cùm perfectæ fuerit ſcientiæ.* (*Job.* 22.) Num ſcilicet ſapientia non unius duntaxat doctiſſimi hominis, ſed omnium, quotquot doctrinâ inprimis excelluêre, hominum, imò etiam ipſorum cæleſtium ſpirituum divinæ queat ſcientiæ comparari; an veriùs, huic comparata, omnino evaneſcat, nihiloque plùs luceat, quàm ſemimortuus nitedulæ fulgor, meridiani ſolis lampadi oppoſitus.

21. Nos mirari Ariſtotelem interdum ſolemus, quòd tam multiplicem omnium penè

rerum ſcientiam animo complecti potuerit. Sed quid proportionis habet quicunque veritatum ab eo Philoſopho cognitarum numerus, cum infinitis objectis, quæ divinus intellectus cognoſcit: neque id ſanè, Ariſtotelis ritu, confuſè & dubiè: ſed ità, ut, quidquid ſunt, & quidquid ad ea pertinet, clariſſimo comprehendat intuitu? Miramur Picum Mirandulanum, aliáque ejuſdem notæ ingenia, quòd paucis juventæ annis ampliſſimos intrà mentem ſuam cumularint ſublimium doctrinarum theſauros, eóſque aquilas, phœnices, & prodigia vocamus. Sed, etſi tales revera ſint, hominibus collati: quantùm tamen ab aquilis, & phœnicibus diſtant, ſi cum DEO conferantur, qui non intrà breve tempus plurimarum rerum ſibi comparavit ſcientiam, ſed quidquid ſciri poteſt, nullo non tempore compertiſſimum habuit? Miramur Archimedis ſubtilitatem in excogitandis machinis, quarum vi efficerentur, quæ humanos conatus videbantur tranſcendere. Sed quid omnes illius inventiones, & machinæ ſunt, præ minimo viventium corporum, quæ maximus naturæ totius Conditor ex immenſis ſuarum idearum theſauris, & tam multa in lucem produxit, & infinitè adhuc plura poteſt, quando-

cun-

cunque sibi libeat producere? Miramur amplitudinem mentis, quam Julius Cæsar, aliíque præsetulêre, cùm ternis, aut quaternis simul scriptoribus diversas omnino materias, citra ullam cogitationum, sibi mutuò obturbantium, confusionem dictarent: (*Solin. c. 5. Plin. L. I. c. 25.*) Sed quantula istiusmodi est amplitudo ad facilitatem, qua DEUS, quæcunque à differentibus tot naturis seu in terris, seu in cælo fiunt, uno eodémque omnia tempore disponit, moderatur, gubernat? Miramur politicam Cyri Persarum Regis, & Augusti Romani Cæsaris sapientiam, in tam vastis imperiis fundandis. Sed quænam comparatio esse potest imperatoriæ illorum artis cum providentissima ratione, qua DEUS immanem hanc mundanæ universitatis Rempublicam & primò constituit, & semel constitutam tot annorum jam millibus regit? Principes terreni ùt ùt extraordinariâ ingenii solertiâ, varióque rerum usu instructi, quàm multis tamen adjutoribus indigent, tum ad cognoscenda, quæ hac illac in eorum ditione accidunt; tum ad examinandum, dispiciendúmque, quid maximè fieri expediat; tum ad ea, quæ in rem visa sunt, strenuè, accuratêque exequenda? supremus Regnator in amplissima

ſua gubernatione ſibi unus ſat eſt: ipſe explorator, qui, quæcunque in abſtruſiſſimo quovis angulo eveniunt, renuntiet: ipſe interior ſenatus, qui accommodatiſſima ad temporum opportunitates conſilia reperiat: ipſe adminiſter, qui omnia, quæ uſus rerum poſtulat, temporis momento perficiat: ipſe oculus, ipſe auris, ipſe mens, ipſe manus, ipſe omnia. Homines, eſto in negotiorum conſultationibus ſubtiles aliquando, & ingenioſas, ea rite obeundi, rationes excogitent; non tamen pari ſemper cum dexteritate & prudentia, in iiſdem mox adminiſtrandis, & ad exitum promovendis verſantur. Altiſſima DEI conſilia certiſſimo ſemper tramite ad propoſitum ſibi finem perveniunt. (*Eſai. 55.*) *Verbum, quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet, quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.* Homines, quantacunque mentis capacitate prædiți, nequeunt multis ſimul & diverſis negotiis debitam attentionem impendere, ſed neceſſe habent, de his primò tum de aliis deinceps, atque aliis cogitare. DEUS cogitatione unica omnibus ſimul, quæ in mundo aguntur, attendit & proſpicit. Homines, etſi interdum reconditam quampiam veritatem penetrent, non id tamen aſſe-

assequuntur, sinè prævio & plerumque laborioso, ac diuturno, in ea pervestiganda, conatu. DEO verò nihil laborandum est, ut occultissima quæque veri arcana semper prospiciat, quàm ut prima, atque æterna veritas sit. Homines demum, quantò plura continenti multorum annorum studio didicerunt, tantò difficiliùs integram, præsentémque eorum memoriam tuentur. DEUS explicatum assiduè præ oculis habet, quidquid unquam scivit, hoc est, quidquid sciri unquam potest. Si ergo Regina illa Austri, cujus in sacra Regum historia fit mentio: (*L. 3. c. 10.*) cùm Salomonis sapientiam, atque opera cominus explorâsset, præ admiratione, *non habebat ultra spiritum: dixítque ad Regem, verus est sermo, quem audivi in terra mea super sermonibus tuis, & super sapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni & vidi oculis meis, & probavi, quòd media pars mihi nuntiata non fuerit. Major est sapientia tua, & opera tua, quàm rumor, quem audivi. Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Si finita, inquam, divinæ sapientiæ participatio, nec finita duntaxat, sed & inter finitas non maxima, quippe multò Angelicâ inferior, adeò tamen Reginam illam

obstupefacere admiratione sui potuit; quantò altiori stupore percellat nos, oportet DEUS ipse, creatæ totius sapientiæ, veritatis, & lucis immensissimus fons? *Ecce plus quàm Salomon hic.* (*Matth. 12.*)

22. O sapientissime DEUS! (*Ps. 138.*) *Mirabilis facta est scientia tua ex me* (nempe secundùm phrasim Hebraicam, *super me*) *confortata est, & non potero ad eam.* Absorbeor hac abysso, submergor: nec bolidem usquam reperio, quo, non totam modò illius altitudinem, sed nè partem quidem emetiri possim, quæ certa proportione toti respondeat. Nimis parùm, ac penè nihil dixisti, Domine, cùm per Isaiam gloriareris: (*c. 55.*) *Sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Intervallum, quo terra à cæli sublimitate distat, certâ mensurâ finitur. At quæ mensuræ sufficiant, ad magnum, imò infinitum chaos æstimandum, quo, supra nostram, sapientia tua eminet, adeò ut inter tam remotos, támque dispares gradus, nullus proportioni sit locus: & sicut orbis terrenus, altiùs, altiúsque per certum aliquod spatium consurgens, cælum tandem attingeret; sic congeminata pluries hominum sapientia, ad eum usque modum

dum, atque gradum attolli nunquam poterit, ut par tuæ evadat, sed infinitè, semper ab illa distabit. Quanta inter duas illas comparationis notas, *sicut*, & *sic* inæqualitas sit, tibi unî fas est ad plenum comprehendere: sed non item fas est, creatæ ulli menti omnino explicare. Reliquum est, ut satìs habeam te cognoscere, tanquam omni quà humano, quà Angelico intellectu infinitè superiorem: adorans, quanta possum maxima cum demissione animi illius immensitatem scientiæ, quam mihi nullo pacto percipere licet, quæque vel densissimas inter umbras spectata, omnem omnino angustæ meæ mentis facultatem confundit, atque obruit.

CAPUT XXI.

De infinita DEI virtute, & potentia.

DUplex mensura, qua ad colligendam aliquatenus divinæ immensitatem scientiæ usi sumus, non minori nobis erit usui, ad aliquam pariter divinæ potentiæ, virtutísque speciem in mente formandam. Infinitam es-

se illam vidimus, ratione tum innumerabilium objectorum, quæ comprehendit, tum admirabilis modi, quo illa comprehendit. Et infinitam esse hanc item videbimus, sive illa pensentur, quibus efficiendis par est, sive singularis in eorum effectione operandi præstantia. *Dicimus DEUM esse potentiam, (ità Magnus Areopagita) ut qui præhabeat in se, & super quam habet omnem potentiam, & ut infinitè potens non solùm omnem potentiam producendo, sed & supra omnem potentiam existendo: & quòd desuper possit innumerabiliter infinitas alias potentias producere: & quòd infinitæ infinito numero productæ potentiæ nunquam possint supra quam infinitam ejus potentiæ effectionem hebetare: quódque ineffabilis, & incognoscibilis, & inexcogitabilis sit omnia transcendens ejus potentia.* (*De Div. Nom. c. 8.*)

2. Et primò quotusquisque non videt quam extraordinarii, creatam omnem vim transcendentes, & certo quovis numero ulteriores sint divinæ virtutis, potentiæque effectus. (*Job. 9.*) *Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.* Quod ad magnitudinem spectat, si aliud ejus monumentum non adesset; solus posset sufficere orbis terrarum, in primarias quatuor su-

as partes, Europam, Africam, Asiam, atque Americam divisus, quarum quælibet, si provinciarum eam componentium numerus, & amplitudo attendatur, mundi penè exhibet speciem. Quidnam, rogo, de tam vastæ molis fabrica nos sentire par est? Quanta vi opus fuisse arbitramur, ad eam procreandam, & stabili fundamento imponendam, & ad immanem illam foveam, quâ totum continetur mare in illius gremio excavandam? Quandonam totius humani generis manus extruere opus possent, quod vel millesimam illius partem æquaret. Et tamen tantus hic globus, præ quo ad nihili penè instar decrescunt celebratissima quælibet humanæ potentiæ artefacta, & molimina: quid, nisi exiguum quoddam videri punctum potest, ad cælestium orbium amplitudinem, qui, alii aliis inserti, ambitu penè immenso illum undique circumcludunt? talis est magnificentia divinæ omnipotentis dexteræ, quæ si progredi ulterius nequiret, sed ultimas hìc haberet operandi metas; nónne par etiam sic foret, ad nostram imbecillitatem sui admiratione, reverentiâ, & terrore complendam? (*Deut. c.* 11.) *Ipse est* DEUS *tuus, qui fecit hæc magnalia, & terribilia, quæ viderunt oculi tui.* Atqui sciendum est, quidquid admi-

ra-

rati hactenus sumus, non nisi exiguum specimen esse admirabilium effectuum, qui in divina continentur potentia. Constat siquidem, posse DEUM, quandocunque illi arrideat, innumeros recentes mundos sinè ullo labore in lucem producere, quorum unusquisque partibus componatur millies majoribus, quàm partes sint mundi actu existentis: adeò ut terra ibi nostram hanc millies excedat, eadémque proportione alia elementa, eadem cæli, atque sidera horum, quæ intuemur, magnitudinem superent. Imò extra omne dubium est, vires illi idoneas suppetere, ad alios, aliósque innumeros mundos temporis momento creandos, tantò singulos præsenti ampliores, ut hic præ illis non nisi granum milii videatur. *Ipse enim omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius.* (*Eccles.* 45.)

3. Nec minùs fortasse operationum vis, quàm operum vastitate admirabilem DEI potentia se prodit. Ille siquidem est, qui ventis spiritum sufficit, ad commovendum tanto impetu aërem: ille, qui tam præcipiti motu, horrendóque fragore ejaculatur fulmina: ille, qui tam furibundis tempestatibus maria permiscet; ille, qui formidabili adeò tremo-

re

reterreni orbis fundamenta succutit: ille demum, qui incredibili velocitate vastissimas cælestium corporum moles continenter circumagit, adeò ut sol, terrarum orbe toties major, singulis horis plùs quàm septies millena milliariorum millia percurrat: cursu sanè tam rapido, ut si propiùs terram perageretur, ad omnes illius silvas succendendas, ad omnia obruenda ædificia, & ad ipsam montium soliditatem conterendam sufficeret. Quænam, rogo, quámque obstupescenda hujusmodi actionum vis est? Adde jam alias, universum naturæ ordinem supergredientes, & ipsius tantummodo proprias: cujusmodi sunt, facultas igni tartareo indita ipsosmet urendi expertes corporis spiritus: futura extremo mundi die nostrorum corporum è sepulchri cineribus ad immortalem vitam instauratio: ineffabilis divinæ, humanæque naturæ in unicam personam conjunctio: specierum panis, atque vini, post mysticam consecrationem, permansio extra omnem materiam, & sinè ullius substantiæ adminiculo: latentis denique sub iisdem divini Corporis tot simul in locis existentia, & purorum quidem spirituum ritu, adeò ut & totum, in quo existit, loci spatium, & quamlibet ejus partem toto se occupet. Acti-

ctiones enim verò novitatis tam miræ, & humano quovis cogitatu majores; ut, nisi divinæ revelationis authoritas juberet eas credere, nemo noſtrûm veras, nemo exiſtimâſſet poſſibiles. Præſertim quòd per virtutem hujuſmodi poſſet DEUS unum corpus in cunctis ſimul mundi ſpatiis replicare: efficiendo, ut, exempli gratiâ, unus homo, ità ubivis eodem tempore exiſtens, immenſi inſtar populi univerſum occuparet orbem terrarum: & muſca una totum aëris elementum ſuo corpuſculo impleret: quemadmodum è contrario ſpiritualem exiſtendi modum, cælis, elementis, & aliis quibuſque corporibus tribuens, totam poſſet mundi univerſitatem, ſinè ulla rerum ſeſe mutuò penetrantium læſione, intrà nucis putamen contrahere. O incomprehenſibilia, nec ſatìs unquam admiranda divinæ virtutis oſtenta! *Quis ſufficit enarrare opera illius? virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit? Non eſt invenire magnalia* DEI. *Cùm conſummaverit homo, tunc incipiet.* (*Eccleſ.* 18.)

4. Prodigioſiſſima demum apparet ſummi rerum Conditoris potentia, ratione innumerabilium effectuum, quos intrà virtutis ſuæ orbem complectitur: cùm quæcunque ſive in cælo, ſive in terris, ſive in aquis, atque aëre in-

intuenda se objiciunt, tot nempe siderum species, tot marmorum, metallorum, gemmarum, tot arborum, fruticum, herbarum, leguminum, florum, tot volucrum, piscium, vermium, serpentum, quadrupedum, omnia suum esse illi acceptum referant, omnia se esse illius opus uno ore testentur. (*Ad Rom. u.*) *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Sed ubinam spirituales Angelorum substantias reliquimus? Huc huc inprimis debet mentis aciem convertere, qui digniùs aliquantò æstimare velit, quàm innumera divinarum manuum sint opera: sive enim de illorum multitudine Gregorium Nissenum interroget, audiet, (*De Hom. Opif. c. 17.*) *Ad infinita prope millia diffundi*: sive Dionysium Areopagitam percontetur, tantam is respondebit esse, ut *contractam materialium nostrorum numerorum rationem prorsus excedat.* (*De Div. Nom. c. 9.*) sive Thomam Aquinatem consulat, discet ab eo, cùm substantias perfectiores præstare inferioribus conveniat, vel qualitate molis, si corporeæ sint, vel, si spirituales, numero; quemadmodum corpora cælestia, ob majorem naturæ suæ perfectionem, caducis nostri orbis corporibus secundùm magnitudinem penè incomparabiliter præstant;

sic

sic (*1. p. q. 50. a. 3.*) *Rationabile esse, quòd immateriales substantiæ excedant secundùm multitudinem materiales, quasi incomparabiliter*: sive demum certior fieri ex sacris Literis curet; inveniet jam descriptam instar exercitûs, qui certo definiri numero nequeat, ceu in illis Libri Job verbis, (*c. 25.*) *Numquid est numerus militum ejus?* jam expressam per majores summas, quæ concipi ab hominibus solent, ùt in illa supputatione Danielis: (*c. 7.*) *Millia millium ministrabant illi, & decies millies centena millia assistebant ei.* Ubi suprà citatus Areopagita nihil aliud significari ait, nisi numerum quempiam extraordinarium, immensum, maximos, qui comperti nobis sint, excedentem, nec humanæ arithmeticæ studio assequendum. Quæ cùm ità sint, quantam, rogo, eam esse virtutem dicendum est, quæ uno temporis puncto, unicóque *Fiat*, è nihilo in lucem evocare potuerit, tam insupputabilem spirituum numerum, tanta dignitate naturæ eminentium, ut unus eorum quilibet, si Joanni Chrysostomo credimus, omnium rerum sensibilium universitati pretio antecellat? (*Hom. 3. in Anom.*) *Nostis unumquemque Angelorum parem esse universæ huic creaturæ visibili, vel potius multò nobiliorem, ac præstantiorem.* Sed enim verò

quan-

quantuscunque iste sit effectuum numerus; vix minimo potest major videri, quæ aliis effectibus, qui usque plures, & plures intrà inexhaustam divinæ omnipotentiæ efficacitatem supersunt. Nam præter rerum hactenus conditarum, seu sensibilium, seu spiritualium multitudinem, amplissimam illam quidem, & nostro quovis captu majorem, sed certo tamen modo finitam, potest DEUS, ùt jamjam demonstrabimus, pro suæ virtutis exporrectione ad quidquid naturâ est possibile, alias atque alias, non infinitas solummodo, verùm etiam infinitè infinitas creare. *Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus operum ejus.* (*Eccles.* 43.)

5. Et sanè divinam potentiam ad quidquid est possibile extendi, nempe ad omnes effectus, quorum natura peculiarem cum existentia oppositionem non habet, manifesta adeò veritas est, ut non facilè invenire hominem sit, , qui, credens esse aliquem DEUM, primam scilicet, perfectissimámque, & summam rerum causam, virtutem ei detrahat efficiendi, quidquid in tota rerum possibilium latitudine continetur. *Longè est ab opinione, quam de* DEO *habemus, aliquid ei impossibile esse:* scribit Nissenus (*In Catech*) Dubitari quidem

à multis poterit, sítne aliquid revera possibile: sed, hoc admisso, nemo unus, teste D. Augustino, existet, adeò primæ causæ parum intelligens, qui ejus virtute contineri illud neget. (*Serm. 39. de temp.*) *Non dico, da mihi Christianum, da mihi Judæum: sed da mihi paganum, idolorum cultorem, dæmonum servum, qui non dicat* DEUM *esse omnipotentem. Negare Christum potest; negare omnipotentem* DEUM *non potest.* Hinc, non in sacris solùm paginis legimus: (*Matt. 19.*) *Apud* DEUM *omnia possibilia esse*, supráque septuagies magnifica omnipotentis appellatione insigniri eum reperimus, addito etiam alicubi, quasi hoc proprium illi esset nomen, (*Exod. c. 15.*) *Dominus, quasi vir pugnator: omnipotens nomen ejus*; verùm ipsi etiam Ethnici eandem illi suis in monumentis prærogativam tribuerunt, ceu Mercurius Trismegistus, quo authore, (*Ascl. 8.*) *Illa voluntate sua prægnans parit, quidquid voluerit procreare*: Pythagoreæ verò Philosophiæ sectatores, ubi mirum aliquod referri prodigium audierunt, soliti sunt eos statim Lini versus depromere, (*Ap. Mars. Fic. 13. de Immort. c. 4.*) *Credenda sunt omnia, nihil est incredibile. Facilia* DEO *sunt omnia, nihil est impossibile.* Quibus addere Ovidium quoque fas est, sic canen-

tem:

tem: *Immensa est, finémque potentia cæli non habet, & quidquid superi voluére, peractum est.* (*L. 8. Metam.*)

6. Neque profectò existimare secùs potest, quisquis duo hæc vocabula, DEUS, & res possibilis, rite cognita habeat. Nam nomen, DEUS, principem, supremámque causam significat, unde, quotquot aliæ sunt inferiores causæ, suam operandi virtutem acceperint. Possibile verò aliquid esse, idem valet, teste D. Thoma, (*L. 2. c. Gent. c. 22.*) ac nonnullam in mundo reperiri causam, quæ illud efficiendi vim habeat. Unde palàm sequitur, neque posse alicujus rei possibilitatem animo concipi, quin concipiatur virtus aliqua existere, ad illam efficiendam idonea; nec virtutem hujusmodi posse usquam existere, quin existat in DEO. Si enim ipsi, qui princeps rerum omnium causa est, deesset; nulli certè alteri causæ convenire posset: síque nec ipsi, nec ulli alteri conveniret: deficeret pariter effectûs possibilitas, qui possibilis supponebatur.

7. Præterea nemini esse dubium potest, quin DEUS & vim habeat è nihilo aliquid efficiendi, & si illam revera habet, quidquid naturâ possibile est, valeat efficere. Revocari

in dubium prima pars nequit. Nam, ut optimè arguit D. Bernardus, si DEUS nihil posset, nisi ex materia producere; ipsam certè materiam producere nequiret, nec proinde primum, & universale esset omnium, quæ existunt, principium. (L. 5. *de Consi*) *Ipse omnia fecit. Unde? de nihilo. Nam, si ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia.* Et confirmatur eadem veritas: certissimo quippe constat, ad procreationem spiritualium rerum, quales Angeli, animæque hominum sunt, materiam nihil opis conferre: ac proinde dicendum necessariò est, non ex aliqua virtute materiæ, sed ex mero nihilo potuisse illas fieri. Confirmatur rursus, quia, quantò quævis causa est perfectior, magisque universalis, tantò pauciora desiderat ad operandum adjumenta & subsidia. Quemadmodum ergo natura, quòd arte sit perfectior, & plurium effectuũ causa, nequaquam instar illius totâ, perfectâque substantiâ, putà ligno, aut marmore ad operandum indiget, sed in sola, atque nuda operari potest materia; sic DEUS, author naturæ, illâque præstantior, & latiùs patens causa, magis quoque illâ debet ipsemet sibi ad agendum sufficere, neque ullam proinde materiam, velut ipsa, necessariò requirere; sed si-

sinè hoc apparatu, posse ex mero nihilo suos effectus producere. Quocirca tres possumus diversi generis causas distinguere, eásque pro cujuslibet perfectione ità ordinare, ut primum atque infimum gradum arti assignemus, ùt quæ ad suos effectus naturali quapiam substantia, aliunde jam perfectâ, absolutáque indiget, nec aliud præter externam aliquam speciem, operando illi adjicit. Secundum, mediúmque naturæ, utpote quæ unam duntaxat substantiæ, à se efficiendæ partem, nimirum materiam requirit, & huic mox alteram partem, formam videlicet illius absolutioni necessariam operatione sua addit. Tertium denique, & summum Omnipotentiæ divinæ, quæ nihil ex re producenda desiderat, sed eam sola sua virtute totam, quanta est, & secundùm omnes illius partes producit.

8. Demonstrato jam in hunc modum, & extra controversiam posito, nullâ DEUM præcedente materiâ ad res procreandas egere, sed posse illas secundùm omne id, quod sunt, ex puro nihilo in lucem educere, nihil jam dubii circa alteram propositionem supereſt: quòd nimirum vim habeat efficiendi, quidquid omnino effici potest. Nihilum siquidem immensi cujusdam ærarii instar est, quæcunque

possibilia sunt, continentis: unde vel nullum potest, vel quodvis esse produci: nullum, si clausus; quodvis, si patens in illius penetralia aditus sit. Et verò, quidnam causæ est, cur causis creatis impossibile omnino sit, vel minimum quemvis effectum, putà herbæ folium, aut milii granum è nihilo extrahere? non aliud profectò, nisi quia impervium eis est illud rerum possibilium ærarium, nisi quia idoneis clavibus carent, ad reserandas illius fores; nisi demum, ut extra metaphoram loquar, quia non habent in se ipsis, ínque mera sua voluntate virtutem operandi, æquivalentem iis accidentibus, quibus, tanquam necessariis instrumentis naturales causæ uti solent, ad rite præparandam materiam, & effectus in ea procreandos. Quare, cùm præter suam virtutem, hujusmodi quoque subsidiis ab ea distinctis indigeant, cúmque his nullus sit locus, ubi omnis abest materia; sequitur necessariò, ut nequeant ad nihilum manus extendere, & vel minimum indè effectũ in lucem proferre. Quòd si ad producendum serpilli folium, aut milii granum, sola illis, locò externi adjumenti, sua interior voluntas sufficeret; quis non videt, facillimum ipsis fore, etiam ex nihilo ejusmodi effectus creare? Imò quis non vi-

videt, quemadmodum non majoris negotii, & difficultatis est maxima quæque operum possibilium, putà alterum mundum, vel novos mille mundos, quàm exiguissima, ceu serpilli folium, & granum milii velle; sic non minùs facile ipsis esset serpilli folium, aut milii granum è nihilo educere, quàm alterum mundum, vel novos mille mundos, & quidquid præterea est rerum possibilium indè in lucem proferre? Certè si aliquem architectum esse nobis constaret, qui, ad ædificandum, nullis instrumentis, nulláque indigeret materiâ; & re ipsa videremus, in vacuo & patenti æquore, ampliſſimam subitò domum, ad merum illius imperium, existere; colligeremus hinc procul dubio, posse ab eo, quotcunque alia velit ædificia eadem facilitate excitari. Quapropter cùm indubitatissima fide teneamus, posse à DEO sinè omni materia, externóque instrumento, sola divina sua voluntate aliquid fieri, & re ipsa sic cælum, sic terram, sic Angelos ab eo esse procreatos, nec aliter procreari hominum animas, quæcunque produci indies singulos pergunt; colligendum hinc nobis pro certissimo est, nihili penetralia ipsi uni patere, cum omnimoda potestate, quidquid unquam voluerit, ex immenso illo naturarum omnium possibilium ærario

in existentiæ lucem promendi. Paucis: qui ex nihilo efficere aliquid potest; totam efficiendi vim in sola voluntate sua habet. Atqui voluntas, quo pacto in unũ ex objectis suis tendit, eodem in quæcunque alia potest tendere: si ergo idem est velle ipsam, unum aliquod ex iis esse, ac illud efficere; idem quoque erit, quæcunque alia velle, ac effecta protinus dare. Qui ergo, sicut DEUS, & quidem unus, vim habet efficiendi quidpiam ex nihilo, utpote qui per solam voluntatem suam operatur, etiam cuilibet rerum possibilium applicare hanc æqualiter potest; & sic plenissimam obtinet vim, educendi ex nihilo, quidquid potest velle, quidquid nempe effectuum indè potest educi. Concludo allatis paulò antè Trismegisti verbis: *Voluntate sua prægnans parit, quidquid voluerit procreare.*

9. Hinc, cùm activa DEI virtus, quidquid est rerum possibilium, pro objecto, & materia operandi habeat; nemini obscurum esse potest, quin infinita dici possit, imò infinita etiam major illius amplitudo. Perlustrantes siquidem mentis acie immensam possibilitatis totius vastitatem, sive quoad diversas rerum species, quæ ibi occurrunt; sive quoad substantias singulares, quæ in unaquaque earum continentur, nullum sanè possumus, tam

tam in una, quàm in altera deprehendere multitudinis terminum. Et quidem singularum substantiarum, seu individuorum intrà unamquamque speciem possibilium infinitas à nemine revocari in dubium potest: cùm nulla appareat ratio, quare post quotcunque eorum producta, plura & plura sinè omni termino nequeant produci. Sed neque de pari diversarum specierum multitudine infinita Dei perfectio dubitare nos sinit. Cùm enim nihil aliud diversæ rerum creatarum species, quàm peculiares quædam universalis sui prototypi, divinæ nimirum essentiæ imagines sint, cúmque nulla imago creata immensissimum illud exemplar ad plenum, & secundùm omnes perfectionis suæ numeros valeat referre; hinc post quantamcunque multiplicitatem, & præstantiam imaginum nondum satìs repræsentata, meliùs semper ac meliùs repræsentari potens pulchritudo ibi supereſt; & ità in nullo imaginum, quæ indè aut expressæ sint, aut queant exprimi numero, ultimus potest illius imitationi terminus statui: adeò ut aliæ semper, atque aliæ supersint, à quibus novo, diversóq; exactiori scilicet modo potest referri. Quæ probatio, ut clarior adhuc fiat, obsservandum est, innatam rebus possibilitatem, quamvìs

propriè consistat, in nullo earum naturæ cum existentia dissidio, si ad ultimam tamen suam causam, & originem revocetur, non aliunde proficisci, quàm ex divina essentia, prout hæc diversimodè participari, atque exprimi potest; ideò quippe hæc,, aut illa rerum species ab existentia non abhorret, quia peculiaris quædam est ratio, secundùm quam DEI essentia congruenter participari, & exprimi potest. Quapropter, cùm nullus ejusmodi rationum designabilis numerus sit, quin secundùm plures, pluréisque alias participari. & exprimi divinæ essentiæ immensitas queat; nullus quoque designari terminus potest; quin ultra eum specierum possibilitas magis semper, ac magis se porrigat. Licet itaque ad extremum colligere, cùm & infinitæ rerum species, & infinita intrà earum unamquamque individua creari à DEO possint; infinitas prorsus esse substantiarum ab eo creabilium infinitates: illiúsque effectricem potentiam, ceu suprà affirmavi, posse meritissimè dici, non simpliciter tantùm, sed & infinitè infinitam.

10. Quibus argumentis præterquam, quòd primam mei thematis partem asserui, alterius quoque fundamenta videor jecisse. Manifesta quippe inductio demonstrat causarum vir-

virtutem, quò latiùs patet; eò etiam præstantiorem in agendi modo esse: ceu palàm intueri fas erit, si sensum communem cum externis sensibus, animam rationalem cum animabus brutorum, Angelorúmque intelligendi vim cum humana comparare libeat: in singulis enim hujusmodi comparationibus, partem illam, quæ plures effectus sua virtute complectitur, majori itidem cum perfectione operari videbimus. Cùm itaque jam abundè ostenderimus, quanto intervallo creatæ cuivis potentiæ divina antecellat, ratione infinitæ amplitudinis, quæ ad rerum omnium, sive existentium, sive possibilium effectionem se extendit; reliquum est, ut aggrediamur hinc porrò explicare, quantùm pariter quibuslibet aliis causis præcellat, secundùm perfectionem agendi: velocitatem nimirum, facilitatémque sinè ullius externi auxilii indigentia. Quæ prærogativæ, & quantò luculentiùs in operando sui specimen præbent, tantò majorem esse probant operantis virtutem, & in DEI operationibus usque ad miraculum, imò ultra omne miraculum eminent.

II. Et primò majoris virtutis indicium esse operari velociùs manifestè probat inæqualis celeritas sive duorum ignium, hujus ma-

magìs, illius minùs validi in eadem comburenda materia; sive duorum jumentorum, robusti unius, enervis alterius, in pondere eodem trahendo: sive duplicis ingenii, unius præstantis, vulgaris alterius in eadem lucubratione absolvenda, & omnium tandem causarum in propriis efficiendis operibus: quarum nonnullas paucis diebus eos absolvere effectus videmus, ad quos imbecillioribus aliis vix totidem menses sufficerent. Quapropter Marius ille, familiaris Tiberii Cæsaris, hoc inprimis argumento usus est ad suam nescio cui inferioris fortunæ homini demonstrandam potentiam. (*Dion. L. 58.*) Cùm enim ad cœnam Marius eum invitâsset, eâ durante domũ illius funditus dirui, & solo prorsus æquari curavit, non absque stupore alterius, cùm à convivio redux divinare non posset, undenam, quóve pacto repentina illa clades sibi accidisset. Postridie eundem ægrum animi, nec habentem quò se reciperet, rursus Marius convivam suum eum esse voluit: efficiens ut intrà breve epuli spatium, nova illi, & major supra prioris ruinas construeretur domus. Quam dum ille post peractum convivium ità subitò renatam miratur, & num vera illa species, an somnii ludibrium sit, secum dubitat;

Ma-

Marius utriusque eventûs se authorem fuisse professus est, admonens simul, ut habere amicum studeret, qui non longiore, quàm unius diei spatio, tantum & nocere, & prodesse illi posset. Nec alia usitatior, certiórque nota est, per quam à naturæ operationibus distinguantur miracula ab altiore virtute patrata: cùm scilicet hac agente videamus eos subitò effectus existere, quibus maturandis causæ naturales longi temporis morâ eguissent. Quale fuit aquæ in vinum transmutatio imperio Christi Canæ peracta: quæ licèt quotannis à terra, superfusas è cælo sibi pluvias in uvarum succum vertente, renovetur; nihilominus, quia non repente, unóque, ùt Canæ temporis puncto, sed lenta plurium mensium molitione fit, tanquam res tralatitia, & vulgaris vix animadvertitur, nedum in miraculi loco atque pretio habetur. Unde etiam fit, ut prodigiosos soleamus artifices eos appellare, qui opera longo temporis tractu aliorum inter manus hæsura, primo penè aggressu, conatúque perficiunt. Cedo jam, quanto tempore immortalis faber opus habuerit, ad peragenda sua opera. Nihilo majori, respondet Philo, quàm quod ad ea imperanda requiritur. (*De Sacr. Abel.*) *Dictum & factum*

ctum idem eſt DEO. Intuere hoſce cælos, intuere hæc elementa, intuere has tot támque differentes ſubſtantias, è quibus mundus componitur : *Ipſe dixit , & facta ſunt.* (*Pſ.* 148.) Inter ſimplex illius juſſum, ut fierent, & effectionem eorum , nihil temporis interceſſit, *Dixit*, & protinus terra è nihilo emerſit: *dixit*, eódemque temporis puncto conditi apparuêre vaſti orbes cælorum: *dixit*, nec quidquam interceſſit moræ, quin noveni immortalium ſpirituum chori illico in lucem prodirent. Hæc, hæc, inquit Triſmegiſtus, operandi celeritas eſt, nuſquam alibi audita, omnem morem, ac modum excedens, quæque proficiſci nequeat, nisì ab infinita virtute: (*Aſcl.* 4.) *Quippe cùm voluiſſe , & perfeciſſe uno eodémque temporis puncto compleat.* Ad conſtruendum molis extraordinariæ ædificium , quot annis deſudat mortalium Regum potentia? Sit Epheſiæ Dianæ templum , vocatum à Plinio, (*L.* 36. *c.* 14.) *Magnificentiæ admiratio*, non minùs tamen, quàm *ducentis viginti annis factum eſt* à tota Aſia. O vis & potentia humana ! quæ non potes , non infirma apparere , etiam ubi illuſtriorem explicare contendis tuorum decorũ pompam. Nunquamne agnoſcere incipies, quàm curta , exilis , & deſpicienda ſis , ſi cum

eo

eo compareris, qui est (1. *ad Tim. c. 6.*) *Solus potens?* Quid tua isthæc opera, vix longo plurium annorum labore perfecta adeò miraris, plenis buccis crepans, (*Dan. c. 4.*) *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriam decoris mei?* Circumfer paulisper oculos, per vastissimam hanc mundi machinam, præ qua nihil majus, quam luteæ lusitantium puerorum casulæ, videri possunt summa quæque humanarum virium molimina: & lege mox in sacra Geneseos historia. quanto tempore supremus rerum Conditor tantum opus absolverit: Imò certissimè tibi persuadeas, momento temporis illum posse, millena, & millena hujusmodi opera, quin & longè majora in lucem producere.

12. At forsan hæc summi Opificis in agendo celeritas ex vehementi quopiam conatu oritur, qui laboris contentione brevitatem temporis suppleat? secùs omnino. Quin potiùs adjunctam sibi facilitatem habet, multò illâ majorem, qua nos ordinariis actionibus fungimur. (*Jer. c. 32.*) *Ecce ego Dominus universæ carnis. Numquid mihi difficile erit omne verbum?* Decus enim verò singulare, & miræ argumentum virtutis: quale agnovit Julius Cæsar, Phar-

Pharnacem Ponti Regem solo occursu, aspectúque à se profligatum fuisse, glorians: *Veni, vidi, vici.* (*Plut. in vita.*) DEUM verò nullo labore & conatu ad sua opera indigere, pronum est cuivis perspicere, si perpendat ideò in effectione alicujus operis conatu, & labore opus esse; eò quòd operans vel aliquid obstaculi in re efficienda inveniat: vel minori virium præstantia, & agendi facultate sit præditus. Age jam, quid DEO in suorum operum maximo, nempe in mundi creatione potuit obstare? Num mundus ipse? at quomodo? cùm res quævis nihil optet magìs, quàm ex meræ possibilitatis statu ad actum existentiæ produci? An nihilum, unde is erat promendus? atqui hoc, ceu adjuvare operantem nequit, sic neque ullam eidem resistendi vim habet. Quando igitur nihil DEUS extra se impedimenti, atque obicis reperit, videamus, num aliquo saltèm virium, & habilitatis defectu retardari potuerit. At enim verò, quid summi roboris, summæque virtutis deesse illi potest, qui est tota agendi facultas: quíque ad quidvis efficiendum non alia conditione eget, quàm, ut jubeat rem existere? Fac, Regum aliquis magnificentissimam domum, vel amphitheatrum, aut templum ædificari imperet.

Ne-

Nemo sanè non videt, quidquid ibi laboris, & difficultatis exhauriendum sit, ad fabros duntaxat pertinere, qui manus atque vires operi impendunt, Rege interim quiescente, & prorsus immuni, utpote qui nihil eò præter imperium contulit. Atqui talis DEI ratio in quovis suorum operum est. Ut existat, quidquid sibi libitum fuerit, nihil impendere opus habet, præter merum & simplex *Fiat*: quo prolato, etsi nullius inferioris causæ opera accedat; res confestim, suis omnibus numeris absoluta, apparet. Ratio operandi etiam ab Ethnico sapiente ipsi attributa, dum scripsit: (*Trism. Pim. c. 4.*) *Universum verbo, non manibus fabricatus est opifex.* Adde quòd hoc ipsum imperium, quo uno ad omnia peragenda DEUS utitur, neque externa locutio est, ad quam promendam aliquo aperiendi oris spiritúsque emittendi conatu opus sit: sed, juxta communem Patrum sententiam, in sola consistit producendæ rei voluntate, qua nihil cogitari potest expeditius, & factu proclivius. Idque expressum videre est illis verbis S. Athanasii, (*L. 3. c. Arri.*) *Ad omnium procreationem sola sufficit voluntas*: expressum à Clemente Alexandrino, cùm scripsit de DEO, (*In Protr.*) *Sola voluntate operatur, ut ejus solum velle factum*

esse consequitur: expressum à Joanne Chrysostomo, dum de eodem affirmat, (*Ser. 3. de Incompr. DEI Nat.*) *Satis illi ad omnia fuit tantummodo velle: atque, uti voluntas nullum molestiam affert laborem; ità nec illi tot, ac tantas condidisse virtutes.* Quid multa? expressum pariter à Trismegisto luculentis iis vocibus, (*Ascl. 4.*) *Placita DEI necessitas sequitur: voluntatem comitatur effectus.* O virtutem sanè incomprehensibilem, humanâ omni intelligentia excelsiorem, & DEI solius propriam, promptum & præsens in sola voluntate sua habere, quidquid factu possibile est: nullo alio, quàm solo volendi instrumento posse omnia producere, omnia destruere, omnia transmutare, de omnibus, quidquid libeat, perficere! Quis non exhorrescit ad novæ adeò inauditæque potentiæ miracula? Aut cuinam, hæc credenti exaggerata videri possunt divinæ in operando facilitatis præconia, seu illa, ubi dicitur, tribus tantùm digitis universum orbem terrarum sustinere, (*Isai. c. 40.*) *Qui appendit tribus digitis molem terræ*; sive illa, ubi cæli non illius brachii, sed digitorum solummodo effectus vocantur. (*Ps. 8.*) *Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum*; sive illa, ubi ejus vox cedros dicitur comminuere, (*Ps. 28.*) *Vox Domini*

confringentis cedros, ejúsque nutui virtus cælorum succutiendi tribuitur, (*Job. c. 26.*) *Columnæ cæli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus.* Ah nè unius quidem digiti, nè unius quidem vocis, nè unius quidem nutûs molimine, ad quidvis peragendum, omnipotens indiget. Unico verbo totam rem concludamus. Vis nosse, quàm facile illi sit efficere omnia? tam omnino, quàm nobis nil agere. *Qui extendit, sicut nihilum, cælos.* (*Isa. c. 40.*)

13. Eximium postremò decus potentiæ est, nullis ad rerum magnarum effectionem egere sociis, instrumentis, aliísve subsidiis, sed posse omnia per se unum conficere. Cujusmodi Herculem antiquitas finxit, celebravítque tanquam fortitudinis humanâ majoris prodigium: quod solus videlicet tot tyrannos, totque monstra profligare potuerit. Cùm è contrario Alexandri & Pompeji, tantò minùs sibi ex victoriis suis comparaverint gloriæ; quantò validioribus copiis succincti eas retulere. Quemadmodum Reges illi, atque Cæsares, quorum jussu Ægyptiæ pyramides, Romana amphitheatra, & similis magnificentiæ ædificia constructa olim sunt; neutiquam dici possunt, unum, in iis per innumeras fabrorum manus erigendis, veræ edidisse specimen

potentiæ. Hæc ſiquidem, ceu in nonnullis brevibus dialogis ad Platonis libros adjunctis, ſtatuitur, in operibus cernitur, non alieno miniſterio, ſed propria virtute effectis. (*Dial.* 8.) *Potentia eſt id, quod per ſe facit.* Neque ullus rerum prudens æſtimator reperietur, quin multò illuſtrius roboris, viriúmque argumentum cenſeat illam mille Philiſthæorum cædem Samſonis unius dextrâ peractam; quàm ea ferè duodecies centena hoſtium millia à Julio Cæſare in externis ſolummodo bellis ſuarum vi legionum (*Plin. L. 7. c. 25.*) interfecta. Quamobrem ſapienter Rex Pyrrhus, cùm poſt inſignem victoriam, aquilæ nomine conſalutaretur à ſuo exercitu; ità ſanè, inquit, aquila dici poſſum, ſed veſtro, milites, munere, qui, dimicantes pro imperii mei gloria, vigentium alarum inſtar, ſublimem ab humo me attollitis. (*Plut in vita.*) His conſtitutis, quiſnam, rogo, in hoc decore, magna per ſe unum patrandi, cum DEO poteſt conferri? Imò quiſnam unus ex omnibus, præter ipſum, *facit per ſe*, quidquid facit? Jubeat ſanè potentiſſimus Rex, vaſtæ molis fabricam erigi: niſi opificum millia ei attollendæ inſudent, regale illud juſſum ſuo effectu carebit, nec unum laterem per ſe alteri ſuperponere valens. Unde humi ad-

adhuc ſtratus jaceret ingens ille Obeliſcus, quem in Vaticano nunc erectum, & nubes vertice affectantem ſuſpicimus; nisi ad mille operarum manus ſuper ſua illum baſi conſtituiſſent: neque tota Ægyptiorum Regum potentia immanem illlam pyramidem attollere valuiſſet, quæ inter ſeptem orbis miracula locum meritò invenit; nisi ter centum & ſexaginta fabrorum millia (*Plin. L. 36. c. 12.*) ſuum illi moliendæ, abſolvendæque contuliſſent viginti annorum laborem. At non talia ſunt, nec tot adminiſtris egent ſupremi Regis imperia. Juſſit ille ſuo in centro fundari ingentem terræ globum, extendi undique circa ipſum vaſtiſſima aëris ſpatia, & multo vaſtiore adhuc ambitu à cæleſtibus eum ſphæris præcingi. Quænam his paria operum monumenta vel imaginari mens, nedum exequi vis hominum poteſt? Sciſcitamini jam ex Iſaia, quot Angelorum legiones ſuam illi ad effectionem tantæ rei operam commodaverint: & audietis, unum ejus juſſum, ſinè ullius architecti, vel opificis miniſterio valuiſſe, ad exequendum momento temporis, quidquid fieri mandaverat. *Ego ſum Dominus, faciens omnia, extendens cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum.* (*c. 44.*)

14. Perge ulterius: Effectores creati, esto interdum sociis, & adjutoribus ad operandum minimè egeant: non tamen dici vel fic possunt *per se facere.* In nullius quippe magni operis molitione soli omnino sibi ipsis sufficiunt, sed necesse habent propriam virtutem diversis adjuvare instrumentis: penicillis putà, si pingendum; scalpris, si sculpendum; armis, si contra hostes pugnandum. Quòd si sculptorem videremus, absque ullius ferramenti subsidio, solis digitis, rudi & durissimo marmori, hominis, aut leonis effigiem, suis omnibus lineamentis & partibus absolutam imprimere: quis non illum pro inauditæ virtutis ostento haberet, celebrarétque? quantóque majori adhuc admirationi idem esset, si, nè ipso quidem universali, & à natura omnibus collato manuum instrumento utens, solo oris spiritu lapides & metalla in exactissimam quarumlibet rerum imaginem conformaret? Atqui talis est activa omnipotentis artificis virtus. Ut hanc mundi molem ex tot, támque variis rerum speciebus coagmentatam efficeret, nè digiti quidem motu, nedum exteriori ullo instrumento opus habuit. Vox, qua existere illum jussit, pro circino, pro malleo, pro ergata, pro brachio, pro manu ipsi fuit.

Ver-

Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. (*Ps. 32.*)

15. Et tamen plus adhuc, quod miremur, reliquum est. Non solùm infinita ipsius virtus respuit, ceu omnino supervacuum cujusvis instrumenti subsidium; sed sinè ulla etiam, in qua operetur, materia, potest sola sua voluntate ipsummet nihilum in excellentissimas quasque substantias convertere. Siquidem, juxta Theodoretum, (*Serm. 4. c. Græc.*) *Quod cæteris artificibus est materia, & instrumenta, nec non tempus, & labor, & diligentia; hoc universorum* DEO *voluntas est:* adeò ut per solam hujus efficacitatem, ubi prius nihil occurrebat, nisi merum inane; ampliſſimus subitò conditarum rerum mundus apparuerit. (*L. 2. Mach. c. 7.*) *Aspicias ad cælum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa* DEUS. Quæ operandi ratio in tantum humanas omnes, nedum vires, sed etiam cogitationes transcendit, ut inter prima veteris Philosophiæ principia fuerit, (*Pers. Sat. 3.*) *Gigni de nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.* Et certè impossibile nobis perceptu est, inquit D. Cyrillus, quonam modo voluntas artificis penetrare intrà nihilum possit, circáque illud, quasi circa unicam suæ virtutis activæ materi-

am, efficaciter adeò operari, ut, occulta illius operationis vi, ſubſtantiæ, quarum nullum ibi initium, & ſemen, per neceſſarias qualitates paulatim perficiendum exiſtebat, prodeant ſabitò integræ, adultæque, & ſuis omnibus numeris abſolutæ, priúſque factas videamus; quàm fieri viderimus (2. *in Julian.*) *Ineffabili virtute id, quod non erat, neque exiſtebat omnino, ut inciperet eſſe, produxit. Quomodo enim condiderit, menti noſtræ omnino incomprehenſibile eſt.* Quare majoris argumentum potentiæ videri nobis deberet lapillus ità è nihilo eductus; quàm ſi eundem cerneremus, repentina metamorphoſi in ſolem converti. Quantam igitur æſtimari par eſt illius Effectoris virtutem qui ex nihilo non lapillum, ſed mundum valuit producere: cujus omnipotens verbum etiam ea, quæ nuſquam exiſtunt, obtemperare juſſis ſuis cogit: (Ad *Rom.* 4.) *Vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*: quíque pro ærario ſuo ipſummet nihilum habet: ærarium inexhauſtæ opulentiæ, & unde ipſi licet, quidquid poſſibilium rerum velit in lucem proferre?

16. Demum reliquæ omnes cauſæ, præter impotentiam producendi ſuos effectus, niſi in materia; nè in hac quidem, ùt ùt præſen-

senti, & parata eos possunt producere, nisi per virtutem à sua essentia distinctam. At Dei infinita, & omnipotens virtus nihil est aliud, quàm ipsemet DEUS: quippe cui, ceu Augustinus verissimè scripsit: *Non est alia substantia, ut sit; & alia potestas, ut possit: nec alio modo est, & alio modo potest: sed esse, & posse simul habet, quia velle, & facere simul habet.* (*Tr. 20. in Joa.*) Quare etiam unus ipse per antonomasiam, & proprii nominis loco appellari meretur, & in sacris Literis appellatur, (*Luc. 1.*) *Qui potens est*: utpote qui unus omnium quævis sua opera *per se facit*. *Per se*, quia adjutoribus in operando, & ministris non eget: *Per se*, quia nullis opus habet instrumentis: *Per se*, quia materiam, ubi agat, minimè expectat: & *Per se* demum, quia sic *fortis est, ut ipse sit virtus sua.* (*S. Fulg. qu. 2. ad Fer.*)

17. Ubinam igitur est humanæ fastus potentiæ, quæ utcunque multa, & magna efficiendi vim habeat, semper tamen plura sunt, ad quorum effectionem non pertingit; & si quid interdum parit, quod inter creatarum causarum effectus videri magnificum possit; non per solam suam virtutem, nec sinè compluribus externis adjumentis, neque, nisi post diuturni temporis molitionem, laborémque il-

lud parit? Conferat pauliſper anguſtos efficientiæ ſuæ fines, cum immenſiſſimis divinæ omnipotentiæ ſpatiis: quæ, teſte Auguſtino, (*Enchir. c. 96.*) *Quidquid vult, poteſt*, nec proinde aliam operandi menſuram habet, nisi ſuam voluntatem: imò ultra etiam, quidquid re ipſa vult, aut volet, ad ea omnia extenditur, quæ velle unquam poſſet. Nam (*lb. c. 95.*) *Multa poteſt, quæ non velit: nihil autem vult, quod non poſſit.* Conferat imbecillitatem ſuam, vel ad pauca illa, quæ poteſt, efficienda, indigentem tam longi temporis morâ, tam laborioſis conatibus, támque multis & variis ſubſidiis, cum exuperantia virtutis, qua divinus opifex citra ullum laborem, aut motum, citráque ullius rei à ſe ipſo diſtinctæ indigentiam, quandocunque velit, eodémque, quo vult, temporis puncto producere poteſt è nihilo effectus. ſive numerus, ſive magnitudo, & præſtantia attendatur, humana omni æſtimatione majores. Talem, inquam, comparationem apud ſe inſtituat: cúmque immenſam, qua exceditur, intercapedinem viderit; reputet ſecum, num juſtam ſeſe ſuſpiciendi, extollendíque habeat cauſam, de exiguo intervallo, quo ſupra vulgi mediocritatem ipſa eminet. Certè nisi offuſæ ab aſſentatoribus ne-

bu-

bulæ ipsius mentis aciem prorsus excæcârunt, fieri non poterit, quin sibi omnino displiceat, &, coram Conditore suo sese humi pronam abjiciens, fateatur, extrema quæque humanarum virium molimina nihil ampliùs præ omnipotentia illius esse, quàm imperfectos, ac debiles ægrotantium conatus. *Quis similis tui in fortibus Domine? Quis similis tui? terribilis, atque laudabilis faciens mirabilia. Tua est magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria. In manu tua virtus & potentia.* (*Exod. c. 15. Lib. 1. Paral. c. 29.*)

CAPUT XXII.

De ampliſſimo, & ſummo dominii jure, quod DEUS in omnes creatas res obtinet.

INgens dominium ab ingenti potentia nunquam disjungitur, ratione facultatis, quam sese obtinentibus præbet exequendis, si minùs suis, at saltèm aliorum manibus, quod in animo habent. Et quamvìs hoc genus potentiæ utpote minùs operantis proprium, minùs etiam eximium altero sit, quo is magna per se ipsum

ipsum efficit : ceu Homerus expressit, Agamemnonem Græcorum in Trojano bello Imperatorem Diomedis ore sic alloquens. (*Ilia. L. 9.*) *Tibi quidem Jupiter dedit sceptro honorari supra omnes : fortitudinem autem non dedit, quæ potentia est maxima* ; plurimi tamen ipsum etiam ab hominibus fit, & summo votorum ambitu quæritur : tum quia jucundum cuique naturaliter est, potestatem super alios obtinere, multósque è suo nutu, atque arbitrio pendentes videre; tum quia hoc externæ genus potentiæ penè unicum est, ubi multum excellere humana imbecillitas queat: nemine uno inter homines existente, tam prodigiosi roboris, ut solus, & suis duntaxat viribus tantundem efficere valeat, quantum vel exiguissimæ ditionis princeps subjectorum sibi operâ & manibus. Unde fit, ut vulgus mortalium, cui externam solummodo rerum speciem intueri mos est, vix alias agnoscat, quàm hujusmodi vires : nec alios appellare potentes soleat, quàm, qui divitiis, imperióque excellunt: quatenus hi per servos, & conductas mercede operas, multa possunt præstare, quæ exiguum, & singulare unius hominis robur excedant. Quemadmodum etiam hinc oritur vanissimus ille animi tumor, quem, ob sui

sui imperii amplitudinem, suorúmque exercituum vim, magni quidam Principes solent concipere, non modò sese ideò jactantes, instar illius Médorum Regis, qui in sacra Judith historia, (*c.* 1.) *Gloriabatur, quasi potens in potentia exercitûs sui, & in gloria quadrigarum suarum.* Verùm etiam altius sibi aliquid tribuentes, quàm humana ferat conditio, & ad Alexandri Macedonis, & Nabuchodonosoris exemplum, divinis honoribus coli affectant. Cùm itaque jam satìs demonstratum à nobis sit, quàm infinitè in primo illo potentiæ effectricis genere creatis quibusque causis DEUS antecellat, dictus ideo ab Apostolo, (*1. ad Tim. c. 6.*) *Solus potens*; demonstrandum jam est, quàm incomparabili exuperantiâ in altero hoc etiam potentiæ Dominatricis genere terrenis quibusque Regibus præstet: dignus ideò audire, ceu ab Ecclesia inter sacrificandum nuncupatur, *solus Dominus, solus Altissimus.*

2. Duo sunt apud Jurisconsultos dominii genera: Jurisdictionis unum, quale est Principis in sibi subjectos: alterum proprietatis, quale uniuscujusque in suum jumentum, in suam domum, & in quamcunque aliam rerum suarum. Primum consistit in potestate regendi eos, qui sub ditione sua sunt, per imperia, at-

atque leges, quibus obtemperare ipsos æquum sit, &, si secùs faxint, congruentes pœnas persolvere. Secundum, in jure utendi ad arbitrium re possessa: eam nimirum donando, vendendo, absumendo, & quidquid aliud placuerit, de ea statuendo: ità ut nemo justè queri de talibus usibus possit, aut possessor ullam reddere eorum causam cogatur, præter hanc unam, *sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas.* (*Juv. Sat. 6.*) Cuinam igitur alteri, sive hoc, sive illud ex prædictis duobus dominiis adeò unquam amplum, adeò plenum, adeóque in natura sua insitum obtigit, uti ambo in res omnes creatas summus earum Conditor, & Dominus obtinet?

3. Si primum attendamus, hoc sanè illi convenit super quaslibet rationales substantias, ab infimis usque ad supremas: adeò ut non minùs subjecti illius jurisdictioni sint immortales cæli spiritus, quàm mortales terrestris hujus mundi incolæ, aut inter hos summi populorum Rectores, quàm abjectissimæ mancipiorum, & mendicabulorum quisquiliæ. Quamobrem ab Apostolo nominatur, (*1. ad Tim. c. 6.*) *Rex Regum, & Dominus dominantium*: & David Angelos vocat, (*Ps. 102.*) *Ministros ejus, qui faciunt voluntatem ejus*: quemadmo-

modum itèm alio in loco dicit, (L. 1. *Paral.* c. 29.) *Tu es super omnes Principes. In manu tua magnitudo, & imperium omnium.* Neque solùm hæc DEI jurisdictio ad omnes tum homines, cùm Angelos pertinet; sed omne etiam legum, ac præceptorum genus complectitur. Cùm nulla sit tam ordinaria, & indifferens actio, quam ille nequeat seu vetare, seu præscribere, cum quovis obligationis nexu ipsi libitum fuerit. Siquidem ejus voluntas omnis recti norma est: cui proin quæcunque inferior voluntas vel ultro se submittat jubenti, necesse est, vel in vita punienti, & vindicanti subjaceat. Quapropter 18. & 19. Levitici capite, complura ipse imperans, à populo Israëlis servanda, eorum promulgationi hanc ferè vigesies interserit formulam; *Ego Dominus*: omnia demum, quæ antea imperarat, sic concludens: *Custodite omnia præcepta mea, & universa judicia, & facite ea: ego Dominus.* Perinde quasi dicat: Ità vobis præcipio; & si causam quæritis, en illam, cuivis patentem, quáque nulla desiderari potest justior: quia nempe, cùm vester Dominus sim, vósque meo imperio subjecti; meum est jubere, vestrum jussa exequi: *Ego Dominus: leges meas custodite.* Imò D. Augustinus observat, nulla alia de causa, ni-

nisì ſuæ hujus herilis poteſtatis exercendæ, interdictum ab eo primis progenitoribus noſtris fuiſſe, nè unius certæ arboris fructum guſtarent. Ideoque, cùm Adamum induxiſſet, objicientem, (*In Pſ. 70.*) *Si bona eſt arbor, quare non tango? ſi mala eſt, quid facit in paradiſo?* ſubjicit protinus divini Legislatoris reſponſum: *Ideò eſt in paradiſo, quia bona eſt, ſed nolo, tangas. Quare? quia Dominus ſum, & ſervus es. Hæc tota cauſa eſt. Si parva eſt, dedignaris eſſe ſervus.*

4. Parum tamen ampliſſimæ ſupremi Regnatoris juriſdictioni eſt, ſubjectum ſibi habere omne genus humanum, & quidquid eſt cæleſtium ſpirituum; extenditur etiam in cæteras res omnes creatas, licèt rationis, atque ſensûs expertes: cùm nulla inter has ſit, quæ illius juſſis non promptiſſimè obediat, juxta illud Davidicum: (*Pſ. 148.*) *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus:* juxtáque illud perquam validum, & convincens centurionis Euangelici argumentum, dum ex ſua, quamvìs privati hominis poteſtate ſupra domûs ſuæ famulos, & centuriæ ſuæ milites, rite collegit, quantò majorem ſupremus mundi arbiter obtineret ſupra corpora, eorúmque languores; ſic proinde illum alloquens,

quens, (*Mat. c. 8.*) *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum, sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit: veni, & venit: & servo meo, fac hoc, & facit.* Cujus potestatis, nisi per se patens, nullique dubia esset, innumera afferri possent, & ex quovis desumpta mutarum rerum genere exempla: ceu ex febri, quæ ad primum ejus imperium, liberam & incolumem Simonis socrum reliquit: (*Luc. 4.*) *Imperavit febri, & dimisit eam*: ex sole, qui pro diverso ejus nutu vel movetur, vel subsistit: (*Baruch. 3.*) *Qui emittit lumen, & vadit: & vocavit illud, & obedit ei cum tremore*: terra, quæ illo aspiciente tremebunda concutitur: (*Ps. 103.*) *Respicit terram, & facit eam tremere.* Sed his, aliisque omnibus prætermissis, duo tantùm depromam, in quibus luculentior appareret illius imperii supra res sensu carentes vis atque efficacia. Primum extat in libro Geneseos, (*c. 1.*) ubi, post relata ejus imperia, sive aquis, ut in eundem locum confluerent; sive terræ, ut suos gigneret fructus; sive soli, atque lunæ, ut distinguerent tempora; statim subjungitur promptissima singulorum executio, communi illo epiphonemate; *Et factum*

est ità, & factum est ità, & factum est ità. Alterum in Euangelio videre est, per occasionem tempestatis, quæ Apostolorum cymbæ naufragium minitans, momento temporis sedata ab eo est. At quo pacto sedata? nempe vocibus, quæ à ventis & mari, non secùs ac si sensu præditi essent, obedientiam exigerent. Nam S. Matthæus eas imperium appellat, (*c.* 8.) *Imperavit ventis & mari:* Sanctus Lucas dicit, objurgantis voces fuisse, (*c.* 8.) *Increpavit ventum:* S. Marcus minarum nomine eas exprimit, (*c.* 4.) *Comminatus est vento:* qui tamen omnes in earum effectu referendo conveniunt, subdentes, tempestatem, vix editis his vocibus, perinde quasi supremam eas proferentis authoritatem cognosceret, extimuisse illas minas, suffusam verecundiâ; & pudore ad eam increpationem fuisse, eique confestim imperio esse obsecutam: *Et facta est tranquillitas;* non sinè incredibili circumstantium admiratione, qui attoniti, sese mutuò respectantes, dicebant: *Quis putas est hic, quia ventis & mari imperat, & obediunt ei.* Præterquam quòd hujus suæ potestatis perpetuum habemus, & quotidie videri obvium specimen in eodem maris elemento. De quo si à Philosophis ego scitarer, unde sit, ut licèt furiosis-

si-

simis tempestatibus sæpe commotum, nec aliter adversùs terram consurgens, ac si eam obruere penitùs vellet; non tamen litorum fines prætergrediatur, sed, eò appulsum, receptui canat, in se séque aversum resiliat; nequirent profectò veriùs respondere, quàm si cum D. Basilio Seleuciensi rei causam conferrent in vetus præceptum à Conditore suo mari impositum, non transeundi illos limites: (*Job.* c. 38.) *Usque huc venies, & non procedes amplius, & hìc confringes tumentes fluctus tuos*: præceptum validius ad illud retroagendum, quàm naturalis suus impetus sit, ad porrò impellendum: adeò ut, illius quasi inscriptionem in arenis litoralibus legens, suos illico motus inhibeat, & venerabundum retro signa convertat. (Or. 1.) *Vocem Domini litoribus inscriptam cùm intuitum fuerit; curvatis fluctibus termini positorem adorat.* Adeò verum est D. Hieronymi effatum, DEI jussa pro sensu quodammodo esse substantiis, quæ suâpte naturâ illo carent. *Omnes creaturæ Creatorem sentiunt, non errore Hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed majestate Conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.* (L. 1. *in c. 8. Matth.*)

5. Unde etiam sat idonea suppetit ratio arguendi DEUM, quando sive impedit extra-

ordinaria & altiori virtute res creatas, nè usitato suo more operentur; sive etiam ad contrarios effectus earum operâ utitur; non ideo contra earum naturam agere, ullámque iis vim inferre: tum quia nihil aliud est rei cujusque natura, quàm DEI voluntas, ut talis sit: putà solis natura, quàm ut talis sit, qualem DEUS esse jussit, corpus scilicet lucidum: ac proinde, si contingat aliquando DEUM nolle, ut sol luceat; nequaquam illius natura tunc erit lucere: tum quia, secundùm D. Thomæ doctrinam, (*L. 1. contra Gent. c. 100. & 1. p. qu. 105. a. 6. ad 1.*) nullus motus, etiamsi innatæ rerum propensioni contrarius, potest jure dici violentus, si à causa quapiam superiori, & habente naturalem vim eas movendi, proveniat. Ac proinde, licèt quævis corpora gravia per sese, & proprio suo instinctu ad centrum ferantur; nemo tamen violentos dixerit seu mari statos undarum accessus, recessúsque; sive animalibus suos hac, illac discursus: nempe quòd primos cælum excitat, cui inferiora quævis corpora, cum innatis sibi propensionibus, naturæ lege subsunt: ad alteros verò anima impellit, cui corporis regimen naturaliter convenit. Parùm igitur refert, quòd res omnes creatæ, prout sunt hoc, vel

vel illud peculiare ens, ad hanc, vel illam operationum ſpeciem propendeant. Nam omnes propriæ hujus, vel illius entis propenſiones, ceu communi entis creati propenſioni ſubjectæ à natura ſunt, ſic tam diu ſolummodo permanent, quamdiu illa ſuperior, & univerſalis propenſio in oppoſitam partem non fertur. Quod ubi accidit, jam quævis ſubſtantia hujus, vel illius certæ ſpeciei ſe eſſe obliviſcitur, nec aliud meminit, nisì quod creata à DEO ſit: exuénſque proprios ſpeciei ſuæ inſtinctus, unum illum retinet, qui ſibi, ſecundùm generalem creatæ rei rationem convenit, obſequendi nimirum Creatori ſuo inſtinctum. Unde fit, ut, licèt peculiaris hæc ſubſtantia, exempli gratiâ ignis, gauderet, quatenus talis eſt, omnem ſibi objectam materiam comburere; nihilominus, quatenus eſt DEI opus, illíque ideo naturali jure ſubjectum, neutiquam comburere appetit, nisì illas materias, in quibus à DEO ſinitur innatam ſibi vim exercere: ac propterea, ſi fortè ille nolit hìc, aut alibi eam exerceri, mutat confeſtim ſinè ullo reniſu peculiarem ſuum inſtinctum, quidvis comburendi in generalem & potiorem alterum DEO obſequendi: imò neque illum mutat, quaſi primum dimittens,

alterúmque assumens : cùm nunquam instinctum habuerit, in tali circumstantia comburendi ; neque unquam instinctu caruerit, in quavis circumstantia suo authori obsequendi. Cujus rei locuples testimonium possunt esse leones, aliæque immanes belluæ, quæ toties, contra quam eorum tum feritas, tum fames suadebat, DEUM in suis famulis, atque amicis reveritæ sunt, catulorum ritu iis blandientes, & à cæde eorum sibi temperantes. In qua mansuetudine, longissimè cæteroqui ab eorum ingenio, moribúsque aliena, nullam leguntur præsetulisse coactionis & violentiæ, sed hilaritatis potiùs, lætitiæque speciem; nec proinde contrarium naturæ suæ propensionibus experiebantur, quod Conditoris sui imperiis, ac voluntati erat congruens: sed uti aliis temporibus in alia corpora sævientes naturaliter duntaxat agebant, quia hanc ab illo in suo exortu propensionem acceperant; sic parcentes illius famulis, secundùm novam propensionem ab eo sibi inditam, non poterant, huic morem gerendo, naturaliter non agere. Audiatur pro confirmatione, conclusionéque dictorum S. Augustinus: qui pro certo statuens, non aliud esse rerum creatarum naturam, nisi Creatoris voluntatem, con-

consecutione certa indè colligit, non posse illi adversari, quod huic consentaneum est. (L. 21. *de Civ. c. 8.*) *Omnia portenta contra naturam dicimus esse, sed non sunt. Quomodo est enim contra naturam, quod DEI fit voluntate? Cùm voluntas tanti utique Conditoris conditæ rei cujusque natura sit. Portentum itaque fit non contra naturam, sed contra quam est nota natura.* Idémque alibi etiam confirmat his verbis: *DEUS omnium Creator naturarum nihil contra naturam facit. Id enim erit cuique natura, quod ipse fecerit, à quo est omnis modus, numerus, ordo naturæ.* (L. 26. *contra Faust. c. 3.*)

6. Age jam, quale, quámque mirum, & nusquam alibi auditum hoc jurisdictionis genus videtur, cui, præter omnimodam totius rationis naturæ subjectionem, nihil est etiam brutarum, & sensu carentium rerum, quod non obtemperet, nihil, quod illud non agnoscat, & sentiat, nihil, quod instar suæ naturæ non habeat, sese illi promptissimo obsequio submittere? Quisnam inter mortales Dominos, Regésque unquam extitit, qui posset sidera, ignem, ventos, maria, tempestates, frigora, æstus, ipsósmet humores sui corporis ad sibi obediendum, & sua jussa peragenda compellere? Imò quisnam eorum unus fuit, qui re-

rebus hujusmodi obnoxius non esset, contráque infestam earum vim ità se tueri posset; quin sæpe invito, & nequicquam obluctanti molestiam exhiberent, ipsámque adeò vitam tollerent? DEI, DEI unius propria est tam universalis potestas. Ipse unus est ille Princeps, qui imperat, & prædictas omnes, tametsi irrationales, atque sensûs expertes, substantias imperiis suis obsequentissimas habet: quin earum ulla possit, non dicam ejus jussa frustrare, non dicam contra illius interdictum moveri, non dicam brevissimi temporis moram exequendis illius placitis interponere; sed nec aliam propensionem, aliúmque instinctum naturalem habere, præter meram ipsius voluntatem.

7. Et tamen nondum summam jurisdictionis illius prærogativam attigimus. Maximi prodigii est sua imperandi authoritate eas res, quæ sensu carent, complecti: sed multò majoris eandem authoritatem etiam in res existentiâ carentes, exercere. Atqui has etiam supremus mundi Rector quibusvis suis jussis mirè faciles, & morigeras habet. Hæ quoque, quibus nihil cogitari potest surdum magìs, obsequiíque minùs capax, ex altissimis nihili penetralibus dominatricem illius vocem per-

percipiunt : & mox ut compellari se audierint, nè momento quidem temporis interjecto, foras prosiliunt, eique ad omnem nutum paratas se exhibent: (*Baruch.* 3.) *Stellæ vocatæ sunt, & dixerunt, adsumus, & cum jucunditate luxerunt ei, qui fecit illas.* Atque huc fortè respexit Moyses, ubi DEUM priùs Dominum, deinde procreatorem hominum nuncupavit. (*Deut.* 32.) *Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te.* Qui ordo verborum, in loquendo de terrenis parentibus, præposterus haud dubiè esset, cùm hi partus suos priùs generent, ac deinde possideant. At, ubi de DEO agitur, congruentissimus illius naturæ est, tanquam parentis, qui suos partus priùs possidet, quàm producat: imò neque posset illos producere, nisi antea subjectos omnino dominationi suæ haberet, cum amplissima potestate, in nihilo eos relinquendi, vel indè evocandi. Quonam igitur ultra pertinere illius jurisdictio potest, cùm non modò totum esse complectatur, sed totum etiam non esse, per immensissima nihili, & meræ possibilitatis spatia diffusum: adeò ut nullum sive Angelorum, sive hominum, sive irrationalium naturarum individuum sit, quod non priùs, quàm esset, sub illius imperio fuisset.

8. Nihil profectò cogitari, fingique animo ulterioris amplitudinis potest. Sed duo nihilominus consideranda adhuc restant immensi hujusce dominatûs præstantissima decora: alterum, quòd non extrinsecùs DEO obveniat, sed in ipsa illius essentia fundetur: alterum, quòd nullo certo temporis spatio concluditur, sed æternùm perdurat. Insitum igitur in supremi Regnatoris essentia est suum in res omnes creatas imperiũ: cùm nequaquam illud seu armorum vi occupaverit, seu per hæreditariam successionem adeptus sit, seu electorum suffragiis acceptum id referat, sed ea duntaxat naturæ lege obtineat, qua universè sancitur, ut qui cæteris omnibus sui esse præstantiâ antecellit; imperii etiam authoritate debeat iisdem præesse. Und fit, ut ratione hujus naturalis excellentiæ, & animæ supra corpus, & in anima rationi super appetitum sensibilem, & inter animantia homini supra pecudes, & in hominum genere mari supra fœminam dominatus conveniat. Ex qua inductione Aristoteles colligit, si contingat hominum quempiam sapientiâ, & virtute tantùm aliis præstare, quantùm corpori anima, & homo brutis animantibus præstat; nullis opus esse comitiis, aut suffragiis, ut cæterorum gu-

ber-

bernatio, atque regimen ei deferatur. (*L. 1. Pol. c. 3. L. 3. c. 9. & 12.*) Nec aliter sentiebat Socrates, docens, sapientiorem semper minùs sapienti imperare: hanc suam sententiam confirmans Regum exemplo, qui, ubi aliquid decernendum occurrit, sive in bellicis, sive in architectonicis, sive in alia quavis re peritiores consulunt, & ab iis regi se sinunt. Quod si quispiam objiceret, repudiari sæpe ab imprudentibus prudentioris consilia; quid tum? respondebat: non ideò minùs ei subjecti sunt. Nolentes siquidem utilia præcipientem audire; justis ab eo pœnis, improspero scilicet suorum negotiorum eventu, multantur: quemadmodum etiam, qui Principis leges servare abnuit, non idcirco ab illius dominatu se eximit: cùm satìs sit, posse Principem violatarum legum, & denegati obsequii ab eo pœnas repetere. Si ergo inter homines, quamvìs una, & par omnium natura sit, potest tamen tanta perfectionis inæqualitas reperiri, ut ad naturale dominii jus uni super alios tribuendum sufficiat; quidni ad idem jus DEO in creata omnia vindicandum satìs, supérque esse debeat infinita illius naturæ perfectio, qua excellentissimis quibusque rerum creatarum incomparabiliter magìs præstat,

quàm

quàm homo, vel Angelus infimo cuivis brutorum. *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo.* (*Isa. c. 40.*)

9. Atque hinc derivatum alterum DEI imperio attributum à nobis decus, quòd nempe sit, ut illud Psaltes Regius vocavit, (*Ps.* 144.) *Regnum omnium sæculorum*, nunquam scilicet defecturum, sed immobili, æternáque stabilitate fundatum. Nam, sive jus illius obtinendi spectemus, & utì hoc non aliunde, quàm ex infinita divini esse excellentia promanat; sic non potest suo illo fonte minùs esse perpetuum, sive ejusdem possessionem intueamur, clarum est, hanc non posse à supremo Domino unquam amitti. Cùm neque ùt Omnipotens eâ spoliari per alienam vim, neque ùt rectissimus eam possit à sese ultro abdicare, & alteri minùs idoneo concedere. Quocirca, qualis semper fuit, talis semper, támque plena esse perget illius dominatio supra quidquid conditarum rerum sive in terris, sive in cælo est: neque unquam hæ desinent, pro suo Rege illum agnoscere, séque illi omnino subjectas fateri: iterantes per totam porrò æternitatem illum testem obsequii sui hymnum, quem D. Joannes Euangelista ab iis cani olim audivit: *Et omnem creaturam, quæ*

in

in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, omnes audivi dicentes, sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. (*Apoc.* 5.)

10. Sed manifestiora adhuc fient duo hæc divinæ jurisdictionis decora, si alterum item consideremus dominii genus, nempe proprietatis dominium, quod & ipsum DEO plenissimum convenit supra quodvis esse à se conditum, tanquam supra rem penitùs suam, neque suam uno tantùm, sed triplici nomine, quòd nempe illius effector, conservator, atque ultimus finis sit. Siquidem unumquodque horum nominum, nedum tota eorum collectio, absolutum in res creatas proprietatis dominium DEO tribuit; ut præter potestatem, eas ad arbitrium suum gubernandi, quovis genere præceptorum & legum; possit etiam iisdem, ceu mancipiis suis, uti, quacunque ratione ipsi libitum fuerit. Quam illius potestatem non modò sanctus Rex David palàm contestatus est, sic eum alloquens: (*L. 1. Paral c. 29.*) *Benedictus es Domine DEUS Israël ab æterno in æternum. Cuncta enim, quæ in cælo sunt, & in terra, tua sunt. In manu tua magnitudo, & imperium omnium*; verùm etiam superbus Nabuchodonosor, malo suo edoctus, agno-

agnovit, utì declarat humilis, & religiosa ejus confessio: *Regnum ejus in generationem & generationem: & omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt. Juxta voluntatem enim suam facit, tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ. Et non est, qui resistat manui ejus, & dicat ei, quare fecisti?* (Dan. 4.)

11. Quod ergo ad primum Effectoris titulum attinet, proniſſimum cuique est intelligere, quantum ille dominii jus in omnem rerum creatarum universitatem DEO conferat. Nam, inter proprietatis jura, quæ obineri ab hominibus quoque in rem aliquam possunt eò quòd illa seu casu repererint, seu ex alieno munere habeant, seu pecuniâ sibi comparaverint, seu præmii, ac remunerationis ergo adepti sint; nullum est certius, & clarius, quàm indè proveniens, quòd sua illam arte, operáque effecerint. Unde fit, ut quivis artificum libertatem ampliſſimam habeat statuendi, prout voluerit, de vasis, de libris, de statuis, déque aliis quibusvis à se elaboratis operibus, sive illa donando, sive ad hos, illósque usus adhibendo, sive etiam destruendo: neque idcirco quisquam justam ei possit litem intendere, aut ipse aliam opus habeat eorum causam reddere, nisì unam hanc, Dominus sum:

sum: opus meo labore est effectum, meique adeò juris. Quidquid de illo statuam, de re statuo, non alienâ, sed meâ. (*Ad Rom. 9.*) *Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Quæ potestas, si cuivis artifici in suæ artis effecta conceditur, quamvis ipse nulla ex parte naturale illis esse, sed externam tantùm speciem tribuerit; quantò potiori jure supremo universitatis Effectori concedenda est in res omnes creatas: cùm nullum hæ prorsus esse habeant, quod ab eo non acceperint? (*Jerem. 18.*) *Numquid sicut figulus iste, non potero vobis facere, domus Israël? ait Dominus. Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Certè, si sculptor statuam, è ligno à se effictam, comburat, aliquam hæc videtur habere causam de illo, prout merè artifex illius est, conquerendi, cur, inquiens, naturâ ligni me exuis, quæ nullo modo à te impertita mihi est, & secundùm quam tuum opus non sum? At, si DEUS quamcunque rem à se conditam in nihilum redigat; sicut nihil illi tunc eripit, quod suæ dexteræ effectus non sit; sic nullum ei relinquit justè expostulandi adversùm se locum: nec alia ratione

ne

ne opus habet, ad sui facti æquitatem tuendam; quàm ut ei dicat: quidquid habes, atque es, non tuum est opus, sed meum, nec ad tuum, sed ad meum spectat dominium. Si ergo nemini injuriam facit, qui pro arbitratu suo utitur rebus suo dominio subjectis quid injuriæ tibi infero, si, cùm totum tuum esse dominii mei sit, pro mea voluntate illo utor? Et re ipsa in sacris Literis vix proferri alia divini super creata omnia dominii solet causa, quàm, quòd DEUS illa è nihilo in lucem produxerit: uti colligitur tum ex illis Mardochæi verbis, (*Esth c.* 13.) *Domine, Domine, Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tuæ resistere voluntati: Tu fecisti cælum, & terram, & quidquid cæli ambitu continetur. Dominus omnium es.* Tum ex illis libri Sapientiæ. *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti?* (c. 12.)

12. Alter titulus, ratione cujus plenissimum DEO in res omnes creatas proprietatis jus convenit, est, quòd nulla earum acceptum ab illo esse, nè ad punctum quidem temporis retinere, nisi conservante, & sustinente illo, possit. Quemadmodum enim lapis, sive aliud corpus naturâ suâ grave, & ad ima propendens,

dens, neque ab humo erigi valet, neque ità erectum persistere, nisi vis, quæ illud in sublime levavit, ibi etiam elevatum sustentet; sed ab ea derelictum suo statim pondere urgente, in terram relabitur; sic res etiam creatæ, neque ad esse prodeundi, neque in illo perdurandi vim habent, nisi æterni Conditoris manus in existentia, quam primò illis tribuit, assiduè conservare illas pergat: quàm conservatricem manum, si ea illis subtraheret, mox in nativi sui nihili fundum reciderent. Ad cujus veritatis comprobationem multa equidem possent sacrarum Literarum testimonia adduci. Posset Davidis ille versus, ubi acceptum DEO refert, non primum duntaxat suum esse, dicens ei: (*Ps.* 138.) *Tu formâsti me*; sed & continuationem ejusdem, addens illico: *& posuisti super me manum tuam.* Posset ex Sapientiæ (*c.* 11. *v.* 26.) ubi ex DEO quæritur: *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Posset illud divini Verbi effatum (*Joa. c.* 5.) *Pater meus usque modo operatur*: Quo effato D. Augustinus, ad nostram divinæ conservationis indigentiam asserendam, utitur, scribens: (*L.* 4. *de Gen. ad lit. c.* 14.) *Creatoris namque potentia causa est subsistendi omni creaturæ, quæ ab eis, quæ creata sunt, regendis si aliquando cessaret; si-*

mul & eorum ſpecies, omníſque natura concideret. Neque enim, veluti ſtructuram ædium cùm fabricaverit quis, abſcedit, atque, illo ceſſante ſtat opus; ità mundus ictu oculi ſtare poteſt, ſi ei DEUS regimen ſuum ſubtraxerit. Proinde, cùm Dominus ait, Pater meus uſque modò operatur; continuationem quamdam operis ejus, quæ univerſam creaturam continet, atque adminiſtrat, oſtendit. Poſſet etiam locus ille ex libro Geneſeos, ubi Deus dicitur die ſeptimo quieviſſe (*c. 2.*) *ab omni opere ſuo, quod creavit, ut faceret:* quæ clauſula, *ut faceret*, primo aſpectu obſcura, & redundans, non aliter explicari poſſe meliùs videtur; quàm ſi accipiatur pro rerum conſervatione, quæ quaſi nova, & continuata illarum effectio eſt: ità ut, dum DEUS dicitur creaviſſe mundum, ut eum faceret; perinde ſit, ac ſi diceretur, illum creaviſſe, ut conſervaret, nempe ut aſſiduè mox pergeret illum facere, creare, ac producere. Unde etiam in ſeptuaginta interpretum verſione, pro verbis ſuprà dictis, *Quod creavit DEUS, ut faceret*, legimus, *quæ incœpit DEUS facere.* Sed his omnibus, aliíſque hujuſmodi teſtimoniis relictis, ſat in præſens mihi erit unum, alterúmve Doctoris Gentium proferre: qui tum in epiſtola ad Hebræos docet, Conditorem omni-

mnium omnia item continere, ac tueri. (*c.* 1.) *Portat omnia verbo virtutis ſuæ:* nempe (ùt declarat D. Anſelmus, vel ſecundùm alios Erveus) *Surſum tenet, nè decidant, & in nihilum revertantur;* tum Coloſſenſibus ſcribens, divini Verbi eſſe affirmat, utì primam rerum productionem, ſic & perpetuam deinde ſubſiſtentiam. (*c.* 1.) *Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & omnia in ipſo conſtant.* Subdit etiam hìc ſuprà dictus interpres: *Omnia in ipſo conſtant, quia, ſicut omnia creavit, ſic omnia continet, ac regit. Omnia in ipſo conſtant, quia omnia ſunt intrà ipſum, &, nè in nihilum redeant, per eum conſiſtunt.* Quapropter, cùm hæc veritas tot divinis confirmetur oraculis, omnes Theologos adſtipulatores habet: nè Durando quidem excepto, qui, licèt adversùs communem reliquorum ſententiam, neget, ſubſtantias creatas ad quamcunque ſuam operationem præſenti Dei ope indigere. (*Ap. Leſſ de Perf Div. L. 10. c. 3.*) profitetur nihilominus, hanc iis neceſſariam omnino eſſe, ut in exiſtentia divinitus accepta permaneant. Imò tam per ſeſe manifeſtum id eſt, ut etiam profanis ſapientibus cognitiſſimum fuerit: ceu Triſmegiſto, quem de univerſali rerum Conditore palàm prædicantem audivimus. (*Pim.* 11.) *Si influxum ſu-*

um ille ſubtraxerit ; in mortem corruent univerſa. Platonicæ Philoſophiæ profeſſores, teſte Marſilio Ficino, (*L. 2. Phil. Plat. c. 7.*) docebant, mundum à DEO indeſinenter creari, nec ab eo minùs pendere, quàm umbram à corpore, & lucem à ſole. Et jure optimo quidem: cùm, ſecundùm D. Chryſoſtomum, non minori virtute opus ſit, ad conſervandos, quàm ad producendos effectus. (*Hom. 2. in Ep. ad Hebr.*) *Non minus eſt continere mundum, quàm fecisse.* Cujus veritatis quiſque ſibi eſſe locupletiſſimus erit teſtis, ſi conetur magni ponderis lapidem ab humo ſuſtollere, & ſublatum aliquamdiu retinere. Suo ſiquidem experimento condiſcet, manibúſque ipſis quodammodo attrectabit, æquè laborandum ſibi eſſe, ut eũ pergat ità ſuſtinere; ac laborandum fuerit, ut primò elevaret. Quid ergo hinc conſequitur? conſequitur, quòd, qui impos eſt attollendi in ſublime cujuſpiã oneris, impos quoque ſit illius ſuſtentandi; & qui rem aliquam è nihilo educere non valeat, neque valeat eandem extra nihilum retinere: ac proinde, cùm nulla res creata ſuum eſſe ſibi poſſit tribuere, nullam quoque illud poſſe ſibimet conſervare: *Sicut nulli effectui* (verba ſunt Doctoris Angelici 1. *p. qu.* 104. *a.* 2. *ad* 2.) *præſtari poteſt, quòd*

quòd sit causa sui ipsius; ità etiam nulli effectui præstari potest, ut sit sui ipsius conservativus. Neque solùm ex prædicta ratione sequitur, nullam rem posse suis viribus, sed neque solis alterius creatæ causæ viribus, in sua permanere existentia. Quemadmodum enim nulla est virtus creata, quæ possit vel substantias spirituales, vel primam corporum materiam è nihilo educere; sic nulla itèm est, quæ sive huic, sive illis extra nihilum conservandis par sit. Nihil proinde jam obstat, quin omni procul dubio concludamus, nullam posse vel corpoream, vel spiritualem substantiam; sinè continua DEI operatione, vel ad temporis punctũ persistere: sed necesse prorsus esse, ut earum quælibet, ceu Regius Psaltes DEO canit, si spectari ab eo desinat; instar aëris, unde sol discesserit, omni protinus luce destituatur, & in sui nihili tenebras recidat. (*Ps. 108.*) *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur. Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.* Quæ conclusio, cæteroqui per se ipsam firmissima, novo adhuc argumento firmiùs stabilitur: quæ, nisi vera esset, res creatæ à DEO minùs penderent, quàm earum aliquæ ab aliis creatis; putà lux à sole, & actus

vitales ab anima pendeant. Imò neque concipi, & explicari posset, quonam modo earum nonnullæ, quæ nihil in mundo contrarium habent, ùt Angeli, & materia, possent Dei virtute in nihilum redigi, quáque ratione quoad suam existentiam illius arbitrio subessent. Quapropter fieri non potest, quin idem hìc eveniat, quod usuvenire cernimus, quoties sigillum aliquod materiæ liquenti, putà aquæ, superponitur. Quemadmodum enim sigillum illud non diutiùs subjecto aquæ humori, effigiem sui imprimit; quàm quamdiu ei applicatum retinetur, & ùt eo indè amoto, omnis imago in aqua evanescit; sic essentia divina prototypum totius esse creati, cùm nequeat, ad nos procreandos, & suam in nobis exprimendam imaginem, alteri materiæ se applicare, quàm nihilo, materiæ nimirum, qua nil est fluxum magìs, & minùs subsistens; neutiquam sanè potest imaginem ibi imprimere diutiùs mansuram, quàm ipsius ad rem adeò fluxam applicatio permanserit: ac proinde, quamdiu applicata ipsi hæserit. Quòd si vel ad punctum temporis indè abscedat, nihilum protinus ad informem suam meri nihili formam, & inanitatem revertitur, nè umbram quidem, aut vestigium tenuissimum servans ima-

imaginis, quam antea ſibi impreſſam gerebat.

13. Cùm itaque, ùt vidimus, nulla res poſſit per ſe ipſam in exiſtentia ſua permanere; ſed, quàm olim neceſſaria illi fuit DEI virtus, ut primò exiſteret; tam neceſſaria ſit pariter, ut pergat exiſtere, adeò ut ea deſinente rem aliquam ſuſtinere; illa res itidem in mundo ultra eſſe deſineret: conſiderandum cuivis relinquo, quàm plenè hoc etiam nomine excellentiſſima quævis ſubſtantia cæleſti Domino ſit ſubjecta, atque obnoxia: quando ex mero illius nutu ſuum vel eſſe, vel non eſſe in ſingula pendet momenta: utpote Domini, *qui habet flatum noſtrum in manu ſua*: (*Dan. c. 5.*) nec, ad nos in nihilum redigendos, opus habet, ſeu terræ motibus, ſeu fulminibus, ſeu quavis actione, ſed, quin hiſce utatur inſtrumentis, ſatis habet ceſſare ab agendo, quo nihil cogitari poteſt expeditius, & promptius. (*L. 2. Mach. 8.*) *Qui poteſt univerſum mundum uno nutu delere.* Parum eſt; imò, *qui poteſt univerſum mundum, etiam ſinè ullo nutu delere.*

14. Poſtremò, etſi memorata duo nomina abeſſent, nec ſeu creati à DEO eſſemus, ſeu in ſingula quævis momenta indigeremus ab eodem conſervari; ſufficeret ei nihilominus

ad pleniſſimum ſupra omnia, quæ creavit, proprietatis dominium, ſola ratio ultimi finis. Quæ ratio & neceſſariò ipſi convenit, nec diſjungi à perfectiſſima dominatione unquam poteſt. Neceſſariò ipſi eam convenire recta mundi conſtitutio evincit, qui certè nimiùm quàm inordinatus eſſet, nisi & univerſæ illius partes ad unitatem communis alicujus, ejuſdémque ultimi finis redigerentur; & hic dignitate, ac præſtantiâ naturæ ſuper omnia, quorum finis eſt, emineret. Idque confirmatur aliorum quorumvis vel peculiarium finium exemplo. Comparando inter ſeſe univerſas res ſenſibiles deprehendimus, inferiores quaſvis naturas, præſtantiorum gratiâ eſſe factas, nimirum accidentia propter ſubſtantias, plantas propter animalia, & bruta animalia propter hominem: ùt mundi Conditor in ejus exordio ſancivit, primos noſtros parentes alloquens: (*Gen. c. 2.*) *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram. Ecce dedi vobis omnem herbam, afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemet ipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omníque volucri cæli.* Unde colligitur, ſi etiam finita naturalis per-

perfectionis præstantia sufficit, ut aliqua ex rebus creatis alterius sit finis, multò magis DEO sufficere infinitam naturæ præstantiam, qua iis omnibus sinè ulla proportione antecellit, ut universalis & supremus rerum creatarum sit finis: cùm nulla earum peculiari sua perfectione, & dignitate adeò emineat, quin, ipsi collata, multò despicabilior sit, quàm vel accidens præ substantia, vel abjectissima quæque inter substantias præ homine. Admisso jam, ceu admittendum necessariò est, DEUM esse omnium, quæ extra ipsum sunt, ultimum finem, dubitari minimè potest, quin eadem naturali jure sibi subjectissima habeat. Finis quippe dominatio in res gratiâ sui factas adeò est eximia, ut ipsius causæ effectricis in res à se productas dominationi antecellat: cùm hæc nunquam operetur, nisi, prout à fine directa, ceu à primo suo motore, unicáque ratione tribuendi hanc, vel illam suis effectibus formam. Unde quilibet eorum adeò intimè, & usquequaque fini suo subditus nascitur; ut eatenus solummodo in pretio esse queat, & meritum existendi habeat, quatenus ei famulatur, etsi idcirco ipsum deleri, atque absumi contingat. Cui rei declarandæ opportuna esse potest plenissima illa libertas, qua nos ani-

mantibus brutis in rem noſtram utimur, ſinè ullo earum incommodi, & laboris reſpectu, includendo caveis volucres, gravibus ſarcinis onerando jumenta, bovéſque non ad dura ſolùm aratri miniſteria cogendo, ſed ad epularum quoque uſum mactando. Etenim, ſi ad hanc libertatem juſtè exercendam, ſatìs eſſe nobis cauſæ videtur, quòd eæ pecudes noſtræ utilitatis gratiâ ſint conditæ, quamvìs cæteroqui neque à nobis habeant, quod ſunt, neque ad nos à natura referantur, quaſi ad ultimum, & neceſſarium ſuum finem; quantò majorem cauſam DEO præbet liberrimè, & quomodocunque viſum ſibi fuerit, decernendi de nobis, cùm & ab ipſo, tanquam ab univerſalium rerum principio, & propter ipſum, veluti propter ultimum, & neceſſarium naturæ noſtræ finem conditi ſimus? Præbet ſanè tantam, ut poſſet pro jure ſuo nos cogere, ad vitam omnem, ſinè ulla cæterarum ſive occupationũ, ſive remiſſionum cura, ante ſuas aras, ínque continua ſui adoratione exigendam: quin & nos cogere poſſet, ut inſiliamus in pyras ardentes, ibíque inſtar thuris pro ejus gloria ſenſim conflagremus: neque ſi hæc tam perpeſſu aſpera obſequia à nobis exigeret, juſtior nobis ſuppeteret ratio, eum immitem plùs ni-

mio

mio & tyrannum vocandi ; quàm hædis, ac vitulis ſuppetat, iiſdem nos querelis inceſſendi, dum explendæ famis gratiâ, eos jugulamus, atque in fruſta concidimus. Quemadmodum enim in promptu nobis eſſet, ſi ab iis ità incuſaremur, objectas criminationes refellere, admonendo eos, ut meminerint, ad noſtram merè utilitatem natos ſe eſſe; ità & potiori multò jure poſſet DEUS nobis, de nimia mandatorum duritia querentibus, reſpondere: Quid expoſtulatis? hæc veſtræ naturæ conditio, hic uſus veſtri eſt. Non alia de cauſa nati eſtis, imò neque naſci potuiſtis, nisi ut mihi, quidquid imperâſſem, veſtras vires, veſtram operam, vos totos impenderetis. Cur mihi, veſtro Conditori, & ultimo fini nefas ſit, eo vobis pacto uti, quo æquum vos cenſetis animalibus reliquis uti, quanquam ea neque à vobis procreata ſint, neque per neceſſariam naturæ ordinationem, ſed per arbitrariam meam benignitatem ad veſtros uſus directa?

15. Tale igitur eſt proprietatis dominium, quod in univerſas res creatas DEO convenit, utpote ſupremo illarum omnium Authori, perpetuo conſervatori, ac ultimo fini. Quorum titulorum per ſe quilibet, nedum to-

tota simul eorum complexio multò illum pleniori jure nostri Dominum constituit; quàm quo, non dicam externæ cujusvis nostræ supellectilis, sed etiam liberorum nostræ voluntatis actuum nos Domini simus. Quamobrem, his rite animadversis, docti & graves Theologi, ùt Vasquez, Lessius, pluréseque alii negant, posse illum cuiquam obligari vero nexu justitiæ: adeò ut, si fidissimum aliquem suorum servorum pactâ illi cælesti gloriâ fraudaret, non posset ea de causâ propriè injustus vocari. Ut proinde id ab eo fieri, non injustitiæ respectu, sed infidelitatis sit impossibile, quæ sola cæteroqui factum illud commacularet, atque indignum DEO redderet. En duo argumenta ex perfectissimo illius dominatu desumpta. Primum est: quia, cùm homo DEI propria res sit, sequitur, DEI quoque propriam rem esse omne bonum, & jus, quod homo acquisivit: quidquid enim servus acquirit, suo Domino censetur acquirere. Quemadmodum igitur, ratione plenissimi dominii, quod DEUS super hominem obtinet, nil injusti patraret, si eum prorsus deleret; ità ratione paris sui dominii super jus ab homine acquisitum ad gloriam cælestem; nullius injustitiæ culpâ se obstringeret, si illud jus omnino

no aboleret. Et roboratur adhuc validiùs idem argumentum rei paris exemplo. Certum quidem est, posse DEUM, pro suprema sua authoritate, idque justè omne jus extinguere, quod ego acquisivi ad mercedem ab altero mihi homine, ratione alicujus mei operis, pactam, atque ità eum hominem solvere ab obligatione illius mihi mercedis reddendæ. Quidni igitur extinguere similiter queat jus ad gloriam cælestem, à me secundùm promissionem illius ipsi serviendo acquisitum, eóque sublato, suam quoque illius mihi tribuendæ, obligationem penitùs tollere? Alterum argumentum est, quia nostri actus boni, quibus vita æterna promittitur, non minùs res DEI sunt, quàm nos ipsi, utpote à nobis justè ipsi debiti, & ab eo liberaliter nobis donati. Quare nulla pactio ità illum potest obstringere ad æternam nobis vitam pro iis tribuendam; ut, si hanc neget, injustitiæ mereatur culpari. Teste quidem S. Augustino, (*Ep. 105. Enchir. c. 107. Serm. 16. de Verb. Ap.*) *Cùm coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quàm munera sua: gratiam scilicet reddens pro gratia*: neque ideo *debitor factus est, aliquid à nobis accipiendo, sed, quod ei placuit, promittendo.* Similiter atque, si meus Princeps equum mihi suum ad tres di-

es

es commodaret, simul pacisceens, ubi ego illum sibi elapso triduo restituam; millenis se aureis restitutionem ejusmodi remuneraturum: méque illi equum reddente, pecuniam pro illius redditione pactam solvere abnueret; contra fidelitatem quidem faceret, sed nullam tamen veræ propriæque justitiæ legem violaret: cùm illud pactum nihil aliud fuerit, quàm mera gratuiti doni promissio. Quando igitur DEUS nostram exigit servitutem, & hanc sibi præstantibus cælestem gloriam mercedis locò pollicetur; quemadmodum nihil exigit, nisi arctissimo sibi jure debitum, ità nihil pollicetur, nisi merissimum donum, quasi dicens: si vos justi erga me fueritis, liberalis ego adversùs vos ero. Ideoque talo pactum iniens, nulli debitor fit, præterquam sibi, & fidelitati suæ; nec illud implens, ac servans, aliud facit, quàm quòd nostræ æquitati munificentiâ suâ respondeat. Quo in sensu cælestis gloria propriissimè appellari potest, quomodo eam D. Paulus appellavit, (*2. ad Tim. c. 4.*) *Corona justitiæ:* præmium videlicet illi rependendum justitiæ, qua nos fungimur, nostram DEO exhibentes servitutem, ante quodvis pactum, & sinè ullo præmio ipsi debitam.

16. Comparemus jam, si libet, hoc supremi

mi Regnatoris dominium, quod hactenus contemplati sumus, cum illo, cujus causâ adeò sibi placent, séque circumspiciunt, & humanam penè conditionem supergressos existimant Principes terreni. Incipiendo ab imperii amplitudine, divinum universas res creatas, seu rationales, seu mentis, ac sensûs expertes ditione sua comprehendit: adeò ut nihil usquam sit, nec esse possit, non ipsi subjectum: (*Ps. 102.*) *Regnum ipsius omnibus dominabitur.* Eja itaque, adsint huc Alexandri, adsint Assveri, adsint Augusti Cæsares, cum Geopraphicis regionum sibi subditarum tabulis: agnoscéntque, quàm angustum præ divino eorum imperium fuerit: imperium, quod neque supra universum terræ orbem, aut supra omnes unius sæculi mortales se extendit: &, quamvis tanta illius fuisset amplitudo, ubinam tamen esset potestas in tantò majorem hominum, qui vel ante extiterant, vel extituri deinde erunt, numerum? Ubinam dominatus super Angelos, super cælos, elementa, tot pecudum, plantarúmque genera, & quascunque res alias, vitâ, atque sensu carentes? *O quàm ridiculi sunt* (sic iterum Seneca, iterúmque proclamet) *O quàm ridiculi sunt mortalium termini! Punctum est illud, in quo navigatis,*

in

in quo bellatis, in quo regna disponitis. (*Præf. l. 6. Nat. qu.*)

17. Accedit huc, mortalibus Dominis nequaquam plenum, & omnimodum contingere jus etiam super exiguam eam hominum multitudinem, qui sub ditione sua sunt: cùm neque eorum animos, & voluntates sibi valeant subjicere, neque de ipsis eorundem corporibus pro suo arbitratu statuere: imò etiam ab iis sæpe possint, & quidem impune, utpote ipsorum vim fugâ eludentibus, sperni, atque offendi. At DEUS authoritatem plenissimam obtinet decernendi, quidquid velit, de universis rebus creatis: (*Job. c. 9. & 11.*) *Si subverterit omnia, quis contradicet ei? vel quis dicere potest, cur ità facis?* Huic tantæ authoritati par accedit potentia refractarios, sibique perduelles justis suppliciis, non viventes solùm, sed & vitâ functos, non ad tempus duntaxat, sed in perpetuum coërcendi: adeò ut nulli liceat, seu fugæ, seu latebrarum præsidio ineluctabilem, & ubique præsentem illius vim evadere. Unde & Regius Vates ei canit, (*Ps. 75.*) *Tu terribilis es: & quis resistet tibi?* & ipsemet in prophetia Amos de suis hostibus loquitur, (*c. 9.*) *Si descenderint usque ad infernum; indè manus mea educet eos: & si ascenderint usque*

que ad cælum ; indè detraham eos. Neque ſolùm in promptu habet ſibi inobedientes inevitabili ſeveritate ulciſci, ſed inſuperabili etiam efficacitate ad obſequium ſui cogere: ſeu libertatem eis auferendo contra ſuas leges agendi; ſeu hac etiam incolumi, ſuaviter eos adducendo, ut, quæ ipſe vult, velint: ſecundùm illud Salomonis effatum, (*Prov. c.* 21.) *Cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud.* Quamobrem, ratione hujus tam univerſalis tum in animos, cùm in corpora, & omnes eorum operationes, dominii, unus ipſe revera, & in tota quidem mundi univerſitate, poteſtatem eam obtinet, quam futili gloriatione, neque ultra Ægypti regnum, Pharao ſibi attribuit, & Joſepho impertitam voluit, dicens: (*Gen. c.* 41.) *Ego ſum Pharao. Abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti.* Quæ ipſa à ſuperbo Rege inaniter ſibi vendicata poteſtatis amplitudo, vix exigua quædam illius particula eſt, quæ in res omnes creatas, & quoſcunque earum actus DEO convenit. Cùm ſinè præſenti ejus arbitrio non modò nuſquam pes moveri, aut manus queat; ſed neque aperiri oculus, vox depromi, reciprocari ſpiritus, palpitare cor, folium tremere, aut ullus fieri,

vel ex leviſſimis, maximéque ordinariis motibus, qui aſſiduè innumeri fiunt in toto orbe terrarum.

18. Accedit inſuper, dominationem prædictam non extrinſecùs DEO accidere, ſed eſſe penitùs in natura ſua inſitam: decus ipſum quoque pereximium, & ſecundùm animadverſionem Joannis Chryſoſtomi, à Regio Propheta ipſi attributum, dum non alibi, quàm in ejus humeris principatûs ſui baſim conſtituit, dicens: (*Pſ. 44.*) *Cujus principatus ſuper humeros ejus.* Secùs ac in terrenis Principibus, qui eam ipſam, qua potiuntur, curtam adeò dominationem neutiquam à ſe ipſis habent, ſed indè ſolùm, quia DEUS, primus & ſummus omnium Dominus, eam ipſis impertit: cui propterea, tanquam ejus adminiſtri, pergunt ſubeſſe, non minùs, quàm reliquum vulgus: & à quo, veluti per gratuitam conceſſionem eam acceperunt; ſic nullo non temporis puncto eâdem ſpoliari, ſi ità ipſi libeat, poſſunt. Cujus memorabile exemplum habemus, cùm in aliis quàm plurimis, tum in ſuperbi Nabuchodonoſoris cataſtrophe, quando expertus re ipſa eſt, quòd vox de cælo allapſa ei denuntiârat ſupplicium, (*Dan. c. 7*) *Tibi dicitur, Nabuchodonſor Rex, regnum tuum tran-*

transibit à te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua, donec scias, quòd dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit, det illud. Quare & in pluribus sacrarum Literarum locis magnificus DEO tribuitur *Domini dominantium titulus;* (*Deut.* 10. & *Apoc.* 19.) & ipse apud Isaiam Cyrum Regem Persarum, qui primas suo ævo in terris partes gerebat, suum pastorem appellat, (*c.* 44.) *Qui dico Cyro, pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis:* declarans his verbis, augustissimos quosque terrarum Dominos sua esse servitia, & inferioris quidem notæ, præregia, ut sic loquar, cælestium aulicorum cohorte, nimirum præ Angelis, qui famulari cum submissiione ad omnem nutum intenti, continenter illi adsunt: *Sub quo curvantur, qui portant orbem.* (*Job. c. 9.*)

19. Præterquam quod Reges terreni, ità suis populis præsint, ut opus simul habeant eorum ministerio, eorum pecuniâ, eorúmque parendi voluntate. Ubi enim hi obsequi unanimiter detrectarent, omnis eorum extemplo deficeret, ceu adventitia, & aliunde pendens imperandi potestas. Quare, cùm omnis indigentia servitutis genus sit, nequaquam omnino liberi, & merè Domini appellari me-

rentur : sed dominationem subjectioni permistam habent, iisdémque, quibus imperant, serviunt: coacti eos observare, molli brachio regere, néve ad iras, aut vim contra se irritentur, cavere. Imò, ceu sæpe magìs Princeps populo, quàm populus Principe indiget; ità subjectior ipse populo dici potest, quàm subjectus, atque obnoxius ipsi populus sit. At non ità supremus *Rex Regum, & Dominus dominantium*, cui tum suo, tum creatæ totius universitatis nomine David profitetur, (*Ps. 15.*) *Dixi Domino, DEUS meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Nam quæ sive hominum ratio, sive cælestium spirituum hierarchia gloriari coram eo potest, eique dicere: Fateor equidem, ô Domine! tuo me sub imperio esse, & ad famulandum tibi, & parendum omni jure obligari: sed & ipse fatearis, necesse est, meo te famulatu indigere, curandúmque tibi esse, nè quam mihi, adversùm te succensendi, & tuum imperium detrectandi occasionem præbeas? Apage, apage Thrasonicas hujusmodi ampullas, quibus nihil ineptius, quásque ille in Psalmo quadragesimo nono jam pridem explosit, Israëliticum populum, & totam in illo rerum creatarum universitatem, dignâ tanto principe orationis ma-

gnificentiâ sic alloquens: *Audi populus meus, & loquar. DEUS, DEUS tuus ego sum. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus, & boves. Si esuriero; non dicam tibi. Meus est enim orbis terrarum, & plenitudo ejus.* Quapropter, veluti ipse omnibus necessarius est, ac nemine indiget, ità dominium supra omnes, usquequaque perfectũ, & à quavis servitute alienum obtinet. *Eget servus bono tuo*, (inquit S. Augustinus) *ut pascas illum. Eges & tu bono servi, ut adjuvet te. Non es ergo verus Dominus, quando indiges inferiore. Ille est verus Dominus, qui nihil à nobis quærit; & væ nobis, si non eum quæramus.* (*Tr. 8. in Ep. Joa.*)

20. Denique plurimùm indè etiam supremus Regnator cæteris omnibus antecellit, quòd *Regni ejus non erit finis*: (*Luc. c. 1.*) utpote quod, ab externis nullis causis, atque arbitriis pendens, sed in ipsa illius essentia fundatum, tamdiu duret, necesse est, quamdiu æterna illius vita durat. Cùm terreni è contrario principatus non nisì ad certum, & brevissimum tempus illis positum, possideantur, præterquam, quòd in assiduo versatur discrimine, dominationem suam vel per hostium

vim, vel per ſuorum proditionem amittendi, & à vicina ſaltèm mortis neceſſitate eam procul dubio ſibi eripiendam noverit. Atque hoc pacto Alexander Macedo, poſt tot victorias, támque magnam orbis terrarum partem imperio ſuo adjectam, in ipſo juventutis flore, *Decidit in lectum, & cognovit, quia moreretur: & vocavit pueros ſuos, & diviſit illis regnum ſuum, & regnavit Alexander duodecim annis, & mortuus eſt.* (*Mach. L. 2. c. 1.*) Audiſtíne? duodecim annis. Et hoc regnare cenſendum eſt potiùs, quàm Regis perſonam in fabula præſeferre? certè, ſi non duodecim tantummodo annis, ſed ſolido ſæculo perrexiſſet Alexander in mundi theatro tam eximii Regnatoris inſignia geſtare, præ immortali tamen *ſæculorum Rege*, multò minoris faciendus eſſet, quàm præ illo fieri mereatur Tragœdorum quiſpiam, ſi quando eadem illa inſignia ad tres, quatuórve horas in ſcenis oſtendat. Cùm inter paucas hujus horas, ejúſque ſæculum certa duntaxat, nec amplior temporis differentia intercedat: at inter regni ſui ſæculum, & divini æternitatem nulla reperiri queat inæqualitatis menſura, & proportio. Quapropter, ratione ſingularis excellentiæ, quæ tot ex capitibus divinæ dominationi inter cæteras

omnes

omnes convenit; Domini nomen, absolutè pronuntiatum, unius DEI proprium est, nec quemquam, præter illum, significandi vim habet: (*Amos c. 9.*) *Dominus nomen ejus.* Idque & ipsemet apertissimè declaravit, dum apud Isaiam, ter in eodem capite Domini titulum sibi uni, exclusis ab hoc jure cæteris omnibus, vendicat, (*c. 45.*) *Ego Dominus, & non est amplius: ego Dominus, & non est alter: ego Dominus, & non est alius*; & facto suo contestati sunt viginti illi quatuor coronati proceres, quos D. Joannes (*c. 4.*) in Apocalypsi vidit, detractas capiti suo, quas gestabant, aureas coronas, ante supremi Regnatoris solium obsequii ergo projicere: quasi profitentes, nemini, præterquam ipsi, congruere majestatis, & dominationis insignia: neque coram ipso quemquã pro principe haberi posse: sed omnes etiam hominum summos apparere ibi, quales revera sunt, illius famulos. (*Ps. 118.*) *Quoniam omnia serviunt tibi*: ceu ipse quoque professus tandem est impius Rex Antiochus, quando lethali plagâ à DEO ictus, *cœpit, ex gravi superbia deductus, ad agnitionem sui venire: &, cùm nec ipse jam fœtorem suum ferre posset*, ità ait: *Justum est subditum* DEO *esse, & mortalem non paria* DEO *sentire.* (L. 2. *Mach. c. 9.*)

21. Quæ cùm ità ſe habeant, par mihi videtur eſſe, ut juſtiſſimos tres affectus in illorũ animis excitent, qui ea rite perceperint. Primus eſt, reverentia, animíque ſubmiſſio, quanta eſſe poteſt maxima, erga tam incomparabilem Dominum. Si enim terrenis principibus, ratione illius tenuiſſimi, extrinſecùs iis ſuperadditi, nec ultra paucos annos duraturi dominii, quo inter hominum vulgus excellunt, tantum venerationis, & obſequii defertur; ut nemo auſit dicto ullo, factóve eos offendere, omnes certatim ſtudeant eorum gratiam aucupari, multíque ad eorum colloquium admiſſi præ timore illius majeſtatis, potentiæque perturbentur animo, contremiſcant corpore, víxque paucas voces, præpedito, ac deficiente ſpiritu, expromere valeant; quantò plus venerationis excitare in noſtris animis debet, finitum omnem modum exuperans, altiſſimi, omnipotentis, æterníque Regnatoris majeſtas? Quâ reverentiâ quoque affici metu nos decet, quoties memoriâ repetimus, ubivis locorum coram ipſo, imò etiam intrà ipſum nos degere, immenſa undique circumvallatos illius magnitudine, gloriâ, & potentia? (*Jer. c. 5.*) *Audi populе ſtulte, qui non habes cor. Me ergo non timebitis? dicit* Do-

Dominus. Verba illius sunt apud Jeremiam, in quibus cuinam dignè explicare, aut percipere miram emphasim liceat, magni illius monosyllabi *Me*? Ità *Me*, Regum Regem, & imperantium Imperatorem. *Me*, qui pro solio immensitatem habeo, pro sceptro omnipotentiam, pro diademate æternitatem, pro lictoribus fulmina, tempestates, pestilentias, terræ motus, diluvia, próque sontium, ac perduellium ergastulo flammeum tartari specum? *Me, cujus iræ nemo potest resistere: qui habeo flatum vestrum in manu mea, & universum mundum uno nutu possum delere?* Me, inquam, talem, ac tantum Principem, vos, nihili soboles, opus mearum manuum, terrestris meæ domûs servitia, *non timebitis*? & usque eò *non timebitis*, ut pro nihilo habeatis palàm mihi obsequium denegare, præsentem, ac videntem contumeliis afficere, támque contemptim mecum agere, ut cum nullo non dico Rege mortali, sed nec privato Domino, cui mercenariam exhibetis servitutem, agere sic auderetis? Quidnam, rogo, hisce illius exprobrationibus responderi potest? Procul, ô procul à nobis tanta temeritas, vecordiáque sit, ut eum ità negligere, & adversùm nos irritare audeamus, quem pro infinita sua ma-

gnitudine nunquam obſervare, ac reverenti poſſumus ſatis: cujúſque tam profunda admiratione nos compleri æquum eſſet, ut, juxta Joannis Chryſoſtomi effatum, nè nomen quidem illius pronuntiari unquam à nobis, vel audiri ſinè intimo quodam ſacri horroris ſenſu contingeret. (*Hom. 9. in Act.*) *Nónne horror invadere nos deberet, cùm DEUS nominatur?* deberet profectò: nisi minori in pretio apud nos eſſet verus, atque unicus DEUS, quàm apud Socratem fictitii Ethnicorum Dii erant: de quibus eum Plato (*In Phileb.*) ità profitentem inducit: *Reverentia mihi ſemper erga Deorum nomina eſt, non humana quædam, ſed maximum quemque timorem exuperans.* Certè quantumvis extraordinaria, & ſingularis noſtra veneratio ſit, tantò ſemper infra meritum ſupremi illius domini erit, quantò major omni aliâ ipſius eſt potentia, & majeſtas. *Non eſt ſimilis tui Domine. Magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, ô Rex gentium?* (*Jer. c. 10.*)

22. Alter affectus, quem rite perpenſa divinæ dominationis amplitudo, & præſtantia excitare in nobis deberet, altiſſima eſt, ſed perinde etiam jucunda admiratio incredibilis prorſus benignitatis. quam tantus ille Princeps

ceps erga nos ſuos infimos vernulas exhibet. Quamvis enim naturæ excellentiâ immenſum adeò ſupra nos emineat, nec minùs libere abſolutéque uti nobis poſſit; quàm nos brutis animantibus, aliiſque rebus noſtris utamur, duriſſima quævis obſequia à nobis exigendo ſinè ullo vel incommodi noſtri reſpectu, vel ſervitutis ſibi exhibitæ præmio; nihilominus, quaſi oblitus ſupremi ſui juris, ac dominii, filiorum potiùs, quàm mancipiorum locò nos habet: nihil nobis præſcribens, nisì paucas quaſdam, & facillimas leges, nec nisì moderatiſſimam à nobis exigens ſervitutem: quam ipſam non ſuæ, ſed noſtræ utilitatis gratiâ exigit, & ſi præſtita fideliter fuerit, quaſi gratuitum obſequium foret, non minori remuneratur, quàm ſempiterni, & beatiſſimi ſui regni mercede. Quid multa? non benignè duntaxat, & amantis Domini in morem nos regit, adeò ut ejus imperium, ceu de Romano ſcriptum eſt, *Patrocinium orbis terrarum verius, quàm imperium*, (*Cic. 2. de Offic.*) appellari queat; ſed tanquam ſi pares conditione, & naturâ ipſi eſſemus, reverenter etiam, honorificéque nobiſcum agit: quod ego utique, ceu aliquid humana fide majus, nunquam de illo dicere auderem, nisì in libro Sapientiæ (*c.* 12.)

12.) legerem: *Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos.* Ut proinde, cùm non modò jumentum, sed nec domesticum vas ullum penitiùs, ac pleniùs subjectum suo Domino sit, quàm nostrum esse illi subest, nullus tamen filiorum à patre suo amantiùs tractetur; quàm nos ipse, summus cæteroqui creatæ totius universitatis Dominus tractet. *Hæc dicit Dominus: ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blandiatur, ego consolabor vos.* (*Isai. c. 66.*)

23. Atque hinc porrò tertius itèm consequi affectus debet, justa nimirum grati animi, mutuúque erga talem Herum amoris vicissitudo: adeò ut, quantò ille parciùs, moderatiúsque suo in nos summo jure utitur, tantò promptiores ad omnimodam illi exhibendam servitutem simus: indignissimum existimantes conqueri, tanquam si inclementiùs tractemur, quando ille, majoris nostri emolumenti gratiâ, terrenorum nobis bonorum quidpiam subducit: nec audentes unquam, pro gravi sarcina habere pauca illa præcepta, quorum observatione nostram ille servitutem definiit. Nimis enim quàm absurdum, omníque à ratione alienum esset, si paterna tanti principis in-

indulgentia, pro eo ut nos ad majorem obsequii alacritatem extimularet; non nisi ad fovendam in nobis arrogantiam, & segnitiem valeret. Ah veniat, quæso, veniat in mentem, quisnam ille, & qui contra nos simus: neque metiendam putemus seu nostram illi subjectionem, seu illius supra nos potestatem paucis illis obsequiis, quæ ille, pro sua incomparabili benignitate, ac moderatione contentus est à nobis exigere: perinde quasi ullum esset obsequii genus, quin æquissimo jure & ab illo imperari posset, & persolvi à nobis deberet: sed habentes semper præ oculis pleniſſimam, quæ propria illius est, quidvis decernendi de nobis, authoritatem, & arctissimam, qua nos devincimur, ei quavis in re serviendi obligationem, tanto nos Domino, ceu rem penitùs suam offeramus, paratissimi, & exactissima cum sedulitate peragere, quidquid nobis præceperit; & omnimoda cum approbatione suscipere, quidquid de nobis statuerit. Præsertim quòd, præter notitiam absolutissimæ illius dominationis, compertum item habemus, quàm parcè suam ille potestatem exerceat, quàm indulgenter nostræ imbecillitati se attemperet, quámque paterno animo, quæcunque agit, & jubet, ad nostram di-

dirigat utilitatem. Cujus voluntariæ deditionis incitamentum nobis juxta atque exemplum esse potest illa, quam Nabuchodonosor armorum terrore à Mesopotamiæ, Syriæ, & Ciliciæ populis extorsisse olim fertur: quando hi nempe, ad Holofernem supremum illius copiarum ducem profecti, (*Judith c. 3.*) dixerunt: *Desinat indignatio tua circa nos. Melius est enim, ut viventes serviamus Nabuchodonosor Regi magno, quàm morientes cum interitu nostro ipsi servitutis nostræ damna patiamur. Omnis civitas nostra, omnísque possessio nostra, omnes montes, colles, & campi, & armenta boum, gregésque ovium, & caprarum, equorúmque, & camelorum, & universæ facultates nostræ, atque familiæ in conspectu tuo sunt. Sint omnia nostra sub lege tua. Nos, & filii nostri servi tui sumus. Veni nobis pacificus Dominus, & utere servitio nostro, sicut placuerit tibi.* Si enim ii populi plenè adeò se, ac sua omnia externo, immaníque obtulerunt tyranno, cui nullo jure quidquam debebant, & à quo nil remunerationis expectabant, indè solùm permoti, quòd scirent, quidquid ei ultro non concessissent, per vim & crudelitatem ereptum sibi ab eo iri; quantò validior nobis suppetit ratio, nos, & nostra omnia DEO mancipandi, qui, præterquam

quòd

quòd longè majorem terreno quovis Rege vim habet debellandi, ſubigendíque eos, qui voluntati ſuæ obſiſtant; verus etiam ille eſt, ac legitimus Princeps, in cujus ſervitutem natura nos genuit: ex cujus gratuita liberalitate accepimus, & cui ſummo jure debemus, quidquid poſſidemus, ac ſumus: quippe, non ſuæ illius, ſed noſtræ ſolummodo utilitatis causâ, vult nos ſibi habere ſubjectos. *Ah melius, melius eſt, ut viventes ſerviamus* DEO *Regi magno, quàm morientes cum interitu noſtro ipſi ſervitutis noſtræ damna patiamur*: dicamúſque illi, quod à populis illis dictum Holoferni eſt, ſed tantò libentiùs, magíſque ex animo, quantò dignior ille eſt, cui hæc dicantur: *Omnis civitas noſtra, omníſque poſſeſſio, & univerſæ facultates noſtræ, atque familiæ in conſpectu tuo ſunt. Sint omnia noſtra ſub lege tua: Nos, & filii noſtri ſervi tui ſumus. Veni nobis pacificus Dominus, & utere ſervitio noſtro, ſicut placuerit tibi.*

CA-

CAPUT XXIII.

De ineffabili charitate, & beneficentia DEI erga nos, secundùm longitudinem, latitudinémque dimensa.

PErfectiones divinæ, de quibus hucusque egimus, ad excitandos in animis admirationis, reverentiæque sensus potissimùm conferunt. Duæ, quæ ad primæ hujus partis complementum explicandæ supersunt, bonitas nempe, & pulchritudo, amoris speciatim gignendi vim habent. Etenim, ut à prima ordiar, quisnam inter homines, imò quænam inter brutas pecudes, tam immani, efferatóque ingenio est, quin aliquod grati animi specimen erga sui amantes, benéque de se meritos præseferat? Testimonio sit tum draco ille, (*Plin. L. 8. c. 17.*) qui adversùs vim latronum defendit Thoantem, in cujus domo nutritus olim fuerat; tum leo, (*Gel. L. 5. c. 14.*) qui Romæ in amphitheatro ludentis catuli ritu conspectus est blandiri exposito sibi ad devorandum mancipio, quòd plures ante annos ægrum sibi pedem in Lybiæ desertis curatum ab eo meminis-

nisset. Ut complura interim alia hujuscemodi exempla prætéream, quæ palàm faciunt, vel nullum cor sub pectore, vel ferino quovis immitius ab eo geri, qui alienis beneficiis nullo amoris sensu respondeat. *Officia* (inquit Seneca L. 1. *de Benef. c. 3.*) *etiam feræ sentiunt: nec ullum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat.* Cùm itaque in prioribus capitibus demonstratum à nobis sit, quantum admirationis, reverentiæque mereatur DEUS propter suum esse increatum, necessariò existens, æternum, absolutissimè, simpliciss iméque infinitum, incomprehensibile, imensum, nihil non sciens, nihil non efficiendi vim habens, omniáque suo imperio, & dominatu complectens; reliquũ est, ut demonstremus, quanto itèm amore sit dignus, ob gemina paulò ante nominata sua decora, incipiendo à bonitate, & observando, secundùm divisionem Apostoli, (*Ad Eph.* 3.) *Quæ sit ejus latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum*: non quidem, ut certam & justam illius colligamus mensuram: sed ideo duntaxat, ut meliùs intelligamus, nullis eam certis mensuris posse omnino adæquari.

2. Et sanè, quod ad longitudinem pertinet, nequit illa vel cogitando major effingi.

Parum est, si dixerimus, non cœpisse prius nos existere, quàm DEUS cœperit nos amare. Parum, si adjungamus, posse illum cuivis nostrûm dicere, quod Jeremiæ dixit, (c. 1.) *Priusquam te formarem in utero, novi te.* Parum, si adhuc ulteriùs progrediendo affirmemus, ante ipsa mortalis ævi primordia nos curæ illi fuisse. Dicat sanè nostrûm quilibet, verissimèque dicet, (*Prov. 8.*) *Nondum erant abyssi, & ego jam conceptus eram. Ante colles ego parturiebar.* Antequam mundus, vel creatarum quidquam rerum in lucem prodiret, jam ego in æterni mei opificis voluntate, & providentia existebam. Jam tum ille de me cogitabat; jam tum mihi vitam, & reliqua omnia destinabat, quæ ipsam comitatura erant munera. (*Ad Ephes.* 1.) *Elegit nos ante mundi constitutionem.* At quantò ante mundum tempore? Quisnam certò definiat? cùm procedendo usque, & usque ulteriùs, per omnem, quæ mundo præivit, æternitatem; nullum destingnari, fingíque animo queat temporis punctum, in quo ille non eandem erga me benefícam voluntatem habuerit, quam deinde in creando me exhibuit. Adeò ut nè ipse quidem extiterit priùs, quàm ego præsens ei essem: nec se ipsum unquam amaverit, quin eo-

eodem illo amore complecteretur me quoque. *Charitate perpetua dilexit me. Ideo attraxit me miserans.* (*Vide Jer.* 31.) Adde, quòd hæc charitas, quemadmodum absque omni principio fuit, sic nullo tempore vel defiit, vel interrupta est. Fieri siquidem potest, ut etiam ii, quos amicissimos ex hominibus habeo, de me interdum non cogitent, imò ut egomet ipse, vel somno correptus, vel aliis curis distractus, ad tempus aliquod obliviscar mei: at non etiam amantissimus ille Pater ullo temporis puncto mei curam gerere, meisque rationibus, atque commodis prospicere omittit. *Misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum.* (*Ps.* 102.) O amatorem! quo nec vetustior, nec constantior unquam vel extitit, vel sperari inter homines potest. *Nè derelinquas amicum antiquum. Novus enim non erit similis illi.* (*Eccl. c.* 9.)

3. Huic porrò tam æternæ divini erga nos amoris longitudini respondet latitudo, nullius ipsa quoque limitibus clausa, sed, ad quodlibet boni genus nobis providendum se extendens. Quemadmodum enim nemo usquam hominum fuit, qui maturiùs amare alterum hominem inciperet, longiúsque, ac perseverantiùs amaret, quàm nos amati à DEO simus;

sic nemo item, qui homini à se amato plura bona voluerit, contulerítque, quàm quæ ex inexhausto divinæ charitatis fonte in nos redundarunt. Illa munerum circumquaque congestorum obsidio, quam præduris, & contumacibus ingeniis expugnandis, adhiberi vult Seneca, (*L.* 1. *de Benef.*) monens: *Beneficiis tuis illum cinge; quocunque se converterit, ibi te videat*; à quo alibi unquam meliùs instructa, quàm ab ipso adversùs nos est? cùm sive in nobismet ipsis detineamus, sive extra nos porrigamus mentis aciem, nihil usquam possit occurrere, quod divinæ in genus humanum beneficentiæ monumentum non sit.

4. Utque appareat, id non exaggeratiùs à me dici, quàm veriùs, age, unusquisque se respiciat, ac deinde ita secum ratiocinari pergat: cujus munere humanum hoc esse habeo? meorúmne parentum? minimè quidem. Nulla enim virtus iis adest, producendæ è nihilo animæ, quæ cæteroqui præcipua meæ substantiæ pars est, ut totus prope homo una possit videri. Quinimò ad ipsius quoque corporis fabricam nil ipsi aliud contulerunt, nisi rudem, atque informem materiam: haud gnari deinde, quonam pacto effingi indè posset, vel capillus, aut unguis, nedum oculi, aures, viscе-

viscera, tótque aliæ artificii exquisitissimi partes, unde illud componitur: quemadmodum magna illa septem Machabæorum parens, diserrè professa est, suos filios sic alloquens: (L. 2. Mach. c. 7.) *Nescio, qualiter in utero meo apparuistis. Neque enim ego spiritum, & animam donavi vobis, & singulorum membra non ego ipsa compegi.* DEUS ergo ille faber est, qui divina sua arte intra fœtæ matris alvum se insinuans, quando ego non aliud ibi eram, nisi sordida quædam, & inutilis massa, formavit indè paulatim meum corpus, eductámque mox è nihilo ipsi infudit hanc animam, à qua vitam, motum, sensum, virtutémque operandi habeo. Quare unus ipse proprius, verúsque ille genitor est, (*Ad Ephes. 3.*) *Ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur*: & cui dicere omnes verbis Isaiæ possumus. (*c. 63.*) *Tu Pater noster, & Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos.* Quæ cùm ità sint, perpendamus, quæso, paulisper, quanti pretii sit primum hoc impertitum à DEO nobis donum, quantúmque aliis omnibus antecellat, quæ ab humana etiam profusissima charitate, & beneficentia accipere, aut sperare fas est. Possunt quidem homines census, latifundia, dignitates, aliásque ejusdem generis externas

possessiones nobis largiri. Sed enim verò, quantula tandem hæc sunt eorum munera præ nostro esse, præ substantia nostræ animæ, præ ipsis nostri corporis sensibus? *Nónne anima plus est, quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum?* (*Mat. c.* 6.) da mihi opulentissimum, & ditionis amplissimæ Regem. Nónne, si linguæ, aurium, & oculorum usu ille careat, libens, volénsque regali suâ formâ se exueret, dummodo ejus pretio fas sibi esset loquendi, audiendi, videndique facultatem redimere? *Cuncta, quæ habet, homo dabit pro anima sua*, (*Job.* 2.) imò & pro integritate sui corporis. Utque adeò externis quibusque opibus, & fortunæ muneribus præstat hoc DEI beneficium, quod homines, quia nunquam ab infantia eo usi non sunt, vix animadvertunt se accepisse, & habere. Quocirca, etsi nihil aliud divina nobis largitas boni præstitisset, nisi quòd è nihilo nos produxerit, & existere in rerũ natura voluit, næ hoc uno munere arctiùs nos sibi obligâsset, quàm ulli mortalium, quantumcunque de nobis merito, obligari possimus. Quod si nostris parentibus, quamvis parum adeò ad nostrum esse contulerint; nihil ex eo nobis, præter materiam, suppeditantes, & hanc ipsam, prorsus ignari, nobis-

ne,

ne, an alteri cuipiam individuo, qualecunque id munus præstarent: si eis, inquam, sapientum judicio, (*Arist. L. 8. Eth. c. 14.*) referre parem gratiam nequimus, quantò minùs poterimus cælesti eam Patri referre: qui non temere, & cæca operandi ratione, sed certo, ac peculiari consilio, nos potiùs, quàm quodcunque aliud individuum creandi, & animam rationalem, partem nostri præcipuam, tótque eximiis facultatibus ornatam è nihilo eduxit, & nostrum itèm corpus mirabili artificio elaboravit, tótque, & tam utilibus organis ad suas operationes instruxit.

5. Neque prætereunda citra justam considerationem sunt duo adjuncta, quorum ratione non minimùm crescit hujus, adeò per se ipsum excellentis doni æstimatio. Primum est, quòd in eo accipiendo prælati nos sumus, absque ullo nostro merito, sed ex mera supremi Conditoris benignitate, innumeris aliis hominibus, qui nostri locò creari poterant, neque tamen id beneficii vel acceperunt, vel unquam accipient. Proponamus, agè, nobis ante mentis oculos scenam illam sanè admirabilem, cùm, volente DEO mundum creare, intuenda sese illi exhibuerunt, quotquot in immenso nihili chao versabantur generis hu-

mani individua, inanes umbræ, & cassa hominum merè possibilium simulacra, certatim precantia (quo pacto muta per solam sui speciem egestas precatur) in lucem existentiæ produci. Vidit illa immortalis faber, cúmque secundùm nobis occultas providentiæ suæ rationes decrevisset, non nisi certo eorum numero gratificari, ex infinita illa multitudine partem quamdam suo tempore extituram, méque in illa delegit, reliquis omnibus ad sempiternam in nihilo permansionem damnatis. O electionem, qua divina benignitas me sibi in perpetuum obstrinxit! Agebatur de beneficio summi momenti, toto nimirum meo esse. Nullis ego rectè factis merueram, ut vel uni anteferrer ex illa innumerabili turba, quæ relicta in nihilo est. Omnes ejusdem conditionis, omnes purum nihil, pura eramus negatio. Quid igitur causæ fuit, cur, tam multis rejectis, ego ad existentiam eligerer? nihil certè aliud, præter peculiarem quamdam communis Domini benevolentiam, qui, in tanto competitorum agmine me aspiciens dixit: possem innumeros alios hujus loco eligere Sed tamen illis prætermissis, hunc volo. (*Ps.* 17.) *Salvum me fecit, quoniam voluit me.* Si igitur, quantò plures ii sunt, quibus aliquis gra-

gratuitò præhabetur, tantò majus electionis beneficium, majórque electi obligatio est; quidni infinitè obligatum se fateatur, qui infinitis æmulis, ac rivalibus se præhabitum videt? Fingamus, statutum DEO esse universam meam nationem, tribus tantummodo exceptis capitibus, ad internecionem delere; quantùm me debere illi profiterer, si unus ipse ex tribus iis forem? Quidni ergo plùs debere me ipsi fatear, cùm in numero destinatorum ad existentiam sim, qui præ derelictis in nihilo pauciores multò sunt, quàm præ quapiam natione tria capita? Quænam gratiarum vectigalia persolvebat DEO Noë, cernens ex arca totius generis humani naufragium, séque indè unum cum sua domo, & familia servatũ? Quidni tantò ampliora ego debeam persolvere, quantò & majus beneficium est è nihilo extrahi, quàm à solo corporis interitu eripi; & numerus eorum, quibus in existentiæ dono præhabitus ego sum, nimiùm quantum excedit naufragorum turbam, unde exemptus singulari privilegio Noë fuerat; & postremò nihil mihi meritorum erat, ut præferrer aliis, in nihilo mecum jacentibus, cùm Noë sua erga DEUM pietate mereretur, anteferri aliis, qui secum in orbe terrarum vivebant? Ah non

unus est Salomon, qui à primo exortu appellari possit *Jedidia*, nempe *Dilectus DEI*, seu *Amabilis Domino*. Commune cuivis mortalium, nec sub vitæ primordia, sed ab ipsa æternitate ei inditum est hujusmodi nomen. Quilibet nostrûm, quando præ infinitis aliis peculiari beneficio electus est, ut existeret; plenissimum indè jus acquisivit, ut vocaretur *Amabilis Domino, eò quòd diligeret eum Dominus.* (I. 2. *Reg. c.* 12.)

6. Alterum ex insinuatis duobus adjunctis, & majori æstimatione dignum est, quòd DEUS, existentiam mihi decernens, non modò nihil ex parte mea incitamenti habuerit, ad hoc mihi munus largiendum; sed multas etiam, cur illo me indignum censeret, & permagni sanè ponderis causas: tot nimirum injurias, quibus affecturus eum eram, si in lucem prodirem. Quæ omnes, non minùs tunc illi præsentes, quàm si re ipsa existerent, validissimè adversùm me perorabant, suadentes, nè crearet, qui malè adeò responsurus suo muneri eram. Et tamen nihil horum valuit beneficam illius erga me voluntatem infringere; sed dixit: video sanè, hunc, si vitam à me acceperit, ingratum mihi & perduellem fore, video, donatis sibi à me oculis, manibus,

cæ-

cæteríſque univerſis, quà corporis, quà animæ facultatibus in mei contumeliam uſurum. Age tamen, de illius quantacunque improbitate triumphet mea bonitas. Volo ipſum potiùs, etſi talem, támque indignum, creare, quàm hos ſinè numero alios, quorum plurimi, longè ipſo gratiores, fidelioréſque mihi eſſent. O charitatis prodigia prorſus ſingularia, & nunquam alibi audita! certè, ſi terreni mei parentes, priuſquam me generarent, prævidiſſent, vel dimidiam me iis repenſurum maleficiorum partem, quæ cæleſti meo Genitori rependi; nullo pacto habere voluiſſent me filium, ſed, cum Rebecca, dixiſſent: *Si ſic nobis futurum eſt, quid neceſſe eſt concipere?* (*Vid. Geneſ. c. 25.*) Cur gignere inimicos, & proditores velimus? cur vitam tribuamus, nullam pro ea nobis relaturo, nisì injuriarum vicem? ſi talis hic futurus eſt filius, haud certè meretur, ut quiſquam velit eſſe ipſius genitor. Pergat, age, in nihilo degere, ubi duntaxat eſſe innoxius poteſt. Talis profectò eorum fuiſſet in me animus, quos cæteroqui ex univerſo hominum genere mihi conjunctiſſimos, maximéque amantes mei habeo. At non talis etiam DEI animus fuit, qui, in me diligendo, ultra omnes paternæ, maternæque bene-

vo-

volentiæ fines proceſſit. Legi olim, Agrippinam Neronis matrem, prædicenti Aſtrologo, infantem ex ea natum, Imperatorem quidem, ſed ſimul parricidam futurum, audacter reſpondiſſe: (*Xiphil. in epit. Dion.*) *Occidat, dum imperet.* Tanti mihi eſt, experiri eum carnificem, dum mundus habeat eum Cæſarem. Si æquo animo puerperii cruciatus tuli, dummodo ille in communem hanc orbis lucem naſceretur; mortis etiam dolores ferre haud gravabor, dummodo illi contingat, ad fortunæ adeò ſingularis jubar naſci. Regnet, quocunque meo impendio; eripiat, ſi ità fert animus, mihi vitam, ſed ſibi adipiſcatur imperium. Majori ſolatio mihi eſt illius dominatus, quàm terrori mea mors. Imò in hac ipſa nihil triſtius agnoſco, quàm quòd effectura ſit, nè poſſim eum ampliùs ſpectare Cæſareo regnantem in ſolio. *Occidat, dum imperet.* Rarum, & mirabile hoc videtur materni exemplum amoris. Sed ſi cum divino erga me amore comparetur, vix ſcintillula exiſtimari poteſt, præ Veſuvii, aut Ætnæ fornacibus. Dixit primò id Agrippina, vel non certò eventuram Aſtrologi prædictionem credens, vel ſperans, ſi talem credebat, eam irritam fieri à ſe poſſe. Dixit præterea poſt-

qnam

quam filium jam in lucem ediderat, quando nimirum & præoccupata materno erga illum affectu erat, nec inferendam sibi ab eo necem aliter poterat, quàm maturata ipsius nece, impia nimirum, & detestabili ratione impedire. Dixit demum, incitante, ut ità loqueretur, ipso etiam sui honoris respectu, qui sanè amplissimus ex filii imperio redundaturus in se erat: adò ut sepositò etiam illius amore, optabilius sibi posset ducere, præmatura morte defungi; sed Augustam, & Romani Cæsaris matrem, quàm vitam aliquantò diutiùs prorogare, sed intrà privatæ fœminæ modum. At DEUS, quamvìs certissimè sciret, quàm multa, quámque indigna ego ausurus contra ipsum forem, neque ullam posset, seu vitam mihi tribuens utilitatem sperare, seu in nihilo me relinquens crudelitatis notam metuere; ex purissimæ tamen, atque omnino gratuitæ charitatis instinctu, vivat iste, ait, quamvìs mihi perduellis futurus. Vitam à me accipiat, quamvìs ab eo nihil pene accepturus sim, præter injurias. Usquámne alibi auditum inter homines est par benignitatis prodigium?

7. Adde, quòd, non contentus, semel duntaxat excellentissimum hoc creationis donum

num nobis tribuisse; assiduè instaurare illud pergit: tot vicibus existentiam nobis impertiens, quot momentis nos illam protrahimus: in quorum unoquoque, ceu ipse actionem continuat, qua nos primo produxit; sic nos, secundùm Joannis Damasceni phrasim, (*Dial. Adv. Man.*) *Rursus esse incipimus*: pergentes accipere ab illo idem beneficium, quod nascendo accepimus: experientésque ideo nostrum maximum Conditorem, non modò Patri similem, qui suam sobolem generat; sed matri etiam, quæ genitam ferre adhuc in utero pergit: imò nullis non matribus amantiorem, & beneficum magìs: cùm hæ non nisì ad paucos menses conceptæ soboli officium, eam suis in visceribus gestandi, fovendi, & assiduè quodammodo regenerandi præstent: ipse verò nunquam nos desinat ferre, conservare, iterúmque continenter producere; in eodem omnipotentis efficientiæ suæ utero, in quo primùm nos genuit. Cujus plusquam materni sui officii perpetuitas disertè satìs expressa ab eo est, cùm, Israëlitas alloquens, non se tulisse illos tantùm, sed & adhuc ferre, ac porrò usque laturum esse in suis visceribus, dixit: (*Isa. c. 46.*) *Audite me, domus Jacob, & omne residuum domûs Israël, qui portamini à meo utero, qui*

qui gestamini à mea vulva: usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo. Ego feci, & ego feram: ego portabo, & salvabo. Quamobrem, si quodvis beneficium tantò amplioris gratiæ vicem ab accipiente exigit; quantò ipsi sæpiùs, & ad temporis longioris usuram confertur; arguere hinc quilibet potest, quantum nos gratiæ supremo debeamus Authori, qui præstantissimum existentiæ, vitæque beneficium tamdiu in singula nobis momenta iterare pergit; quamdiu, quótque per momenta pergimus nos existere, ac vivere.

8. Parum tamen esset, vitam nobis assiduè impertiri, nisi eâdem assiduitate nos in operando, nempe in eo, quod unum pretium vitæ est, adjuvaret. At quid tam exiguum, tam facile, tam ordinarium quisquam nostrûm agit, quod DEUS simul nobiscum, imò magis ipse, quàm nos, veluti altera, & potior viventis cujuslibet vita, non agat? si neque pedem attollere, neque digitum movere, neque halitum ducere, neque syllabam eloqui, nisi eo ad quemvis horũ, & similium actuum nos dirigente, & juvante, nequimus? Ità planè, inquit Apostolus, (*Act.* 17.) *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Utque corpus desertum ab anima, *os habet, & non loquitur, oculos ha-*

habet, & non videt, aures habet, & non audit, manus habet, & non palpat, pedes habet, & non ambulat; ità nos quoque, si ejus afflatu, impulsúque destitueremur, esto animam retinentes, & vitam, nullos tamen edere animæ proprios, & vitæ actus possemus: statuis potiùs, & cadaveribus hominum, quàm vivis, atque veris hominibus similes. Si itaque loquimur, ipse in ore nostro voces distinguit, ac regit. Si videmus, ipse in oculis nostris objectarum rerum imagines pingit. Nè multis: Ipse *omnia opera nostra operatur in nobis*: (*Vide Isa. c. 26.*) quasi noster oculus, nostra manus, nostrum os, noster sensus, nostra mens, nostræ animæ anima. Quæ cùm ità sint, dic, amabò, num ex tuis ullus sive amicis, seu parentibus, seu filiis, seu famulis, adjutorium tam præsens, tam fidele, tam assiduum, támque efficax tibi unquam præstiterit, quàm illud, quod ad singulos vitæ actus, atque usus, tuus tibi, & communis omnium Dominus præstat: númque aliquid boni observare in te possis, quod plusquam paternæ illius largitati non debeas: cùm ab ea continenter accipias, quidquid es, & quidquid potes, atque agis, tanquam ab ea, quæ una *dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.* (*Act.* 17.) æquum

quum profectò est, ut, se ipsum respiciens, dicat unusquisque cum Apostolo, (1. *ad Cor.* c. 15.) *Gratiâ DEI sum id, quod sum*: &, si aliquid ago, ipsi potiùs adscribendum, quàm mihi est. *Non ego, sed gratia DEI mecum.*

9. Progrediamur jam ab essentia nostra, ubi tot divinæ erga nos benignitatis monumenta perspeximus, ad lustrandam animo circumfusam nobis mundi universitatem, observemúsque, quàm latè ibi eadem sese exporrigat, quámque densâ novorum beneficiorum coronâ nos undique obsideat. *Inspice homo cælum, & terram, & vide, si aliquid vacet à ministerio tuo.* (*Lib. Medit. adscr. S. Aug.*) Nullum certè faciemus passum, quin aliquod ejus occurrat vestigium. Nullo convertemus obtutum, quin eam ibi nostræ utilitati allaborantem deprehendamus. Nullum ens creatum videbimus, quin illius id beneficium, & nostra obligatio mereatur vocari. En sphæras cæleſtes, quæ perpeti motu circa inferiorem hunc mundum, nostram sedem volvuntur, assiduâ illum lucis, caloris, aliorúmque salutarium influxuum imbre irrigantes. En ignis elementum, efficacem tot artium, operúmque vitæ utilium ministrum. En aërem, ad corporum motus, respirationémque animali-

um, permeabili tenuitate circumquaque diffusum. En aquam, necessarii adeo usûs ad stirpium generationem, & sitis lenimen. En terram, tot marmorum, metallorum, animalium, ptantarum feracem. Cujusnam utilitati omnipotens faber cuncta hæc formavit? Non longa indagatione opus est, Regius Psaltes ait: Hominis gratiâ creavit, hominíque habendam concessit totam, quanta est, suorum operum universitatem. Hominem illius usu, admiratione, & dominatu frui voluit. *Constituit eum super opera manuum suarum: omnia subjecit sub pedibus ejus.* (*Vide Ps. 8.*) Quid ergo de liberalitate tam prolixa sentimus, & dicimus? si terrenus aliquis Princeps palatium, regali magnificentiâ à se extructum, ornatúmque nobis ostenderet, ejúsque visu expletos, & discessum parantes, manu retineret, dicens, hoc ædificium vobis extruendum curavi. Possidete illud cum universa sua supellectili, tanquam rem penitùs vestram, jámque nunc à me vobis donatam; reputet quisque in animo, quàm sese obæratum tantæ illius Principis liberalitati profiteretur: colligátque indè, quantò plus grati amoris, & officii supremo rerum Conditori debeat, qui non palatium, sed totam hanc rerum creatarum

rum universitatem sibi ultro largitus est. *Si pauca quis tibi donâsset jugera*, inquit Seneca, (L. 4. *de Benef. c. 6.*) *accepisse te diceres beneficium. Immensa terrarum latè patentium spatia negas esse beneficium?* Circumfertur inter memorandæ liberalitatis exempla, specimen ab Alexandro Macedone editum, cùm homini tenuis fortunæ civitatem donavit: attonitóque nec audenti munus admittere, adeò sua conditione superius: *Non quæro*, inquit, *quid te deceat accipere, sed quid me dare.* (*Sen. de Ben. Lib. 2. c. 16.*) Sed enim verò adsit huc superbus Macedo, agnoscátque, quàm despiciendum præ divina in nos largitate, non modò sit tam splendidum munus, sed & omne tam vastum suum imperium. Non civitatem, non provinciam, non dimidiam orbis terrarum partem. Mundum, mundum, inquam, quatus, quantus est priusquam ab eo quidquam poscéremus, imò vel priùs quàm possemus poscere, possidendum nobis maximus illius effector, ac Dominus tribuit.

10. Et qualem porrò mundum: nimiùm quantùm divinæ liberalitati detraheret, qui illum, cùm primis nostris genitoribus traditus est, talem fuisse imaginaretur, qualem mox ipsi, per inobedientiam suam nobis suis poste-

ris, atque hæredibus reliquerunt. Diversissimus à præsenti statu, longéque, secundùm ferè omnes suas partes melior tunc fuit: cùm scilicet sidera non aliis, quàm propitiis, & salubribus radiis in subjectum sibi orbem influerent; neque aëris seu perpetuam serenitatem tetri offuscarent vapores, seu justam temperiem jam frigoris, jam æstûs immoderatio perturbaret; neque tellus, urticarum solummodo, & tribulorum fertilis, ad gignendas nobis fruges, nostris posceret priùs irrigari sudoribus; neque bruta animalia humanæ adhuc servitutis jugũ perduelli cervice excussissent. Mundum universum divina nobis benignitas dono dedit, & mundum, qualem è suis manibus proficisci decebat, omnibus vacuum ærumnis, omnibus affluentem deliciis.

11. Etsi autem primi possessores suo illum vitio in deteriorem longè statum permutaverint; quantam nihilominus bonorum copiam munificentissimus illius Conditor, largitórque ad nostra, & posteritatis totius commoda supereſſe in eo voluit? Quidquámne instrumenti, & subsidii mortalis vitæ usus desiderat, quod ibi etiam ultra necessitatem provisum non suppetat? si morborum intemperiis vexamur; paucáne præsto sunt, ad noxiam eorum

rum vim retundendam, in fossilibus, in herbis, in aquis, aliisque medicamentis subsidia? si perfrigidi, humidique aëris inclementiâ corpus affligitur; quantam ei tegminum varietatem, hinc terra lini, ac byssi proventu, hinc pecudes suis velleribus, atque exuviis suppeditant? si ad securitatem, & commodum certi laris receptu indigemus; en ut illi extruendo sua certatim montes marmora, suas sylvæ ulmos, atque abietes offerunt. Si, nè vita deficiat, novi indies alimenti commeatu opus habet; quis enumerare sat possit, quàm uberem segetum, piscium, volucrum, quadrupedum, olerum, & pomorum annonam divina ei providentia paratam esse ad manum voluerit? si demum corporis sensus aliquid oblectamenti requirunt; quàm jucundas oculi scenas in sereni aëris luce, in camporum, ac nemorum viriditate, inque viva, & multicolori hortorum pictura reperiunt? Quantùm voluptatis trahunt aures ex arguto, & passim resonante avicularum concentu? Quàm suavem naribus fragrantiam exhalant tot florum, totque aromatum species? Quod saporis genus deesse gustui sinit tam multiplex carnium, terræque fructuum varietas? Neque enim, teste Seneca, (*L. 4. de Ben. c. 6.*) *Necessitati-*

bus tantummodo nostris provisum est. Usque in delicias amamur. Ego sanè, cùm verno tempore tot violis, rosis, hyacinthis, aliisque ultra omnem numerum, visu, olfactúque gratissimis floribus terram investiri; per æstatem, atque autumnum tam incredibilem sapidissimorum fructuum diversitatem pendere ex arboribus video; admirari satis nequeo hinc amantissimas æterni opificis curas, in tanta nobis providenda non auxiliorum duntaxat, sed & oblectamentorum omnis generis copia; indè verò communem mortalium stuporem, qui hanc illius adeò munificam, & penè dixerim prodigam erga se benignitatem minimè advertunt, vel advertentes vix ullo ei respondent mutui amoris, & grati animi sensu. Quantumvis queruli sint in deplorandis ærumnis, quæ ex primi parentis sui culpa in mundum profluxêre, inficiari certè non possunt, majorem esse bonorum affluentiam, quæ ex cælestis sui Parentis largitate in eundem promanant: síque id verbis auderent negare, manifesti eos mendacii redargueret suamet quàm diutissimè in terrestri hoc hospitio vitam prorogandi cupiditas: palàm utique ostendens, quàm commodè etiam post hæreditariam suam noxam ex divina benignitate ibi degant.

12. Ne-

12. Neque totam ſolummodo mundi univerſitatem, & quidquid in ea eſt rerum ratione carentium ad noſtram utilitatem DEI beneficentia ordinavit; ſed & reliquos homines univerſos, tametſi ejuſdem nobiſcum naturæ famulari noſtris uſibus, atque commodis voluit: unumquemque eorum lege lata obligans, ut nos, & quidquid aliorum hominum eſt, inſtar ſui amet, (*Marc. 12.*) *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum:* diſertéque inſuper conteſtatus, quæcunque ulli hominum vel infimo præſtentur officia, non aliter æſtimatum à ſe iri, quàm ſi præſtarentur ſibi ipſi (*Mat. 25.*) *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis* (ità etiam nos dignatur, ignobiles alioquin terræ filios vocare) *mihi feciſtis.* Quin imò, cùm proſpiceret, has ſuæ voluntatis ſignificationes parum valituras, ad prædictam aliorum erga alios charitatem extorquendam, adeò inter ſe omnes mutuâ indigentiâ devinxit; ut minimè poſſent, abſque propriarum rationum diſpendio, ſuam alienis uſibus operam denegare: atque in hunc modum privati ſaltèm boni ſui ſtudium eos adigeret, communi bono ſervire. Cujus providentiſſimæ artis vi, mirum ſanè dictu eſt, quanta hominum multitudo, & pridem laboraverit, & aſſiduè

laboret, cujuslibet etiam abjectiſſimi hominis gratiâ. Mitto, quòd Authores librorum, quicunque à te lecti ſunt, totum tuæ utilitati impenderunt eos ſcribendi laborem: quòd Princeps, in cujus ditione degis, eorúmque partim civiles, partim militares miniſtri ſuis omnibus officiis, & curis ſecuritati tuæ conſulant: quòd tot artifices, ſive patrii tui ſoli, ſeu externarum regionum, unde iſtuc merces appellunt, ſua tibi miniſteria, ſuámque operam navant. Mitto, inquam, hæc, aliáque id genus tua commoda, à tot tibi mortalibus, otioſo, atque vacanti proviſa, ut in unius quotidiani tui alimenti conſideratione hæream: neque illiuſmet, ſecundùm quamcunque materiam, ſed ſecundùm eam tantùm, quæ vulgatiſſima eſt, minimíque pretii, etiam cuivis mendicorum communis. Pane nempe, quo ut veſci poſſes, perpende, quàm multis hominibus laborandum fuerit. Primò, neutiquam eo ali potuiſſes, niſi priùs terra aratro proſciſſa, ſeménque in eam jactum eſſet: tum frumento jam nato, adultóque, cætera ſucceſſiſſent miniſteria, illud metendi, in area purgandi, intrà horreum colligendi, ad piſtrinum ferendi, ibíque comminutum, & probè ſubactum, in furno ad extremum coquendi.

di. Quot, rogo, ministris ad prædicta omnia exequenda opus fuit? Quid porrò? istíne ipsi absque idoneo instrumentorum apparatu suas operationes potuissent peragere? nullo sanè pacto. En itaque alios, fabros, lignarios, ferrarios, lapidarios, cæmentarios, qui aratrum, qui falces, qui molam, qui pistrinum, ac furnum pararent. Plurimos recensuimus: sed numquid omnes? imò verò longè plures supersunt, adeóque necessarii, ut eorum quopiam deficiente, nè micam quidem panis tibi licuisset gustare. Supersunt quippe omnes ii, sinè quorum opera nequaquam extitisset semen, unde triticum prodiit, hodierni tui cibi materia. Quotnam verò esse hos censes? tot utique sunt, quot agricolæ, qui à mundi exordio seminârunt, messuerúntque annuatim frumentum, unde postremò germinavit semen particularis hujus frumenti, quod tibi hodie pabulum præbuit: quótque item artifices, qui eis omnibus fabricârunt aratra, falces, atque horrea. Quid ais de hoc censu? nónne mirum tibi auditu, atque factu videtur, exigui hujus cibi tui causâ, necesse fuisse, ut tot artes in mundo existerent, tótque ab ejus primordio hominũ millia suam operam, suásque manus impenderent? eandem consi-

derationem institue circa vinum, quod bibis, eandem circa vestimenta, quibus tegeris, eandem circa reliquam omnem quotidiani usûs tui supellectilem: colligens hinc postremò, quantùm Conditori tuo debeas, cujus amanti providentiâ effectum est, ut tanta ubique hominum multitudo tui cæteroqui prorsus ignara, tuis commodis, usibúsque serviret.

13. Et tamen nondum præcipuam latissimæ illius erga te charitatis partem attigimus. Præterquam enim, quòd omne rerum sensibilium genus tuis velificari opportunitatibus voluit; ipsosmet Angelos, naturæ tam præstantis spiritus, indesinenter excubare ad custodiam tui jussit. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* (*Ps.* 90.) Imò, non ut te solùm, sed ut omnes præterea fructuum, animalium, aliarúmque utilium tibi rerum species custodiant. *Omnes* siquidem, si Apostolo credimus, *sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis.* (*Ad Hebr.* 1.) O benignitatem! quam nunquam sperare ausi essemus: *Mira dignatio* (exclamat D. Bernardus) *& verè magna dilectio charitatis! Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit?* (*In Ps. Qui habit.*) Quale, quámque extraordinarium, & admi-

ra-

rabile existimaremus amoris specimen, si maximus Rex vilissimi mancipii sui, & quidem perduellis, filium in tantum diligeret, ut ex nobilissimis sui regni Principibus pædagogum ei assignaret; illum procurandæ ejus annonæ præficeret, aliisque aliarum ejus rerum administrationem demandaret? Et nónne talis rerum nostrarum conditio est? certè, si hominis conditionem suis momentis pensandam sumamus; perspiciemus, eum esse substantiam terrenam, caducam, mortalem, rationalium postremam, & præterea ex infami ortam majorum DEO perduellium genere, proinde omnibus primævæ dignitatis ornamentis exutam, vitiis scatentem, cæcam ad veri jubar, inordinatis affectionibus subditam, quàm à bono aversam tam in omne malum proclivem, in summa talem, ut magno honori sibi posset ducere, si eam Angelus suorum intrà gregem servorum dignaretur recipere. Quisnam ergo satis miretur, progeniem adeò contemptam, tanto apud altissimum universitatis totius Regem in honore esse, ut illius tuendæ curam nobilissimis cælestis suæ aulæ proceribus mandet: nullum ex nascentibus prætermittens, sinè aliquo ejusmodi curatore, & custode, qui à primo illius ortu dies, noctésque

que illi adsit, nec à latere ejus unquam discedat? Obstupescat de inauditæ adeò benevolentiæ significationibus cælum: obstupescat terra: obstupescat, quidquid rerum creatarum ubique est. Sed tu inprimis obstupesce, homo videns à cælesti tuo Domino in tantum te diligi, & honorificè haberi, ut, quod per Isaiam promisit, *Reges sint nutritii tui*: (*c.* 49.) neque hìc agniturus te sit David paulò infrà Angelos à DEO positum: (*Ps.* 8.) quin potiùs in te, atque ipsis possit Salomon instauratum quodammodo existimare illud spectaculi genus, quod mirum adeò suis temporibus censuit: *Vidi servos in equis, & Principes ambulantes super terram, quasi servos.* (*Eccles. c.* 10.)

14. Talis itaque est divinæ erga nos charitatis amplitudo per totam mundi universitatem, quàm latissimè diffusa, nullo quà corporearum, quà spiritualium rerum genere omisso, quod ad nostram utilitatem non direxerit. Quamobrem, ùt nihil hac in parte addendum supereſt, sic neque mihi in ea esset immorandum ulteriùs, nisì justa indignatio me cogeret, DEI causam susciperе, contra nonnullorum perversitatem, qui commemorata ejus beneficia minora arbitrantur, eò quòd non sibi duntaxat, sed & reliquis promi-

scuè

scuè hominibus fiant. Quid ais, ô quisquis talis es? minùs te amat DEUS, quòd & alios tecum amet? minùs obligaris illius munificentiæ, quòd hæc obligatio sit tibi communis cum omnibus? Nego primùm, communem esse omnibus. Cùm suprà jam ostenderim, infinitam eorum multitudinem esse, ad quos nullo modo illa pertinet, utpote à DEO prorsus derelictos in nihilo, nec unquam proinde gustaturos vel unum ex tot, támque eximiis beneficiis; queis ut fruereris sinè ullo tuo merito, gratuita, & peculiaris illius benevolentia te elegit.

15. Quam peculiarem erga te benevolentiam ipsismet sensibus percipere potes, si cum plurimis te componas, qui, licèt commune tecum habeant existentiæ munus, non tamen aliis existentiæ bonis communiter tecum fruuntur. Circumfer itaque oculos, támque multos tui generis intuere, alios à morborum sævitia magnam ætatis suæ partem in lectuli cruce defixos; alios absque integritate, & usu membrorum, cæcos, debiles, mancos, semihomines; alios mentis tam crassæ, tam obtusæ, tam plumbeæ, ut vix discernantur à brutis; alios extrema egestate pressos, ut neque tectum habeant, quò se ad nocturnam quietem

tem recipiant, neque indumenta, quibus per hyemem se tegant, neque alium victum, nisi quem indies ab aliena misericordia vicatim emendicaverint. Observa, inquam, hæc ubivis obvia humanarum calamitatum exempla, téque ipsum mox interroga: cur tam dissimilis mea, & horum sors est? cur hi tot naturæ, fortunæq; bonis carent, quæ mihi, si non ampliſſima, at certè justum intrà modum suppetunt? Nullam certè aliam causam invenies, nisi peculiarem DEI providentiam, qui impertita tibi voluerit, quæ ipsis bona negavit: colligens hinc, quàm ille erga te fuerit communem ultra modum beneficus, quámque te deceat, huic illius largitati proprio etiam respondere grati animi sensu.

16. Sed quid opus est ejusmodi comparationes instituere? perinde quasi accipientium multitudo quidquam pretii detrahere divinis donis queat, neque illa tam solidè quemvis obligent, quàm si uni ipsi collata essent? Duo sunt capita, unde beneficium, si multis communiter fiat, minùs obliget singulos: vel scilicet, quia minor indè ad singulos beneficii fructus pervenit; vel quia ejus author minùs speciatim, & distinctè de singulis cogitat. Nam cæteroqui, si beneficium communiter factum,

&

& copioſum adeò ſit, ut quiſque tantum ex eo accipiat, quantum acciperet, ſi ſolus eo frueretur; & tam ſingulari cum benevolentia, ac reſpectu uniuſcujuſque fiat, quàm ſi nemini alteri ſimul fieret; in hoc caſu accipientium multitudo tantùm abeſt à diminuenda beneficii æſtimatione, ut jucundiorem potiùs illius uſum faciat: veluti exempli gratiâ, ſi ego nominatim unà cum octo aliis ad convivium inviter, Luculleo, vel Vitelliano luxu apparatum: ubi nemo non videt, in tanta ferculorum omnis generis affluentia, ſocios ſimul epulantes nihil aliud effecturos, nisi, ut majori cum hilaritate diſcumbam, & ità plùs invitanti debeam, quòd me unà cum illis vocaverit, quàm ſi ſolum vocâſſet. Atqui talis omnino communium DEI beneficiorum ratio eſt. Fingamus, neminem hominum, præter me unum, procreatum ab eo in terris fuiſſe. Quidnam, rogo, amplioris fructûs ſive ex meo eſſe, ſive ex lucis, ex aëris, éque aliarum rerum cõmunium uſurâ tunc ſolus perciperem, quod nunc non percipiam inter tot ſocios, qui iiſdem muneribus ſimul mecum fruuntur? nihil profectò. Nam ejuſmodi bona, ceu de pace, & libertate inquit Seneca, (*Ep.* 75.) *Non ſic dividuntur, ut exiguum in ſingulos cadat.*

Ad

Ad unumquemque tota perveniunt. Ex congiario tantum ferunt homines, quantum in capita promissum est. Ad hæc individua bona tam omnium tota, quàm singulorum sunt. Imò, nedum nihilò magìs tunc læta, sed contra etiam iniquior mea esset condito. Omni siquidem eo carerem utilitatum, & auxiliorum proventu, quem nunc per tot artium effectus ex hominibus reliquis capio: aut si nulla re alia, humanæ carerem societatis, & conversationis solatio: quo sinè condimento insulsam esse, ait ille sapiens, cæterorum omnium bonorum affluentiam. *Nullius boni sinè socio jucunda possessio.* (*Sen. Ep. 6.*)

17. Manifestò igitur patet, quòd communem DEUS plurimis existentiam, & mundi usum esse voluit, non ideo fecisse, ut minùs ego commodi, & fructûs ex talibus beneficiis percipiam. *Quid enim* (secundùm animadversionem Chrysostomi) *interest, si & aliis præstitit, cùm, quæ tibi præstita sunt, ità integra sint, & perfecta, ac si nulli alii quidquam ex iis præstitum fuerit?* (*L. 2. de Comp. Cord.*) Videamus jam, num ex altero saltèm capite id genus munerum minoris sit pretii: quatenus scilicet, me simul cum tot aliis, & mundum, non mei unius, sed tot etiam aliorum gratiâ producens, mi-

minùs præsentem me habuerit, atque amaverit, quàm si prædicta beneficia mihi uni feciſſet. Sed enim verò neque de hoc ulli dubitare fas est, qui genuinam DEI speciem in animo consignatam habeat, neque peranguſtâ humanæ comprehensionis decempedâ capaciſſimæ illius mentis immensitatem metiendam putet, perinde quasi illa obscuriùs discernat, quæ simul cum aliis contemplatur, quàm si per se singula contemplaretur: aut multos conjunctim amando minùs plenâ, & singulari benevolentiâ in unumquemque eorũ feratur. Apage, apage, clamat D. Gregorius, perversarum hujusmodi imaginationum deliria. De omnibus semper cogitat omnium Creator, & Rector; sed tam singulariter minimam quamque partem considerans, quàm si de nulla alia interim cogitaret. (*L. 25. Mor. c. 13.*) *Sic intendit singulis, ac si vacet à cunctis: & sic simul intendit omnibus, ac si vacet à singulis.* Similiter atque in figuris quibusdam videmus accidere, tali, ùt Plinius refert, artificio depictis, ut, quamvìs multi, & diversis ex partibus eas spectent, videantur tamen unicuique in se intentam oculorum aciem habere. (*L. 35. c. 10.*) *Spectantem aspicientes, quacunq; aspiciantur.* Quemadmodum essentiæ illius immensitas ità occu-

pat quævis ſpatia, ut non dividatur ſecundùm eorum diverſitatem, ſed tota unicuique ſit præſens; ſic & amoris illius amplitudo ità homines univerſos complectitur, ut non ideo minùs tota, ac amplexu minùs arcto eorum quemque conſtringat. Quò D. Joannes Chryſoſtomus refert Euangelici paſtoris parabolam: obſervans, unius ovis nomine totum ibi exprimi genus humanum, tanquam ſignificandi gratiâ, cæleſtem paſtorem, eadem indiviſa charitate & omnes homines, & quemque eorum quærere: *Una ovis dicitur, quia ſic omnibus, quaſi uni, divina beneficia conferuntur.* (*Vide ſuprà.*)

18. Omnes itaque, ceu ego, ſic tu Lector, & quiſque alius ex omni hominum numero, divinæ benignitati, & providentiæ in mundi creatione præſentes ſingillatim fuimus: &, quidquid produceret, ſeu cælos, ſeu ſidera, ſeu aërem, ſeu aquas, ſeu terram; non ad omnes magis, quàm ad quemque noſtrûm id dirigebat: diſtinctè jam tum habens præ oculis ſingulas utilitates, quas ſinguli hominum ex illo peculiari opificio relaturi ſuis temporibus erant, eáſque ſingulas ſpeciatim volens, & tanquam ſuæ illius operationis ſcopum aſpiciens. Adeò ut poſſim ego, túque poſſis, ac quivis ali-

alius ea pro virili sua parte Proverbiorum verba usurpare, *Quando præparabat cælos aderam*: (*c. 8.*) Ità sanè ego, ego, cùm fabricarentur sphæræ cæleſtes, quamvis nondum existens, æterni tamen Conditoris ante oculos eram, ceu magni illius sui operis finis: eodémque pacto, *Quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos*: eodem, *quando appendebat fundamenta terræ*, eodem, in quacunque mundi parte condenda, *aderam*, *aderam*, præsens illi observabar, adeo speciatim animadversus, dilectúsque; ut si de nullo alio cogitaret, nullum alium diligeret, nulli alteri operam navaret. Neque solùm in prima mundi productione unumquemque ille nostrûm singulari animadversione prospexit destinans, volénsque illi peculiariter, quàm si ejus unius gratiâ operaretur, universos & singulos fructus, quos ex qualibet rerum creatarum percepturus suo tempore erat; sed nunc quoque eâdem peculiari benevolentiâ singulas res creatas ad singulorum hominum emolumenta ordinat, simul cum iis operans, dum alias continenter, atque alias nobis opportunitates pariunt. Atque ità hoc præsenti tempore ipse unà cum tellure, *Producit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum.* (*Pſ.* 146.) Ipse unà cum sole

nobis lucem, cum igne calorem, ipſe unà cum animalibus, aliiſque rebus creatis, ea nobis benficia atque commoda impertit, quæ ab illis accipere jugiter pergimus: cum hoc tamen diſcrimine, quòd illarum pleræque cæco duntaxat, & materiali modo, citráque ullam noſtri boni ſeu voluntatem, ſeu notitiam nobis deſerviunt: ipſe verò, quemadmodum ab æternitate ſingulos nobis earum uſus, & fructus voluit, præparavítque; ſic eoſdem ſimili nunc benevolentiâ, jam hos jam illos ſuo tempore, atque ordine exhibet. Quare, quidquid utilitatis illæ nobis conferunt, magis id ab ipſo, quàm ab illis accipimus: & veluti Habacuc, quando unà cum cibo, quem ferebat meſſoribus ſuis, translatus ab Angelo eſt Babylonem, ad ſubveniendum Danielis inediæ; eſcas illas jejuno Prophetæ obtulit, non aliter, quàm ut ſubſidium à DEO per ſe illi tranſmiſſum, dicens: (*Dan. c.* 4.) *Daniel ſerve* DEI, *tolle prandium, quod miſit tibi* DEUS; ſic quandocunque à rebus creatis, ſeu rationis uſu præditis, ſeu carentibus, aliquid nobis commodi, atque auxilii præſtatur, intueri id debemus, non tam ùt ipſarum, quàm ùt DEI munus, qui eis inſtinctum, habilitatémque, & vires ſuggerit, bene de nobis merendi: adeò ut imaginemur, unam-

unamquamque, dum aliquem nobis fructum affert, dicere, ſume hunc fructum, in quo tibi offerendo, nihil ego aliud, nisì inſtrumentum, & miniſter DEI ſum. *Tolle prandium; quod miſit tibi Dominus.* Atque hic ſanè D. Auguſtini erat ſenſus, in utendo rebus creatis, prout videre eſt in primo illius confeſſionum libro: ubi commemorans, quæ à cauſis ſecundis percipiebat emolumenta; DEO illa ſe omnia, tanquam authori primario profitetur debere. *Bonum mihi non eis, ſed per eas erat: ex te quippe bona omnia* DEUS: addens etiam ea, quibus homines falsò exiſtimabant ſibi prodeſſe, ab eo fuiſſe in verum ſuum bonum converſa: *Errore omnium utebaris ad utilitatem meam, & de non benefacientibus benefaciebas mihi.* (*c.* 6. *&* 12.)

19. Si ergo ex eo, quòd DEUS univerſis indifferenter hominibus tum exiſtentiam, tum alia, quæ commemoravimus, bona elargitus eſt, non ſequitur, eorum quemquam ſeu minorem indè fructum percipere, ſeu minùs ſingulariter ab eo conſideratum, & dilectum fuiſſe; nè, quæſo, velimus illius erga nos munificentiam minoris facere, quia ſinè ullo noſtri boni diſpendio in aliorum quoque bonum ſe extendit: ſed, animadvertentes, in tanta

eorum, de quibus bene meretur, multitudine, tam peculiari attentione, & amore eum bene de nobis mereri, ac si totum soli essemus universæ illius liberalitatis objectum; imitemur D. Pauli gratitudinem, qui, licèt probè nosset, Christum pro universo hominum genere mortem obiisse; nihilominus, quia æquè sciebat, totam solidámque ad se pertinere salutiferæ illius mortis utilitatem; totam item ac solidam profitebatur se illi debere tanti muneris gratiam, de authore illius dicens, (*Ad Gal. 2.*) *Qui dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me.* Ac proinde, quoties nobis contingit solem, pecudes, plantas, & quidvis aliarum rerum aspicere; dicamus de unaquaque, non secùs, ac si soli essemus in mundo; utilitatis meæ gratiâ rem hanc summus Author creavit, & priùs, quàm eam juberet existere, prævidit clarissimè cùm reliquos omnes fructus, quos diversis temporibus ex ea percepturus ego essem; tum hunc ipsum, quem in præsens percipio: & ideo productam voluit, ideo ad hunc usque diem conservavit, ideo nunc etiam necessarias ad operandum vires ei sufficit. Quod si inter talem considerationem succurrat, reliquum omne hominum genus iisdem pariter utilitatibus frui; nihil id potest, nec de-

debet valere, ad extenuandam in animis noſtris divinorum munerum gratiam, ut illius potiùs augendæ vim habeat: tũ quia ejuſmodi communio, & ſocietas non modò nil ſingulis de beneficii utilitate decerpit; ſed, ùt demonſtratum ſuprà eſt, uberiorem præterea, & jucundiorem hanc reddit; tum quia, ſecundùm obſervationem Salviani, majus eſſe divini erga nos amoris videtur ſpecimen, quòd inter cogitandum de tot aliis ſingulariter de unoquoque noſtrûm cogitaverit, ac ſi de nullo alio cogitaret: quódque nihil minus uniuſcujuſque gratiâ, quàm gratiâ omnium fecerit: dum ità unumquemque hominem univerſis quodammodo in ſua æſtimatione, ac benevolentia adæquavit. *Sicuti totum debent univerſi, ſic ſinguli: nisì quòd prope plus ſinguli, quàm univerſi: quia tantum acceperunt ſinguli, quantum univerſi.* (L. 2. *de Eccl. Cathol.*)

CAPUT XXIV.

De eadem charitate, & beneficentia, secundùm reliquas duas dimensiones, altitudinem nimirum, & profunditatem.

PErgamus jam ostendere, quàm non modò longa ob diuturnitatem temporis, & lata ob beneficiorum omnis generis copiam, vetùm etiam sublimis ob donorum suorum altitudinem eadem DEI erga homines charitas sit. Quò loci erigenda nobis super omnem naturam mens est, quemadmodum supra omnem ejus sphæram consurgunt duo illa exaggeratissima bona, quæ, præter jam commemorata in præcedenti capite, ab ea accepimus, gratia nempe sanctificans, & gloria cælestis: Bona certè adeò incomparabilis pretii, ut præ illis, quidquid hactenus diximus, pene in nihilum abeat. Quare doctus nostri sæculi Scriptor sapienter observat, in donis naturalibus DEUM attendisse, *quid nos deceat accipere*; in supernaturalibus verò, *quid se deceat dare.* (*Nic. Pallav. de excel. DEI p. 2. L. 4. c. 7.*) addens in primis

iis

iis singulari illum quidem misericordiâ usum erga nos esse, quibus maximè necessaria providit: at nequaquam, ùt in hisce posterioribus propriũ liberalitatis specimen edidisse. Omne siquidem esse creatum, cujus limitibus naturalia continentur DEI beneficia, cum infinitò amplioribus bonis collatum, quæ à divina omnipotentia erogari possunt, incomparabiliter minor res est, quàm numulus æreus ad opulentissimi Regis thesauros. Ac proinde, ceu Regum nullus mereretur liberalis vocari, quia duos, tréve numos æreos largitus mendico esset; sic neque, quòd DEUS ex infinito suæ omnipotentiæ ærario naturale nostrum, & mundi esse, nobis largiendum protulerit, satis est ad promerendam liberalis DEI gloriam: quam cæteroqui optimo ei jure promerentur supernaturalia, impertitæ nempe nobis gratiæ, gloriæque dona: dona nimirum summopere æstimanda, non pro sola accipientium indigentia, & utilitate, sed pro dantis etiam magnitudine, atque opulentia. Cùm in his DEUS nobis largiatur, & nostrum bonum faciat se ipsum: illam nempe *mercedem magnam nimis*, (*Genes. c.* 15.) qua nullam vel ipse, infinitè licèt bonus, dives, & potens, dare potest majorem. Præterquam quòd perspi-

cuum cuique sit, ad veræ, propriæque liberalitatis laudem non sufficere, quòd res aliqua commodetur ad tempus, sed perpetuam illius donationem requiri: adeò ut rem accipiens legitimum in eam jus acquirat, neque hoc spoliari citra culpam suam possit. Atqui hoc videre est inter naturalia, & supernaturalia DEI beneficia discrimen. Cùm priora non nisi utenda nobis det, plenissimam interim facultatem retinens, eadem pro suo arbitratu auferendi. At, quantùm ad altera publica sponsione certos nos fecit, neminem semel concessa illorum possessione exutum à se iri, qui talem pœnam capitali scelere non sit commeritus. *Sinè pœnitentia enim sunt dona DEI*, (*Ad Rom.* II.) ùt testatur Apostolus; erigamus itaque mentis aciem ad contemplandum, quàm supra omnem humanam æstimationem sint hæc beneficia, quantúmque hinc sursum versùs excrescat magnitudo bonitatis divinæ.

2. Tantùm certè excrescit, ut nihil ei supersit, quà eniti altiùs possit. Huc siquidem spectat, quòd maximus cæli, terræque Imperator ex terrena, & servili nostra conditione ad eminentissimam nos extulerit amicorum suorum dignitatem; prout benignissima illa ejus verba declarant, *Jam non dicam vos servos,*

vos

vos autem dixi amicos: (*Joan. c. 15.*) Privilegium totam hominis naturam adeò ſupergrediens, ut à Philoſophorum Principe impoſſibile creditum ſit. (*Ar. L. 8. Eth. c. 6. & L. 2. Magn. mor. c. 12.*) Et tale procul dubio eſſet, ob infinitam duarum adeò inæqualium naturarum, humanæ nimirum, & divinæ diſtantiam: nisi quòd, qui noſtro illud generi conferre deſtinaverat, modum etiam inveniſſet, quo poſſet conferri: novam ideo naturam, nempe gratiam ſanctificantem, nobis infundens, per quam, teſte D. Petro, (*Ep. 2. c. 1.*) *Efficeremur divinæ conſortes naturæ*: mutantes ità ſtatum, atque ordinem, amplius aliquid hominibus, atque Angelis evadentes, & propemodum deſinentes jam eſſe entia creata. Præſertim quòd, neque contentus, ad ſuam nos amicitiam evehere; filios etiam ſibi adoptavit, ſecundùm illud D. Joannis effatum, (*Ep. 1. c. 3.*) *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur, & ſimus.* Beneficium, ſupra quàm æſtimari, aut dici poteſt, accipientibus honorificum: cùm, qui antea noſtræ humilitatis conſcii, coram tremenda maximi noſtri Conditoris, ac Domini majeſtate vix audebamus hiſcere; addente nunc animos tam benigna adoptione, non vereamur, fi-

filiorum ritu ad ipsum clamare: *Abba Pater.* (*Ad Rom. 8.*) Beneficium isthoc præter inæstimabilem suam dignitatem, paris etiam est utilitatis, ac fructûs, utpote quod certum nobis jus confert, tanti Patris hæreditatem poscendi, audiendíque ab illo, (*Fili, omnia mea tua sunt.* (*Luc.* 17.) Etenim, ùt Apostolus scribit, (*Ad Rom. 8.*) *Si filii, & hæredes: hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi.* Unde, si (quod fieri nullo modo potest) magnũ illum Patrem mori contingeret, nos tanquam verissimi hæredes, ei succederemus in dominatu super ceteras res omnes creatas, quasi novi harum Dii. Et hic certè supremus ille est, atque excellentissimus finis, ad quem omnia, sive in naturali, sive in supernaturali ordine præstita nobis à DEO, beneficia collimant. Neque alia profectò de causa nos ille è nihilo eduxit, rationis usu dotavit, tot vitæ commodis, & præsidiis instruxit, ínque mundi medio, tanquam illius possessores constituit; nisi, ut recto hujusmodi munerum usu evaderemus illius amici, atque filii: & peractis demum tutelæ annis, legitimóque paternam hæreditatem adeundi, tempore appulso, è præsenti migraremus mortalitate ad immortalem cum eo vitam in cælo ducendam, con-

for-

sortes illius gloriæ, illius beatitudinis, illius Divintatis, adeóque ipsi consimiles; ut affirmari de nobis posset, *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes.* (*Ps.* 81.)

3. Jam verò quæ mens non humana duntaxat, sed vel Angelica immensissimam DEI in suis hisce tam extraordinariis muneribus liberalitatem, seu veriùs magnificentiam, dignè æstimaverit? si naturale hominis esse nobis tribuens beneficio nos affecit, cui par aliud accipere à nulla creatura possumus, quantò majori nos beneficio affeciisse dicendus est, dum novum gratiæ, gloriæque esse nobis tribuit: esse altius humano, esse supra Angelicum, esse quasi divinum? Talis profectò, atque tanta beneficii hujus dignitas est; ut, ut quantumcunque immensa, & inexplebilis sit nostrorum cordium aviditas; nullum queat eo majus optare. Síque id libet palàm perspicere; fingamus, à DEO plenum nobis arbitrium in suam omnipotentiam permitti: adeò ut recipiat, se daturum poscentibus, non secundùm definitam Assveri, & Herodis largitatem. (*Vide Esther c. 5 & Marci c. 6.*) *Etiamsi dimidiam partem regni ejus petierimus*, sed absque ullis limitibus, quidquid petere nobis veniat in mentem. Age, quando felicitas nostra in manu no-

noſtra eſt, conſulamus cogitationes noſtras, intendamus curas, revocemus in memoriam, quidquid novimus boni, dilatemus vota, omni fœno verecundiæ petitiones ſolvamus. Quid poſtulabimus? Midæ manus? Herculis vires? ſapientiam Salomonis? mundos Alexandri? felicitatem Adami nondum ſontis? Poſtulemus ſanè iſthæc omnia, adjiciamúſque iis inſuper annulos illos multimodæ, ac prodigioſæ virtutis, quorum poſſeſſione Timolaus Luciani ſocius (*Luc. Navis ſeu Vota*) felix ſibi videbatur futurus: & quidquid præterea opum, deliciarum, honorúmque cadere in cogitationem poteſt. Fiétne unquam, ut in tanta bonorum amplitudine poſtulemus aliquid majus DEO, perfectáque illa beatitudine, quæ ex ipſo, æterno, ſummóque bono in illius amicos, atque filios redundat? Adeò nunquam id fiet, ut nè ipſemet quidem, quantumcunque infiniti illius opulentiæ theſauri ſint, quidquam ibi reperire, & nobis largiri queat melius. *Cùm ſit omnipotens, plus dare non poteſt: cùm ſit ſapientiſſimus, plus dare neſcit: cùm ſit ditiſſimus, plus dare non habet.* Et tamen hoc munus, omnia noſtra deſideria, & poſtulata longiſſimè excedens, ante cujuſquam preces, ab æterno ultro nobis præparavit, per-

gít-

gítque omnibus continenter offerre, unumquemque hominum ad ſuam amicitiam, ad ſui regni hæreditatem, ad ſuæ beatitudinis, gloriæque conſortiũ amantiſſimè invitans. Quid dicimus de hujuſmodi liberalitate, ultra quam nequit ſe extendere, quaque ad inopiam, ut ſic loquar, & ad majora donandi impotentiam redactus eſt omnium Creator, ac Dominus? Ubinam ſunt noſtri affectus, nisi hìc totos ſe effundunt? ubinam noſtri ſenſus, nisi hìc deficiunt, & tantorum prodigiorum admiratione obruuntur? Ego certè neſcio, ubinam ſim, & quid me cogitare, aut ſcribere oporteat. Audiens quippe hæc vocabula, *Amicus* DEI, *filius* DEI, *hæres* DEI, non poſſum, quin memoriâ repetam æternum, immenſiſſimúmque illud eſſe, quod in hac prima mei operis parte conatus ſum utcunque adumbrare, & cujus peculiaris quæque perfectio incomprehenſibili ſua magnitudine cogitantem, ſcribentémque obſtupefecit, ſacro horrore implevit, ac penè extra me rapuit: vidénſque altera ex parte poſſeſſionem adeò incomparabilis boni ultro, támque facilè offerri non ſolis Angelis, vel paucis quibuſdam, & lectiſſimis hominum, ſed indiſcriminatim, promiſcuéque omnibus, inter miræ adeò novitatis prodigia attonitus, mei-

meíque impos hæreo, &, num ſomniem, aut ſomnia narrari audiam, propemodum dubito: magnámque vim mihi cogor inferre, ut, qua par eſt, firmitate illa credam, nec pro impoſſibilibus, & commentitiis rejiciam. O DEUS! plùs quàm liberalis, plùs quàm magnifice, plùs quàm optime. Quænam iſthæc tanta eſt, non modò rerum tuarum, ſed & tuimet prodigentia? Itáne igitur, nè rogari quidem expectas, quin ultronea largitione in omnium ſinum profundas, quidquid præcipui, atque ſummi potes donare, tuum regnum, tuam perennem gloriam, te ipſum? Ignoſce, Domine, ſi nimia iſtius tuæ benignitatis admiratio ad delirandum me quodammodo impellit. Siquidem venit penè mihi in mentem exte ſciſcitari, num ante tanti muneris profuſionem, ſatìs tecum expenderis, tum inæſtimabile illius pretium, tum contrariam eorum, quibus deſtinabatur, vilitatem. *Quid eſt homo, quia magnificas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum?* (*Job. c. 7.*) Cujus ille meriti ſit, nemo ſanè meliùs novit, quàm tu ipſe, qui eum è nihilo produxiſti; animal terrenum, infirmum, ærumnoſum, mortale. Et ſubſtantiæ hujuſmodi, de qua nimiùm quàm amplè meritus videri poteras, ſi eam inter ſervitia tua re-

recenſeres, tantum amoris, & dignationis exhiberi par erat? ut tu, infinitæ majeſtatis DEUS, coram quo rerum omnis creatarum univerſitas inſtar nihili eſt, arctiſſimo illam mutuæ neceſſitudinis nexu tibi conjungeres, in filiorum tuorum jura adoptares, neque contentus, quidquid in mundo eſt ſenſibilium rerum, ei ſubjeciſſe, te ipſum præterea bonum bonorum omnium, patrimonii locò eidem poſſidendum, ac fruendum donares? Et quò tandem progredi ulteriùs in diligendo, & ornando me poteras, etſi totum mihi tuum eſſe, tuámque omnipotentiam, & Divinitatem deberes? Nihil certè pro tanto meo merito potuiſſes mihi amplius rependere. Et ſatìs dignam ego vicem à me relatum iri tuæ huic tam immenſæ largitati arbitrabor, ſi, quidquid ſum, atque habeo, tuo honori devoveam? Parùm id remunerationis eſſet pro beneficio, quo affectus à te ſum, quando in lucem è nihilo eductum me mihi donâſti. Et juſta erit reſponſio pro beneficio infinitè majori, quod tu primo adjeciſti, donans mihi etiam te ipſũ? O me omnis prorſus officii, atque juris immemorem, ſi, cùm nequeam, etiam me totum amori tuo impendens, par tibi reddere, neque hanc ipſam, me totum tuo amori impen-

dendi, retribuere tibi curem, quamvìs adeò imparem gratiam. *Quoniam nihil eſt, quod dignè DEO referre poſſimus, væ mihi, ſi non dilexero.* (*Ambr. Lib. 6. in Luc.*)

4. Neque verò hæc adeò benefica noſtri in amicos, in filios, ínque hæredes DEI cooptatio, quidquam æſtimationis, & pretii deperdere apud æquos rerum æſtimatores debet, reſpectu meriti atque operis, quod pro ea à nobis requiritur. Quia primò innumeris hominum, nempe infantibus, à ſuſcepto baptiſmo ante rationis uſum defunctis, gratuito prorſus munere tam gratia, quàm gloria tribuitur. Quod verò ad fideles jam adultos pertinet, quidquid ab iis exigitur, tam exiguum eſt ad infinitum, æternúmque bonum, quod eo emitur, ut multò minùs videri debeat, quàm teruntius ad regnum. Quapropter ceu Alexander Macedo, vel Auguſtus Cæſar, ſi pro totius imperii ſui poſſeſſione nihil ultra teruntium exegiſſent, dicerentur donâſſe illud potiùs, quàm vendidiſſe; *Sic momentaneum, & leve* illud pretium, quod à nobis DEUS petit, ad *æternum pondus* cæleſtis ſuæ gloriæ aſſequendum, nil obſtat, quin hæc poſſit merum donũ vocari. Addo præterea (nec quiſquam, nisi inertiſſimus meæ huic propoſitioni fidẽ negabit)

bit) meliùs de nobis DEUM meruiſſe, dum beatitatem æternam bene agendo potiùs comparari, quàm gratuito prorſus munere haberi ab hominibus voluit: plúſque debere illi adultos, dum eam, quaſi rectè factorum mercedem, quàm infantes, dum eandem, quaſi purum donum accipiunt. Neque ſolùm, quòd plenior ſemper ſit, dum merentibus retribuitur, quàm dum immunibus, & omnino feriatis donatur, ſed etiam, quòd quævis bona per virtutem acquiſita, plus honoris ſecum afferant, & jure magis proprio poſſideantur, ideóque gratiora etiam ſint poſſeſſori; quàm ſi fortuitò, vel per alienam liberalitatem obtineantur: ceu experientia planiſſimè oſtendit; cùm nemini non perſpicuum ſit, quantò chariorem eundem librum habeat, qui compoſuit, quàm qui ab authore dono accepit: quantóque pluris faciat gymnicorum certaminum præmium, qui ſuâ illud ſolertiâ, & virtute adeptus eſt, quàm qui citra ullam ſuam operam eodem potitur: & quàm demum generoſis quibuſque animis communis eſſe ſoleat antiqui illius Herois ſenſus, qui ajebat: (Ov. L. 13. *Metam.*) *Nam, quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra voco.* Quare etiam quivis magnanimæ indolis vir ægre ferret, ſi ſua in patria ho-

honores, & magistratus omnibus ex æquo, & citra ullum discrimen, civibus deferrentur: mallétque eorum copiam, non nisi pro mensura operæ fieri, quam quilibet publicæ utilitati navâsset. Quamvis enim secundùm priorem illam consuetudinem publicorum munerum particeps sinè ullo labore suo fieret; secundùm alteram verò eorum consecutio aliquo ipsi impendio staret; hoc tamen qualecunque impendium abunde compensaretur partim majori voluptate, obtinendi bonum, non communi etiam ignavis, sed proprio strenuorum hominum modo; partim facultate, tantò ampliorem illius copiam adipiscendi, quantò major sua esset in eo promerendo sedulitas. Quod potissimùm tunc valet, cùm opera ad pleniorem præmii adeptionem necessaria non adeò laboriosa, arduíque moliminis sunt, ut majorem deterrendi, quàm plenior ille fructus alliciendi vim habeant. En igitur mirè beneficam DEI artem in requirendo, ut cælestis sui regni hæreditatem aliquo promereremur virtutis conatu. Si velut infantibus eam nobis omni merito vacuis largiretur, possideremus illam quidem sinè ullo sumptu laboris, non tamen, ceu *coronam Justitiæ*, in qua aliquid nostræ laudis, virtutisque

que appareret: & possideremus præterea ità omnes æqualem, ut nemo posset in ea eminere. Quid itaque egit, quò ad egregia patranda facinora nobis stimulos adderet, & ampliora cupientibus cælestis gloriæ incrementa, liberrimum ad quantoscunque in ea progressus faciendos campum recluderet? decrevit, quemadmodum à Gregorio Nazianzeno scribitur, (*Or.* 1.) *Ut salus nostra non esset purum suum beneficium, sed & nostrum meritum, quod nobis est dignius, & dulcius.* Verùm, quo simul imbecillitati humanæ consuleret, noluit tantum boni promerituros obligare, nisi ad nonnullas leges implendas, & numero paucas, & nostræ rationali naturæ quàm maximè consentaneas: adeò ut quivis possit facillimè divina illas ope sartas tectas tueri, experimento suo discens, quàm verè in Euangelio, *jugum suave, & onus leve* appellentur. (*Mat.* 11.)

5. O amantissime DEUS! qui, cùm posses in cælestis regni tui pretium exigere plura, & plura asperrimorum laborum, & cruciatuum sæcula, quod ipsum pretium pro tam immensi, æterníque boni consecutione vix oboli instar fuisset; nihil tamen exigis amplius, quàm ut justè, & secundùm rationem vivamus, abstinentes ab iis vitiorum illecebris, quas eti-

am nullo, nedum tanto præmio propoſito debueramus ex ipſiuſmet naturæ inſtinctu vitare: & ſi id uſque ad ultimum diem paucis nempe annis præſtemus, tuum nobis æternũ, ac beatiſſimum regnum, quaſi legitimam, debitámque mercedem promittis: nec ullam proinde aliam in ſupremo univerſalis judicii die illius nobis concedendi cauſam, præter exigua hæc, & leviſſima merita afferes: palàm cælo, ac terrâ audientibus edicens, illud nobis tanquam ſtrenuis victoribus æquo jure deberi. Quid de tua iſta mirabili benignitate ſentiendum, dicendúmque mihi eſt? Gratias tibi immortales habeo, quòd tam immenſum mihi bonum paraveris: & novas rurſus gratias, quòd pro illius poſſeſſione tam parùm laboris, impendiíque à me exigas: novaſque demum gratias, quòd hanc adeò tenuem impenſam juſtum eſſe profitearis, & par comparando illi pretium: perinde quaſi in illius ſortem me admitti debitæ potiùs mercedis ſolutio ſit, quàm gratuiti doni largitio. Sed abſit à me tantum impudentiæ, ut magnificè adeò de meis operibus ſentiam, & ſecùs illa intuear, ac veluti minimam eorum obſequiorum partem, quæ tibi tanquam ſervus inutilis, & ſexcentis obæratus nominibus debeo: cúm-

cúmque tu ſupremi judicii tempore (prout à bonitate tua ſpero) meis hiſce tam exigui pretii operibus promiſſam cæleſtis gloriæ hæreditatem, quaſi *coronam juſtitiæ*, rependes; non alio illam nomine ego recipiam, quàm ceu gratuitum, & triplicis ſanè generis donum: donum primò: quia theſaurum adeò inæſtimabilem tam exiguo licitari, quid aliud, quàm donare eſt? Donum ſecundò: quia illa ipſa opera, & merita, quæ pro illa tibi obtuli, pretium ſunt à te mihi antea donatum, quibus idcirco *cum vita æterna redditur; quid, nisi gratia pro gratia redditur?* (*Aug. Enchyr. c.* 107.) Donum poſtremò, quia donationem ſic transformare in ſolutionis debitæ ſpeciem benignitatis ars eſt, quæ, unà cum beneficii pretio, obligationis onus accipienti congeminat.

6. Nequit igitur divina erga nos bonitas altiùs conſcendere: quemadmodum nil largiri nobis poteſt ſublimius infinito illo bono, quod in gratia ſanctificante, & cæleſti gloria largitur: ac proinde pluſquam, *ſecundùm altitudinem cæli à terra corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe.* (*Pſ.* 102.) Attende jam porrò, quàm mirum præterea ſui ſpecimen dederit, in nobis omni cura, atque ſtudio in muneris tam excelſi conſecutionem juvandis.

In quibus ejus curis ac ſtudiis, ratione tum intimi amoris, unde prodierunt; tum inauditæ humilitatis, ad quam ſe ibi ſummus Rex gloriæ demiſit, immenſam charitatis, beneficentiæque illius profunditatem licet agnoſcere.

7. Amor, quantumcunque eximius, ubi contemptum, atque injurias pro beneficiis recipit, non refrigeſcere modò ſolet, ſed in iram quoque, ac furorem converti. Imò ipſamet illius magnitudo, ceu graviorem reddit malè reſpondentium culpam; ſic validiores indignationis, & vindictæ ſuggerit cauſas. Quinam amor vehementior unquam eo fuit, quo DEUS hominem dignatus eſt, cooptando illum ultro in amicum, & filium, legitimúmque indè ipſi jus ad cæleſtem ſuam gloriam dando? At quiſnam itèm alius amor iniquiori vice eſt repenſus? Cùm homo poſt tam ſingularia benevolentiæ ſpecimina, à cæleſti Domino ſibi exhibita, ſinè ullo vel infinitæ illius majeſtatis reſpectu, vel benignitatis prodigioſiſſimæ ſenſu, prava excæcatus libidine, ab eo totum ſe averterit, illius amicitiæ, paternæque adoptioni nuntium remiſerit, viliſſimis quibuſque bonis poſteriorem eum duxerit, támque demum contemptim, & injuriosè habuerit, quàm habere eſſet veritus nedum prin-

principem quempiam terrenũ, sed vel quemcunque alium ex cognatis, & amicis mortalibus. Quidnam ergo expectandum hinc erat, nisi, ut summus cæli Regnator animadverso, perperam adeò ab hominibus incomparabili beneficentiæ suæ responderi, omnem prorsus amorem erga genus tam ingratum, tam rebelle, tam perfidum ex animo abjiceret, dicens secum, justissima indignatione commotus: Et quorsum ultra curæ habeam ignobiles hos terræ vermiculos, qui me ità aspernantur, & nihili faciunt? Nullis commendatos prærogativis ac meritis, ex æterno nihili chao in lucem eduxi, omnem hanc rerum spectabilium universitatem eorum gratiâ condidi, nobilissimis cæli spiritibus eorum tutelam mandavi, ipsemet eos præsens fovere, & adjuvare nunquam destiti: neque his contentus, amicos mihi, atque filios elegi, præparans eis in suprema cælestis mundi regione statum felicitatis, qualem *oculus non vidit, nec auris audivit*: ubi, suprà etiam, quàm concipere animo queant, glorioси, & beati mecum perpetuò regnarent: imò me ipsum, infinitam bonorum summam, pro sua possessione, pro suo patrimonio, pro suo regno haberent. Et quando unquam viles adeò nihili, & terræ filii ausi

essent tantum benignitatis sperare? Quidve ergo præstare amplius poteram, non ipsis dico, sed excellentissimæ omnium, quas seu creaverim, seu creare possim, naturæ? *Quid est, quod debui ultra facere, & non feci?* (*Isaiæ 5.*) Ipsi autem post tot beneficia, quorum vel centesima pars debuisset sufficere, ut mihi se totos in perpetuum consecrarent; amorem meum fastidiunt, majestatem flocci faciunt, méque infiniti pretii bonum, vanissimis quibusvis bonis, seu veriùs boni simulacris posthabent. *Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me.* (*Is. c.* 1.) Ah perduelles, ah divini, humanique juris immemores, ah quovis bono indigni! Quid? putántne cum aliquo sui ordinis, atque loci rem sibi esse? aut fortè imaginantur, me, quòd eos in tantum amaverim, eorum amicitiâ indigere? Faxo sanè intelligant, quinam sim, & num absque iis queam vivere. Agedum: amici esse mihi abnuunt? nè sint. Hæreditatem meam pro nihilo habent? in perpetuum ea careant. Malunt dæmoni, capitalissimo hosti, & tyranno sævissimo obtemperare, quàm mihi, suo & naturâ Domino, & per gratuitam adoptionem parenti? Eja, quando ità libet, unà cum eo execrati, damnatique abeant *in ignem æternum.*

Ità

Ità sanè videbantur omnia æquitatis jura exigere, ut DEUS sentiret, agerétque: & ità prorsus jam egerat cum innumeris Angelorũ millibus, quos, licèt naturæ præstantiâ tantò superiores nobis, vix primùm contumaces suis imperiis expertus, è suorum amicorum albo delevit, à cælestis sui regni hæreditate in perpetuum excluſit, & irrevocabili damnatione sempiternis in orco suppliciis addixit: *Angelis peccantibus non pepercit: sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos.* (2. Pet. c. 2.)

8. At numquid ità in nos etiam consuluit, postquam simili contumaciâ ab ipso defecimus? Destitítne ideo bene de nobis mereri? Hostilémne adversùs nos animum sumpsit? In odii, & ultionis affectus pristinum suum amorem mutavit? Nequaquam profectò, nequaquam. Flagrantior multò illius erga nos charitas erat, quàm ut ullis posset offensarum diluviis extingui. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* (Cant. 8.) Si causa, & incitamentum nos amandi nostra illi fuissent merita; næ his in malefacta abeuntibus, amor quoque in odium fuisset conversus. At, quoniam à sola naturali sua bonitate impulsus ad amandum fuerat;

cùm

cùm hæc noſtrorum criminum causâ non potuiſſet ulla ex parte diminui, neque diminutus eſt illius amor. Viſúſque eſt ingratis, & malè de ſe meritis dicere, quod D. Bernardus inanis gloriæ ſtimulis, à quibus inter rectè operandum titillabatur, *Nec propter vos cœpi, nec propter vos deſinam.* (*Ribad. in vita.*) Neque veſtra me impulit bonitas, ut vobis benefacere inciperem; neque etiam veſtra improbitas à continuanda erga vos beneficentia inhibebit. Atque hinc manſuetudo illa provenit, qua effrœnatam peccantium protervitatem diutiſſimè tolerat, nullas ferè de iis ſumens, quamdiu in terris vivunt, externas, & ſenſibiles pœnas, quamvìs illi tantò liberiùs novis aſſiduè illum pergant, & graviſſimis contumeliis laceſſere: Manſuetudo, ſupra omnem ſanè modum, & morem eximia, quæque admirabilis videri poſſet etiam in homine erga quemcunque alium hominem naturâ ſibi parem, nec aut dominationi ſuæ ſubditum, aut ſuis beneficiis obſtrictum. *Quis enim, cùm invenerit inimicum ſuum, dimittet eum in via bona?* (*L. 1. Reg. c. 24.*) prout novitate rei attonitus exclamavit olim Saul, cùm eum David, quamvìs ultionem de illo ſumere potuiſſet, ſalvum, intactúmque ex ſpelunca Engaddi abi-

re

re est passus. Neque solùm inultas tamdiu sinit esse injurias, quas à vilissimis mancipiis quotidianas, & fœdissimas accipit: verùm toto mortalis vitæ tempore non eis minùs, quàm piis, & insontibus, lucem, spiritum, vires, ac reliquos omnes naturalis providentiæ suæ effectus impertit: *Solem suum oriri faciens super bonos, & malos, & pluens super justos, & injustos.* (*Matt.* 5.) Et non desunt quidem ex fidelioribus illius famulis, qui, nimiam esse ejusmodi benignitatem rati, ex illo clementiæ quasi somno ad justam perduellium ultionem, & divini honoris sui curam excitare illum studeant, occinentes ei, seu cum Psalmista, (*Ps.* 93.) *Usquequo peccatores, Domine, usquequo peccatores gloriabuntur?* sive cum alio Vate, (*Habac. c.* 1.) *Quare respicis super iniqua agentes, & taces?* Imò etiam quidquid rerum vitâ carentium in mundo est, fremere quodammodo ante illum videtur, suúmque ei ministerium certatim offerre, ad temerarios supremæ majestatis suæ contemptores funditus è rerum natura exscindendos: non secùs, ac fortissimus ille Davidis miles, cùm audiret suum Regem à Semei maledictis proscindi, temperare sibi non potuit, quin vindictam anhelans clamaret, (*L. 2. Reg. c.* 15.) *Quare maledicit canis hic*

hic mortuus Domino meo Regi? vadam, & amputabo caput ejus. Ità, *vadam*, vociferari videtur cælum, & abiens in fulmina, delebo iis genus tam impium. *Vadam*, videtur tellus excipere, &, ſub pedibus eorum dehiſcens, viva adhuc, & ſpirantia ſepeliam perditiſſima capita. *Vadam*, ſucclamare ſimiliter quodvis aliud elementum videtur, &, quidquid mihi eſt virium, in vindictam tui honoris expromens, purgabo orbem terrarum his monſtris, quæ illum aſpectu ſuo polluunt. *Creatori enim factura deſerviens, exardeſcit in tormentum adversùs injuſtos.* (*Sap. 16.*) Et talia profectò ultionis exempla ederent ſaltèm Angeli, lectiſſima, & prætoriana, ut ſic loquar, ſupremi Imperatoris cohors: nisì ille pietati ſuæ morem gerens, juſtos licèt eorum impetus frœnaret, *cúmque habeat in poteſtate vindictam, mavult*, (ceu D. Cyprianus ſcribit) *diu tenere patientiam.* (*De Bono Pat.*) Si ergo in recenſendis veræ charitatis proprietatibus, principem Apoſtolus patientiam nominat, dicens (*Ad Cor. 1. c. 13.*) *Charitas patiens eſt*; arguat hinc quilibet, quanta in DEI animo dicenda ſit fervere erga homines charitas, quando hujus inſtinctu tot, támque enormia eorum delicta incredibili diſſimulatione, ac lenitate fert, pe-

nè

nè quasi non videns. Ah immensus plùs nimiò existimari debet ille ardor, qui nulla seu ventorum ex adverso flantium, seu pluviarum assiduè ingruentiũ vi potuit, non dicam prorsus extingui, sed nec tantillùm tepefieri, ac diminui.

9. Parùm tamen fuit divinæ erga nos benevolentiæ, tot inter nostra maleficia integram, vigentémque durare. Mira insuper quadam, séque digna antiperistasi, plus adhuc virium ex his contrariis sumpsit, suósque geminavit ardores, ubi nimium erat, quòd ii non omnino deficerent. Siquidem, teste Apostolo, (*Ad Rom. 5.*) *Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Quæque vindictam à DEO & supplicia provocabat improbitas; oppositam prorsus majorem beneficiorum vicem recepit. Quemadmodum sol iste visibilis neutiquam desinit suis terram radiis fovere, quia hæc pro calore, quem ab eo accipit, caliginosis vaporibus offuscare illius jubar contendit: sed potiùs illos ipsos ab ingrata exhalatos vapores in salubrem pluviam convertit, & deorsum ad eandem fœcundandam remittit; sic æternus, meliórque sol, DEUS pro eo, ut humano generi cælestis gratiæ suæ munera subtraheret, pro quibus non aliud ab

eo

eo, nisi injuriarum pretium retulerat, ex iisdem illis injuriis occasionem desumpsit, nova ipsi, & majora beneficia præstandi, neque contentus, offensores suos, tametsi in prava voluntate obfirmatos, & nullum facientes se offendendi finem, quoad vivunt, inultos dimittere, modum excogitavit, quo possent ipsam quoque, ab interitu subeundam, sempiternæ mortis pœnam omnino evitare. At qualem modum? quàm inauditum, quàm nulli inopinabilem, quàm non admirandum duntaxat, sed & omni admiratione majorem? Audi illum, quæso, ut deinde mihi respondeas, possitne ulteriùs progredi amor: & num exaggeratiùs, quàm veriùs pronuntiatum sit à Chrysostomo, scribente: (*Hom. 26. in Joa.*) *Neminem unquam pro filio tantam præ se tulisse charitatem, quantam pro servis, & servis ingratis* DEUS. Cùm videret, quamcunque suam offensam ejusmodi esse, ut infinitæ pravitatis suæ causâ infiniti valoris satisfactionem exigeret, neque idcirco seu ab homine reo, seu à quavis alia finitæ dignitatis persona posse ad plenum pro ea satisfieri; ipsemet, qui erat offensus, eam ultro luendam suscepit: voluitque ex cælesti suo solio in terras delabi, nostram humanitatem induere, suorum offen-

so-

sorum reatum insons subire, & infami affixus patibulo suis cruciatibus, suo sanguine, suáque morte, quod ab illis debebatur, persolvere.

10. O prodigia, omnem modum transgressa! quæque nec excogitari, nisì ab infinita sapientia, nec nisì ab infinita bonitate decerni, nec patrari, nisì ab infinita quivissent potentia. O amoris effectus, adeò humano quovis captu superiores, ut citra divinæ fidei lumen viderentur fabulæ, & somnia. *Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia.* (1. *ad Cor.* 1.) Ubinam es David, cui nimia bonitas visa est, quòd DEUS vel cogitaret de homine? *Quid est homo, quòd memor es ejus?* (*Ps.* 8.) Ubinam etiam tu Jobe, qui mirari satìs non poteras, quòd eum vel obtutu suo dignaretur? *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos?* (*c.* 14.) Quisnam hic, rogo, sensus est, cùm videatis, tantum illum Dominum non modò recordari hominis, sed se ipsum pene, infinitámque suam majestatem hominis gratiâ oblivisci: neque solùm aperire super eum oculos, sed omnes præterea corporis à se assumpti venas, ad eum suo sanguine expiandum recludere? *Quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat servus, exsolvit Dominus:*

quod committit homo, ſuſtinet DEUS. (*Anſ. in medit.*) Singulare prodigium id foret, ſi ex amore hominis fieret, uullo adhuc ſcelere obſtricti: & non ultra omne prodigium erit, cùm gratiâ hominis fiat nefarii, DEO injurioſi, & rebellis? Quiſquámne ex nobis auſus eſſet, has DEO preces offerre: Domine, tua me inſectatur juſtitia, eò quòd capitali noxâ te offenderim, nec in promptu mihi idonea ſatisfactio eſt, qua eam poſſim placare. Obſecro te igitur, ut meas ipſe partes ſuſcipias, éque gloriæ tuæ ſolio deſcendens, ac mortali corpore indutus, quas ego pœnas debeo, tu illi perſolvas? Næ impudens, temerarius, & communis ſensûs expers ab omnibus diceretur, qui tali oratione compellaret, non dicam, DEUM infinitæ magnitudinis Dominum, indignè adeò à ſe offenſum; ſed vel terrenum Principem, cui integerrima ſemper fide famulatus eſſet, ſed vel amicum, aut fratrem, cui nullam unquam vel leviſſimæ indignationis occaſionem dediſſet. Et tamen tanti hoc amoris ſpecimen, quod nemini in mentem veniſſet ab eo poſtulare; ſuâ ipſe ſponte exhibuit abjectiſſimo, & perduelli mancipio. Morti ſe offerre pro amico, pari, vel ſuperiore, ultima cenſetur charitatis, benevolentiæque

ſi-

significatio : *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. (Joann. c. 15.)* Unde & nos, licèt nihil non obsequii debeamus cælesti Domino ; supremos tamen in eo amando attigisse nobis fines videmur, si non dubitemus pro ejus gloria mortem oppetere. Quàm igitur ultra omnes fines, ac terminos dicendus est processisse DEI amor, dum pro servis, atque inimicis, quales nos eramus, id fecit, quo nihil fieri potest majus neque pro amico, neque pro patre, neque pro DEO ? Singulare & eximium procul dubio fuit charitatis specimen à D. Paulino editum, cùm, vindicaturus è captivitate inopis viduæ filium, non dubitavit, se illi succedaneum offerre, suæque servitutis pretio illius libertatem redimere. Sed quantula hæc videri charitas potest, si cum ea comparetur, quæ à DEO nobis exhibita est, dum redempturus à peccati, & dæmonis servitute tam imparia sibi capita, & malè adeò de se merita semet ipsum ad subeundam mortem ipsis debitam obtulit ? *Quid misericordius* (admirans hìc exclamat D. Anselmus) *quid misericordius intelligi potest, quàm quòd peccatori, tormentis æternis deputato, & , unde se redimat, non habenti, DEUS Pater dicit : accipe Unigenitum meum, & da pro te :*

te; ipse Filius: tolle me, & redime te? (*L. 2 cur DEUS homo c. 20.*) Circumfertur inter præcipua, & rariſſima benevolentiæ exempla vetus ille Urbinii Panoplionis ſervus, qui, ut herum proſcriptum, & ad necem conquiſitum ſervaret, veſtem cum eo clam dimiſſo commutavit, illiúſque ſpeciem, quantum poterat, ſimulans, ab hoſtium ſatellitibus ea ſimulatione deceptis, tanquam ſi Urbinius ipſe eſſet, ſe obtruncari permiſit. (*Val. Max. L. 6. c. 8.*) At quantò rariùs, imò quàm ultra omnem raritatem eſt, quòd cæli, terræque Dominus *formam ſervi acceperit, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ùt homo* (*Ad Philip. 2.*) moriendi causâ pro homine, contemptiſſimo, ingratiſſimóque illius ſervo? Nulla occurrunt exempla, nullæ imagines ſuppetunt, quæ tam eximii amoris novitatem, non dicam pro merito exprimere, ſed vel quomodolibet adumbrare valeant. Ad aliquam ejus ſpeciem in mente formandam opus eſt fingere eventus inauditos, eventus incredibiles, eventus, quos nulla unquam ſeu viderit, ſeu viſura ſit dies. Finge igitur, vermiculum humi repentem impoſito fors pede à te proteri, tibíque mox illum ità exanimem intuenti ab aliquo dici, libétne pharmacum noſſe, quàm miræ, tam in-

du-

dubiæ virtutis ad vitam huic vermiculo reddendam? En illud, si adacto in pectus mucrone cor tibi trajicias, vividóque, & calenti sanguine animal mortuum conspergas, redivivum illico aspicias. Finge, inquam, id pharmaci genus te audire, nec fabulosum putare. Erítne, quæso, ut animum unquam inducas, resuscitandi vermis causâ illo uti? Erit, respondentem mihi videor audire, si fortè non minùs ego mentem, ac vermis vitam, perdiderim. Et quid tandem mea interest, vivátne, an mortuum jaceat tam ignobile insectum, ut redditurus ei vitam, lethale mihi vulnus velim infligere? Ità procul dubio responderes: non quia animalculum, de quo agitur, quidquam tibi molestiæ, aut noxæ attulisset, sed quia nativæ vilitatis suæ causâ nimiùm quàm indignum tanto tuo amore censeres. Multóque magìs ità sentires, & loquereris, quando ageretur non de verme, cui nullas succensendi haberes causas; sed de aspide, quæ infesto te morsu appetiisset. Huic enim tantùm abest, ut restitutam tanto tuo impendio vitam velles, ut mortem potiùs, nisi illata pridem esset, conareris inferre. Quòd si nescio quo pacto tantùm erga illas animantes benevolentiæ ardorem, tantúmque eas è morte ex-

citandi ſtudium conciperes, ut hac de cauſa nil dubitares ſanguinem ultro, & vitam profundere, nemo ſanè id famâ acciperet, quin totus obſtupeſceret, quin fabuloſa portenta ſibi videretur audire, quin te ibi de tota mentis poteſtate dejectum, & tuum illud facinus inter extremas amoris inſanias coñumerandum putaret. At nónne id DEUS in redemptione hominis fecit? Erat hic præ infinita Conditoris ſui dignitate incomparabiliter vilior, quàm præ tua rationali eſſentiâ ſit abjectiſſimus quivis vermiculus: ultráque hanc ignobilitatem naturæ nil veritus fuerat, venenatæ aſpidis ritu DEUM ipſum laceſſere. Et tamen ſupremus ille Dominus tanto amore proſequi hoc tam ignobile, & maleficum animal potuit, ut videns ſuâ culpâ extinctum jacere, nec poſſe, quo convenientius erat modo, citra ſuos cruciatus, ſuámque necem reſurgere, quò vitam ei redonaret, ad quidvis duri, extremíque pro eo perferendum volens, libens deſcenderit. Neque in hiſce prodigiis audiendis præ tantæ novitatis admiratione extra nos rapimur, & ſinè vocis, ſenſuúmque uſu attoniti hæremus? *Ecce, quomodo amabat eum*, (*Joa.* II.) dixêre olim, qui aderant, cùm DEI filius lachrymaretur apud Lazari tumulum.

lum. Cernat unuſquiſque eundem DEI filium in crucis patibulo non paucas ex oculis lachrymas, ſed largos ex ſciſſis immaniter venis profundentem ſanguinis rivos; & ſecum mox dicat: *Ecce, quomodo amavit me?* vilem terræ filium, ſuum infimæ notæ, extremæque improbitatis mancipium. O *quomodo!* adverbium infinitæ emphaſis, & cui rite explicando nulli pares queant eſſe eloquentiæ, atque ingenii conatus. Et quid poſſum hìc addere in tantæ bonitatis præconium? Parùm eſt nimiam, parùm incomparabilem, parùm prodigioſam, parùm omnibus majorem prodigiis vocare. Deſunt voces, deſunt figuræ, deſunt ſententiæ, quæ illius dignitati reſpondeant. Nisì ſciremus cum pari eſſe ſapientia conjunctam; cogeremur exiſtimare phreneſim, ac delirium amoris. Nihil aliud hìc ſupereſt, nisì ſenſus omnes præ ſtupore amittere, nisì toto animo in mutui amoris affectus conſumi, & poſt hæc demum fateri, quantoſcunque ſtuporis exceſſus, quantaſcunque amoris reſponſiones inſtar nihili eſſe ad imẽnſam illius magnitudinem.

11. Et tamen neque hìc ſubſtitit inexpleta DEI charitas: ſed inæſtimabili huic beneficio mortis à ſe obitæ, quò ſupernaturalem nobis

vitam reſtitueret, tria ſuperaddidit corollaria perquam magni ad augendum illius fructum, & pretium momenti. Primum eſt, quòd ſuum ſanguinem noluerit valere ad obtinendam nobis hæreditarii duntaxat criminis veniam, aut primi etiam ſolummodo, quod nos deinde adulti perſonaliter commiſiſſemus: imò neque certum horum numerum, putà denum, centenum, aut millenum definierit, quem prætergreſſis nullus ultra ſperandæ pietatis, veniæque eſſet locus. Sed clementiæ tribunal erexerit, in quo pleniſſimam aſſequi condonationem poſſemus omnium, quotquot patratæ à nobis eſſent, culparum: certiſſima promiſſione addita, nemini ſe negaturum improbitatis ſuæ veniam, qui reſipiſcens hanc abeo petat: quamvis cæteroqui toto vitæ ſuæ tempore extrema quævis facinora continenter patrare perrexiſſet. Quæ clementia, quemadmodum admiratione Cælites, ſic rabie, invidiáque tartareos ſpiritus replet indociles tolerandi, quòd communis Dominus nè unam quidem noxam ſibi condonârit, ſed vix mente conceptam æterna ultione punierit: hominum verò, licèt tantò inferiorum naturâ, peculiarem adeò rationem habeat: nunquam deſinens quibuslibet eorum malefactis ignoſce-

re,

re, & poſt pluries centenas, millenáſque offenſas eos in gratiâ recipere: adeò ut in juſtificatione multò videatur magìs humanam naturam Angelicæ prætuliſſe; quàm in creatione eidem poſthabuerit: cùm in hac quidem hominem *minuerit paulò minùs ab Angelis*; in ea verò tantò plùs amaverit, quantò pluries veniâ, & vitâ illum donat. At, ſi perduelles ii ſpiritus diſrumpuntur invidiâ, ob tantam hanc in noſtris dimittendis criminibus DEI lenitatem; quanti eandem à nobis æſtimari, quantáſque pro ea illi gratias haberi par eſt? Certè hæc lenitas ſingularis prorſus, & ſinè exemplo eſt, utpote nunquam viſa, nedum in ullo Principe erga ſibi ſubjectos, ſed, neque in ullo parente erga filios. Cùm his ipſis quinas, aut denas graves offenſas condonare ſummæ manſuetudinis ſpecimen videatur: síque undecimam ii adjiciant, ulteriori gratia indigni habeantur, nec nisi de juſta in eos animadverſione cogitetur. Imò tam perſpicua hujus rei veritas eſt, ut, ſi poſt primi parentis reatum, omnes illius poſteros in unum DEUS convocâſſet, ac profeſſus ibi eſſet, velle ſe illis remittere tũ primam illam culpam communem, tum aliquem etiam cæterarum numerum, quas ab iis per humanam ſeu fragili-

tatem, seu malitiam patrari contingeret, & numerum sanè, quem ipsimet definirent, neminem ex omnibus credibile sit, futurum fuisse, qui omnes, quotquot vel à se, vel ab aliis patrarentur, sinè ulla determinatione condonandas censeret: sed unumquemque potiùs exiguam aliquam, hunc decem, alium viginti, &, qui audaciſſimus esset, centum criminum summam pro veniæ materia finiturum fuisse, tanquam munus, quo peti, aut sperari majus nequiret. Quid plura? talis, adeóque summa illius mansuetudo est, ut, si solis perpendatur humanæ prudentiæ momentis, inconsulta, justóque major, & à providi regiminis rationibus aliena possit videri: utpote ex qua occasionem plurimi capiunt, tantò liberiùs atrociſſima quæque committendi facinora, quantò certiùs sciunt, eorum omnium impetraturos se veniam. Quapropter necesse est, ut hìc quoque, ceu in pluribus aliis nostram ratiocinationem effugientibus divinæ providentiæ consiliis cum Gentium Doctore exclamemus: (*Ad Rom.* 11.) *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ* DEI! *quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* adorantes pro rectiſſimo hoc illius tam misericors regimen, quamvìs imbecilla nostræ mentis

tis

tis acies ejusdem cum perfecta æquitate convenientiam non satis perspiciat.

12. Secundùm corollarium est, quòd, cùm posset suo quidem sanguine pro nostris criminibus sasisfacere, sed simul exigere, ut nos quoque hujus suæ satisfactionis consortes essemus; ità ut unusquisque pro consequenda suorum scelerum venia tantum cruciatum subiret, quantum ipse ad eam omnibus promerendam subiit; neque hoc qualicunq; rigore benignitatem suam temperare voluit: sed ipse solus, qui Creditor, offensúsque erat, totam debitæ satisfactionis asperitatem perferre: nihil porrò ab hominibus, qui debitores & rei sunt, pro virili eorum parte exigens, nisi ut de admissis criminibus suo coram administro dolenter se accusent, quódque ille decreverit, moderatæ, ac salutaris pœnæ suscipiant: & quandocunque id tam exiguum præstiterint, ea illis omnia, quantumcunque multa sint, atque immania extemplo remittit, vitam ità, & salutem nihili, ut sic loquar, pretio à benignitate illius consequentibus, juxta illud Davidis hemistichium, *Pro nihilo salvos facies illos.* (*Ps. 55.*) O nos fortunatos, quorum culpæ ea ipsa de causa facilius veniam nanciscuntur, ex qua atrocius merentur supplicium, quia

quia nimirum non hominem offendunt, sed DEUM: cùm infinita excelsissimi illius Principis dignitas, quantò graviorem facit nostram in eo offendendo malitiam, tantò eum placabiliorem suis offensoribus reddat: ceu ipsemet palàm professus est iis Oseæ verbis, (*c.* 11.) *Non faciam furorem iræ meæ, quoniam* DEUS *ego, & non homo.* Si vel unico gravi scelere læsa à nobis fuisset terreni alicujus Regis majestas; quot pœnitentiæ significationibus, quibúsque potentium patronorum officiis, ac precibus opus foret, ut illius tandem gratia reis fieret? At verò, quantumcunque sint gravia, quantumcunque multa, & propè innumera, quibus summum cæli Regem irritavimus, crimina; si unico tamen, & quidem brevissimo perfecti doloris actu ea detestemur, tantillum hoc satis est, ut eadem ille statim remittat: nec unquam contingit, reum hominem cum intimo pœnitentiæ sensu edere hanc vocem, *Peccavi*, quìn illico audiat, (*Vide* L. 1. *Reg. c.* 12.) *Dominus quoque transtulit peccatum tuum à te. Non morieris.* O placabilitatem, & clementiam! cui par nusquam alibi extitit, aut potest existere.

13. Subit postremò, quasi tertium corollarium, omnimoda pœnitentis animæ in priorem

orem gratiæ locum reſtitutio: ſingulare ipſa quoque benignitatis ſpecimen, ínque Regum terrenorum aulis ignotum. Hi ſiquidem, ubi perduellium, ac proditorum alicui debitas facinori ſuo pœnas condonant; hoc uno ſupremas clementiæ attigiſſe ſibi metas videntur: neque reum ideo in omnes etiam, quos priùs obtinuerat, dignitatis gradus reponunt: præſertim ſi antea intimus familiaris, primarius regni adminiſter, aut filius adoptivus fuiſſet. Unde & David, quamviis indulgentiſſimo cæteroqui in Abſolonem filium animo eſſet, eíque Amnonis fratris cædem ignoviſſet; non tamen reum tanti facinoris paſſus eſt ſibi adeſſe: permittens quidem ab exilio reverti, ſed venire in conſpectum ſuum vetans. (L. 2. *Reg.* c. 14.) *Revertatur in domum ſuam, & faciem meam non videat*: nec nisì poſt biennium, validiſſimáſque adhibitas obſecrationum machinas victus eſt; ut hanc beneficii, & redintegratæ penitùs gratiæ exceptionem de medio tolleret. At DEUS, quandocunque impius reſipiſcit, non modò eum ſempiternæ mortis reatu abſolvit; ſed juxta ſacrarum Literarum teſtificationem, (*Vide Iſai.* 44. *Mich.* 7.) *Delet ùt nubem iniquitates ejus: & projicit in profundum maris omnia peccata ejus*: nullum ſcilicet

cet furoris, odiíque vestigium supereſſe in ſuo animo patitur: eodem illum, quo priùs amico vultu intuetur; imò impenſiùs etiam, quàm antea, amare ibi denuo incipit: reponens confeſtim cum incremento amplioris gratiæ in priſtina amici, filii, & hæredis jura: támque amanter exinde cum eo agens, quàm ſi vel nunquam offenſus ab eo eſſet, vel omnem illius injuriarum memoriam ſempiterna oblivione aboleviſſet. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor.* (*Ezech.* 18.)

14. Quid porrò dicemus de ſolicitis adeò, & amantibus curis, quas præfert, nè nos reſpuamus hæc tanti pretii munera, quæ per infinitam ſuam bonitatem nobis paravit? Poterat ille quidem cuivis reorum hominum præteritæ improbitatis veniam, reditum in ſuam gratiam, priſtinúmque cæleſtis ſuæ hæreditatis conſequendæ jus offerre, palàm edicens, beneficia hujuſmodi certiſſima fide ſe omnibus largiturum, qui ea velint accipere: unáque hac promiſſione incomparabilis munificentiæ ſpecimen præbuiſſet. Sed non his finibus contineri ſe paſſa eſt inexplebilis illius charitas: neque poſt oblatam, promiſsámque nobis tam inæſtimabilium poſſeſſionem omnem

mnem bonorum curam, & cogitationem deponit, admissuríne nos, an repudiaturi illa essemus? imò, quò iis potiri velimus, tot artes depromit, studioséque laborat, ut, qui nesciret, quàm nihil à creatis quibusvis rebus perfectissima, & ad omnimodam beatitudinem sibi una sufficiens natura illius pendeat, cogitare posset, magni aliquid eam lucri in donanda suis servis perduellibus venìa, ínque iis sibi reconciliandis acquirere. Certè equidem, si eorum amicitiâ maximopere egeret, quidnam, cedo, posset amplius ad obtinendam eam facere, quàm fecerit, assiduéque faciat? Quot veluti epistolas amantissimis exhortationibus, querelis, precibus, minis refertas, per Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, aliósque sacros Vates, peccantibus scripsit, ut eos à vecordi suæ clementiæ neglectu ad saniorem illâ utendi voluntatem traduceret? *Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis. Et quare moriemini, domus Israël? Revertimini, & vivite.* (*Ezech. 18. & 33.*) Quot divini Verbi præcones, suos quasi Legatos, continenter summittit, ut de amicitia invicem redintegranda cum iis agant, perinde quasi prior ipse hanc dissolvisset? *Pro Christo legatione fungimur, tanquam DEO exhortante per nos. Obsecramus vos*

pro

pro Christo: Reconciliamini DEO. (2. *ad Cor. c.* 5.) Quàm assiduè obdurata, & præclusa eorum pectora suis pulsare arcanis vocibus pergit, nullum non adhibens rationum, illecebrarum, terrorum, similiúmque machinarum genus, ut sibi aliquando cordis fores aperiant, quámque secum affert, vitam, & salutem recipiant? O *quàm bonus, & suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus? Ideóque eos, qui exerrant, admones, & alloqueris, ut relictâ malitiâ credant in te, Domine.* (*Sap.* 12.) Imò, quamvìs ii aversa, & pervicaci voluntate salutaria inculcantem fastidiant, aspernentur, procùl à se abigant, & res suas sibi habere jubeant; non propterea illorum curam omittit: neque, seu tot repulsis abalienatus, seu tædio irriti laboris victus, ab instando, monendóque desistit: sed tanquam majestatis suæ immemor, surdos, refractarios, séque fugitantes infatigabili sedulitate, & patientia persequitur. *Quid? quòd* (verba sunt Dionysii Areopagitæ) *à se deficientes amore prosequitur, ac rogat, nè dedignentur amores. Quin & delicioſos, & frustrà provocatos sustinet, atque ipsemet excusat, eóque magìs se recipit illos curaturum.* (*Epist.* 1.) Proh DEUM immortalem! quodnam hoc spectaculi est prorsus novi, & penè incredibilis genus?

nus? Ille est Dominus, nos servi: ille offensus, nos, qui offendimus: ille Judex, nos rei: ille nullatenus nostri indigus, nos ad omnia illius egentissimi. Quisnam ergo, altercantes invicem spectans, Dominum, & servum, qui offensus est, quique offendit, Judicem, & reum, opulentum, atque inopem; aliam suspicaretur esse illorum altercationis materiam, nisi, quòd posteriores aliquid à prioribus beneficii flagitent; illi verò id concedere abnuant? & tamen contrarium omnino hic contingit: neque alia DEO, & hominibus inter se contendendi causa est, nisi, quòd ille pro servis amicos, filiósque habere nos vellet; nos huic tam benignæ illius voluntati repugnamus: quòd ille veniam, absolutionémq; nobis offerat, nos oblatam ingrati respuimus: quòd ille ad cælestis sui regni hæreditatem nos invitet, nos illius invitationem aspernemur: in summa, quòd paternus illius amor nostram pervicaciam expugnare nititur, *instans opportunè, importunè arguens, obsecrans, increpans*, nullisque non argumentis nos urgens, ut criminum nostrorum condonationem admittere, ut vindicem illius justitiam placare; ut demum à perpetuæ mortis reatu vindicari, æternúmque esse incolumes, ac beati velimus.

Cujus benigniſſimi ſui propoſiti ſi compos demum fiat, & impiorum aliquis, diu fruſtrà oppugnatus aliquando det manus, ádque recipienda illius munera patiatur ſe induci; quis referat, quantùm de hujuſmodi victoria geſtiat, ſibi plaudat, triumphet? Licèt id aliquatenus cernere in imagine ab eo ipſo exhibita amantis, providíque paſtoris: qui, ubi aliquam dilectarum ovium, à reliquo procul grege evagantem, miſeréque in deſertis locis perituram invenerit, tanquam ſi major ſuâ ibi, quàm illius utilitas foret, *convocat amicos, & vicinos, dicens illis, congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* (*Luc.* 15.) Ejuſmodi nimirum ipſe etiam, quin multò adhuc vividiore amoris ſenſu, ſi quando ei ſucceſſerit, perditorum hominum quempiam ex deviis errorum anfractibus ad tuta ovilis ſui præſepia reducere: *Omnes Angelos convocat ad congratulandum non homini, ſed ſibi: quaſi homo* (ità D. Thomas) DEI DEUS *eſſet, & tota ſalus divina in ipſius inventione dependeret: & quaſi ſinè ipſo beatus eſſe non poſſet.* (*Opuſc.* 63. *c.* 7.) Quidquámne huic bonitati, & miſericordiæ cogitari par poteſt? Nihil profectò: ubique omnem aliam excedit, ſive longitudo, ſive latitudo, ſive altitudo, ſive profunditas attendatur, omni ex parte in infinitum porrigitur.

15. Re-

15. Reliquum tantummodo est, ut, quando secundùm prædictas quatuor dimensiones admirati, quoad licuit, eam sumus, ad pleniorem ipsius æstimationem animo concipiendam, perpendamus tantisper, à quo, & quibus fuerit exhibita. Animadvertendum itaque primò est, commemorata hactenus dona, quæ secundùm propriam, intimámque suam vim omne pretium exuperant, nequaquam profecta in nos esse ab homine ejusdem, cujus ipsi sumus, naturæ: sed à DEO, infinitæ dignitatis, potentiæ, & magnitudinis principe, æterno, incomprehensibili, immenso, perfectissimo, beatissimo, nullius indigo, causa omnium causarum, Rege omnium Regum, omnium Dominorum Domino, in summa tantæ excellentiæ, ut omnis tam creatarum, quàm creabilium rerum universitas coram eo instar atomi sit, vixque secernatur à nihilo. Animadvertatur, inquam, hæc eorum appendix, & mox indè argumentum ducatur, an non supra omnem æstimationem, & admirationem sit, quòd tantus Dominus eò usque in nobis amandis processerit. *Ecce Domini* DEI *tui* (attonitus in simili consideratione ajebat Israëlitis Moyses) *Ecce Domini* DEI *tui cælum est, & cælum cæli, & terra, & omnia quæ in ea*

sunt; & tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amavit eos. (*Deut. c.* 10.) Significationes amoris tantò semper æstimari ampliùs merentur, quantò est major eas edentis præstantia: tum quia, ùt scribit Ovidius: (*Lib. 4. de Ponto.*) benefacientis dignitas in quæcunque illius beneficia derivatur: *Et majestatem res data dantis habet*; tum quia rari admodum exempli est: virum eminentis fortunæ omni fastu exutum in æquum descendere, hominem præseferre, nec ab inferiorum amicitia, & convictu abhorrere: *Adeò ut, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis videatur.* (*Cic. pro Leg. Manil. de Pomp.*) Quare eadem munera, pro impari authorum conditione, jam pluris, jam minoris fiunt: & illa familiaris benevolentiæ specimina (putà capitis amicam inclinationem, vel amplexum, vel præsentationem manuum) quæ nihili penderemus, quando à vulgari homine nobis exhiberentur; nemo est, quin maximo habeat in pretio, si fortè à potentissimo quopiam Rege dignatus iis fuerit. Usque adeò verum est Plinii dictum: (*L. 6. Ep. 24.*) *Multùm interesse, quid à quóq; fiat. Eadem enim facta charitate, vel obscuritate facientium, aut tolluntur altissimè, aut humillimè deprimuntur.* Si ergo finita, &

ex-

externa potentis alicujus viri ſublimitas tantam vim habet ad geminandum beneficiorum pretium: quantò majorem habere dicenda eſt infinita, & naturalis DEI magnitudo, ex qua derivatur, cujuſque non niſi tenuis quædam umbra eſt terrenorum Regum potentia, & majeſtas? Tantam certè habet, ut, etſi nihil aliud cuipiam ex nobis præſtaret, niſi quòd dignaretur; licèt breviſſimo tempore, de eo cogitare, vel eundem ex altiſſimo ſuo ſolio benignè intueri, unum id ſatis foret ad mundum univerſum ſui admiratione complendũ: quíque tali favore decoratus fuiſſet, deberet ſummi eum beneficii loco ducere, æternam illius memoriam, & gratiam retinere, nec ullum finẽ facere repetendi intrà ſe admirabundus, & geſtiens: Altiſſimus univerſitatis totius Rex ad horæ quadrantem de me cogitavit, amico intuitu dignatus me eſt, mei cauſam ſe gerere oſtendit. Quoſnam ergo eſſe convenit animorum noſtrorum ſenſus, cùm noverimus, tantæ magnitudinis Dominum aſſiduè de nobis cogitare, rerúmque noſtrarum perpetem curam gerere, & feciſſe noſtri gratiâ, quæ neque amicus pro amico, aut pater pro filio unquam feciſſet? ſi charitatis, beneficentiæque ipſius monumenta tanti ſunt ponderis,

ut à proletario, & plebeio homuncione edita satìs æstimari nequirent; quanti, rogo, facienda nunc sunt, quando interiori, propriòque eorum pretio illud etiam accedit, quod ab authore suo trahunt: Authore nimirum infinitæ majestatis, ut quodcunque illius etiam minimum munusculum suâpte naturâ, quia ab illo profectum, summa sit in æstimatione habendum? si magnæ admirationis res esset, quòd mancipium nostrum talia ex nostri amore voluisset facere, & pati; quídni supra omnem admirationem sit, quòd eadem facere, & pati voluerit maximus rerum omnium Creator, & Dominus: coram quo *pavet cælum, tremunt Angeli, creatura non sustinet?* (*Chrysol. serm.* 140.) Tobias junior, recolens animo beneficia ab Archangelo Raphaële, hominis speciem, & Azariæ nomen præferente, in Ragensi suo itinere accepta, usque adeo se propterea obligatum ei credidit, ut professus coram eo sit, (*Tob. c. 9 & 12.*) *Azaria frater, si me ipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ:* cúmque postea tam ipse, quàm pater ejus cognovissent, Azariam illum, qui fidelem adeò rerum suarum curam gesserat, nequaquam esse hominem, sed unum ex septem spiritibus, qui in cælo DEI solium circum-

cumstant; tanto stupore correpti sunt ob navatam sibi à nobilissimo illo spiritu operam, ut *trementes ceciderint super terram in faciem suam, & prostrati per horas tres benedixerint* DEUM. Quidnam igitur sentiendum, & dicendum est nobis, qui beneficia accepimus longissimè iis superiora, pro quibus impar gratiæ redditio videbatur Tobiæ, si eorum Authori in servitutem se traderet: eáque non ab homine quopiam, vel Angelo, sed ab ipso Angelorum, hominúmque Domino accepimus? Metiatur, qui potest, beneficia, bis immensa: immensa primò secundùm magnitudinem boni, quod sunt; & immensa iterum secundùm majestatem Authoris, à quo sunt.

16. Adde huc, quòd infinita DEI magnitudo alio itèm nomine munerum suorum pretium congeminat. Omne siquidem donum tantò majoris pretii est, quantò ex magis gratuito, & liberali affectu proficiscitur; neque hic magis esse liberalis, & gratuitus potest, quàm cùm faciens beneficium, nullius capax recipiendi ex eo lucri est. At quis alius hujusmodi est, præter DEUM? Nimirum cæteri omnes, veluti nihil ullo in genere habent boni, quod finitum non sit, novísque ideo incrementis augeri queat; ità in bene meren-

do de aliis proprium quoque aliquod bonum vel appetunt, vel, si non appetant, per hunc ipsum sui lucri generosum contemptum, qui major, atque intima eorum perfectio est, consequuntur. DEUS verò unus ex omnibus, quemadmodum infinitam cujuslibet boni opulentiam necessariò, & immutabiliter possidet, neque novi quidpiam proventûs acquirere, meliórque, & ditior fieri unquam potest, sed sive mundum creet, sive in nihilo deserat, sive liberalis, sive parcus sit in donando, semper æqualiter, quia semper infinitè bonus, beatus, & locuples est; sic nihil ulterioris bonitatis, & beatitudinis habet, quod in benefaciendo vel quærat, vel consequatur. Quamobrem illius erga nos amor generis est à quibuslibet aliis prorsus diversi, adeóque iis omnibus excellentior, ut Rex amorum mereatur vocari. Cùm amores creati nullam aliam Platonis judicio parentem habeant, (*in Conv.*) quàm paupertatem, alicujus nempe indigentiam, & privationem boni; ipse verò ex parente nimium quàm dissimili, totius scilicet boni plenitudine, ac redundantia nascatur.

17. Quid porrò, si contemplari ulteriùs pergamus, quinam ii sint, quos tantæ majesta-

ſtatis Dominus adeò adamandos putavit? Quantum etiam ibi novæ admirabilitatis occurreret: quámque etiam hoc nomine ſingularis, à quibuslibet aliis diſcrepans, & uſquequaque prodigioſus illius amor videbitur? Quos enim tam effuſa charitate, & beneficentia complexus eſt? Nos ſumus, in quibus, priuſquam ab illo amaremur, utpote quovis eſſe tunc carentibus, nè atomus quidem bonitatis, nihílque adeò dignum amore erat: quique, ſi in præſens aliquid boni præferimus, non aliud tandem hoc eſt, nisì illius amoris effectus, quo dignatus ipſe eſt noſtrum nihilum proſequi. Quid ergo? nónne hæc amandì ratio præter omnem humani ingenii conſuetudinem eſt, ínque terris penitùs nova, & ſolius DEI propria? ità ſanè; homines ſiquidem ideo duntaxat amore in quem piam feruntur, quòd aliqua boni ſpecies ibi apparens eos ad ſe rapit; quàm ſi in objecto illo non cernerent, nullo pacto amare illud poſſent. At verò, ut DEUS amare aliquid extra ſe incipiat ratione boni in eo viſi, tam omnino impoſſibile eſt, quàm fieri nullo pacto poteſt, ut quidquam boni extra ſe videat, quod à prævio ſuo amore productum non ſit. Nos itaque amamus objecta, neutiquam à noſtra, ſed ab eorum

bonitate impulsi ; DEUS verò nos amavit, non quia bonos videret, sed quia bonus erat. ac proinde amor noster erga alios non ex nostra duntaxat voluntate oritur , sed effectus quoque est boni, quod in iis spectandum se obtulit: at DEI erga nos amor ex eo unicè prodiit, & causa totius boni fuit, quod in nobis mox extitit. Neque id à Platone ignoratum, aut parùm dilucidè expressum in Timæo est: ubi, hac quæstione proposita : *Quam ob causam ille rerum Author universum constituit?* duobus hisce verbis eam solvit : *Bonus erat.* Quasi dicat: in promptu est, quod quæritur. Quid summo Authori creandæ rerum universitatis causam præbuerit, nusquam alibi possumus, quàm in eo ipso invenire. Nativa sua bonitas una ipsum impulit, ut amaret, quidquid amavit, ut vellet, quidquid voluit, ut faceret, quidquid fecit. *Bonus erat:* O amorem prodigiosissimum, non intentionis duntaxat, & magnitudinis, sed etiam unius existentiæ, ac possibilitatis suæ causâ! Nihil certè opus est ad stuporem intueri, quàm impensè, ardentérque DEUS nos amaverit. Ingens plùs nimiò miraculum, omniúmque animis sua novitate obstupefaciendis par est, quòd ille seu nos, seu quidquam extra se quomodocunque ama-

amare potuerit. Cùm enim amor affectus sit, ut Dionysii Areopagitæ verbo utar, *ecstaticus*, (*De Div. Nom. c. 4.*) cujus vi amans extra se quodammodo exit à bono aliquo raptus, quod ipsi sese alibi objicit; quisnã, rogo, in animum induxisset, fieri unquam posse, ut DEUS optimus maximus possibilium quorumvis bonorum summam intrà se continens, extra se per amorem prodiret, non utique erga aliquod bonum, (nullum siquidem extra ipsum erat) sed erga nùdum, ac merissimum nihil? Nisì quòd, ùt externa nos bonitas ad amplexum sui trahit, sic sua illum ad impertiendum se nihilo impulerit. *Audendum est hoc etiam* (citatus paulò antè Areopagites scribit) *pro veritate dicere, quòd vel ipsemet omnium Author propter excellentiam summam amatoriæ bonitatis extra se per providentias rerum omnium existit: &, cùm sit supra omnia, ad omnia demittitur secundùm potestatem suprasubstantialem, qua extra se non egrediendo exit.* (*De Div. Nom. c. 4.*) Unde sequitur tandem, res à nobis amatas, cùm per suam bonitatem ad se amandas nos rapiant; non nobis duntaxat, sed & propriæ bonitati nostrum sui amorem debere: nos verò debitores uni DEO esse amoris, quo amplecti nos cœpit: utpote cujus nul-

nullas, nisi ex se ipso, & ex mera sua bonitate causas habuerit.

18. Et tamen parùm esset, nihil nos ante creationem boni habuisse, quoad concipiendum nostri amorem, incitari DEUS posset, nisi præterea causas illi præbuissemus abhorrendi à nobis, tanquam ab iis, quos optimè tunc prævidebat, sibi ingratos, & perduelles futuros. Si enim magni instar prodigii existimari deberet, amatos ab ipso nos esse, quamvis nihil præferremus boni, & amabilis; quidni multò majus videatur prodigium id evenisse, cùm tam multa in nobis fœda, & odium provocantia apparerent? Et, si ad utriusque prodigii admirabilitatem sufficeret, quantulumcunque nostri amorem ab eo conceptum fuisse; quantam vim habere intendendæ admirationis debet, quòd personas, in quibus nihil ipsi occurrebat, nisi abominatione dignum, amore prosecutus fuerit, quantò nullum unquam excellentissimum bonum creatum, imò quantò neque ipsemet, summum licèt, infinitæque amabilitatis bonum, dilectus ab hominibus fuerit? Novi quidem Assuerum, centum & viginti septem provinciarum Regem, elegisse in sponsam suam Esther, puellam tenuis fortunæ, & Mardochei servi sui fi-

filiam. Sed nihil admirandum ibi invenio: cùm ad hanc electionem impulsus fuerit ab eximia virginis illius pulchritudine, prærogativa nimirum, quæ satis constat, quantam vim habeat ad subjiciendos sibi vel potentissimorum Principum animos. Illud sanè in summam admirationem me raperet, si Assuerus, vel quis alter par illi Regnator in thalami, & regni sociam adsciviſſet, nedum servilis fortunæ, & obscuri generis fæminam, sed nulla etiam naturali dote conspicuam, quin è contrario summâ quà corporis, quà animi deformitate notatam, abnormi facie, exangui colore, compressis naribus, distillantibus perpetua lippitudine oculis, gibbosam, distortam, graveolentem, fœdis ulceribus toto corpore obsitam, ultráque linguâ hæsitantem, voce absonam, inconditis moribus, agresti indole, mentis sensu hebetem, fatuam, insulsam, merum stuporem, ejusmodi denique, ut nemo vel sanguine conjunctorum absque nausea, & fastidio cum ea conversari sustineret: & hoc mulieris monstrum in deliciis haberet, assiduè in oculis gestaret, nunquam divelli à latere suo pateretur, iisque amoris significationibus foveret, quæ vel supra cujusvis Helenæ meritum forent. Hæc, inquam, extrema mihi vi-

viderentur, atque incredibilia amoris prorsus novi, naturæque ab ingenio quàm longissimè abhorrentis miracula: quæ si aliquando inter homines edi contingeret, umbra quædam, & rudis imago essent prodigiosissimæ illius charitatis, quam supremus mundi Imperator ab æterno concepit, & retinere adhuc pergit erga nos sua nullius bonæ frugis mancipia, & omni omnino amore indignissima. Ità sanè: *Commendat charitatem suam DEUS in nobis: quia, cùm adhuc peccatores essemus secundùm tempus; Christus pro nobis mortuus est.* (*Ad Rom. 5.*) En paucis expressam ab Apostolo tum majestatem ejus, qui amavit, tum indignitatem eorum, quos amavit, tum ultimam lineam, ad quam usque in iis amandis processit: triadem miraculorum, à D. Bernardo adhuc breviùs collectam iis verbis: *Dilexit tantus, tantùm, tantillos, & tales.* (*De Dilig. DEO.*)

19. Ubinam igitur nostrorum animorum sunt sensus, quàmque aliam expectant, ubi digniùs occupentur, materiam? Adsint, eja, adsint omnes, in hæc sese totos demersuri tam extraordinariæ admirabilitatis profunda, inter hæc penitùs deflagraturi tam immensæ charitatis incendia. *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus: qui propi-*

pitiatur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia, & miserationibus: qui replet in bonis desiderium tuum. (*Ps.* 102.) O summè amans, & misericors DEUS! *cujus misericordiæ non est numerus; & bonitatis infinitus est thesaurus*: imò non solùm amans, sed totus omnino amor, qualem dilectus te discipulus tuus appellavit, dum scriberet: (*Ep.* 1. *c.* 4.) *DEUS charitas est*: neque solùm misericors, *& Pater misericordiarum*; sed ipsamet misericordia, adeò ut cum Psalte possim tibi dicere: (*Ps.* 58.) *DEUS meus misericordia mea*: & quid tandem aspiciendum in me tibi se obtulit pulchri, quódque vel simplici obtutu, nedum amore tam eximio dignum putares; si nihil ibi erat, præter meram abjectionem, deformitatem, miseriam? *Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum, similem mei?* (*L.* 2. *Reg. c.* 9.) Ah nullum meum meritum, sed sola te tua bonitas impulit, ut oculos in me conjiceres, meúmque nihilum diligendum, ac tuis donis cumulandum susciperes. Quamobrem, ceu ex illa una incitamentum, & modum amor tuus sumpsit; sic ultra omnem modum, ac finem processit: edens in mei gratiam prodigia tam multa, &

tam

tam mira; ut, qui vel singulorum præstantiam non nisi obscurissimè intelligo, in universis simul considerandis omni penè intelligentiâ destituar: quantóque plura sunt, & majora; tantò magis nimia eorum admirabilitate hebetari, & confundi mihi animum sentiam. Quamnam igitur benignitati tuæ possim dignam vicem mutui amoris rependere; cùm neque illi cognoscendæ, & admirandæ par sim? nulla certè mihi ratio, nulla spes, & facultas in me ipso est: nec quidquam proinde ad qualemcunque debiti officii solutionem reliqui habeo, nisi ut saltèm profitear, tuam erga me munificentiam immenso esse intervallo, meâ omni non operum modò, sed vel affectuum responsione majorem: téque simul Domine obsecrem, ut pro reliqua tua benignitate hujus quoque obligationis meæ onus in te recipias: & quemadmodum olim tui sanguinis pretio eam tuæ divinæ justitiæ condignam satisfactionem pro criminibus meis reddidisti, cujus ego debitor, sed solvendæ impos eram; ità nunc perfectissimis tuis gratiarum, & amoris actibus, eam infinitæ bonitati tuæ æquam remunerationem exhibeas, quam ego eidem pro immensis ab ea acceptis muneribus debeo, nec ullis præstare imbecillitatis meæ conatibus valeo.

CA-

CAPUT XXV.

Demonstrata hactenus divinæ bonitatis immensitas adversùs nonnullas humanæ quà ignorantiæ, quà temeritatis cavillationes defenditur.

SI DEI erga homines charitas, & beneficentia intuendam se nobis præberet, qualis est in se ipsa, & qualem beatæ cæli mentes aspiciunt, vel si saltèm illius omnes effectus exactè possemus, & plenè cognoscere; nihil causæ mihi esset, cur illius defensionem hìc suscipiendam putarem. Nam nemo tunc esset, quin omnimoda approbatione, imò etiam communi totius humani generis amore, atque plausu fateretur dignissimam; sed, quoniam mortalis vitæ hujus tempore, neque ipsam in vera specie contemplari nobis fas est; neque ex ejus effectibus nisì exiguam quamdam partem cognitam habemus, & hujus ipsius ratio, atque convenientia interdum nos latet; quemadmodum maximi momenti esse duco, ut tam amabilis prærogativa liquidò ab omnibus cognoscatur, & pro sua dignitate æstimetur; ità

necessarium arbitror, eam hìc tueri adversùs nonnullas seu tacitas dubitationes, quibus imperitiorum mentes commoveri circa illius excellentiam possunt, sive apertas oblocutiones, & querelas, quibus temerariorum hominum linguæ eandem interdũ impetere haud verentur.

2. Et primò non parùm indè minui videtur collatorum à DEO nobis munerum pretium, quod ille in his omnibus se ipsum pro fine agendi habuit, juxta illud Salomonis effatum, (*Prov.* 16.) *Universa propter semet ipsum operatus est Dominus.* Nam quo pacto, si verum id est, illius erga nos amor existimari liberalis potest, ac purè gratuitus, nec potiùs, qualis est uniuscujusque erga agrum, quem colit, vel erga jumentum, quod curat, amor, nempe suis tantumodo usibus serviens? Nemo certè, qui ad benemerendum de aliis suæ utilitatis, aut gloriæ respectu movetur, appellari propriè munificus solet. *Qui beneficium, ut reciperet, dedit, non dedit. Beneficium ejus commodum spectat, cui præstatur, non nostrum. Alioqui nobis, non illi damus*: Senecæ sunt, imò & communia humani generis sensa. (*L. 4. de Benef. c.* 13. *&* 14.)

3. Talis est prima objectio perturbandis aptior, qui extimam illius speciem attendant, quàm

quàm convincendis, qui ejuſem pondus examinent: nullámque vim habens ſive ad nos exſolvendos ab obligatione grati erga DEUM animi, ſive ad minuendam illius erga nos liberalitatem. Nullam primò vim habet nos exſolvendi ab obligatione grati erga DEUM pro beneficentia ſua animi. Eximii ſiquidem momenti beneficia, ceu vita, libertas, & alia ſimilia, quamvìs majori obligatione accipientem conſtringant, ſi amico, & benevolo animo præſtita ei fuerint; non minimum tamen per ſe ipſa, & ſecundùm interioris pretii æſtimationem ad gratam benefacienti vicem referendam eum obligant: quemadmodum manifeſtè colligitur ex ſingulari adeò gratiæ reſponſione, quam genitoribus pro accepta ab iis vita debemus; eſto illos, ut hanc nobis per generationem conferrent, nullus noſtri amor, quos tunc, utpote nondum exiſtentes, minimè noverant, ſed vel cupiditas ſuæ in poſteris memoriæ prorogandæ, vel ſolatii, & auxilii à ſobole adulta recipiendi ſpes, vel alius quiſpiam privati ſui boni reſpectus impulerit. *Non ſum tam iniquus* (memoratus ante Seneca inquit) *ut nihil ei debeam, qui, cùm mihi utilis eſſet, fuit & ſibi. Non enim exigo, ut ſinè reſpectu ſui mihi conſulat.* (L. 6. de

Benef. c. 13.) Imò adeò verum id est, ut etiam brutis animantibus à natura insitum sit: quæ videre est, quàm insignem grati amoris sensum erga Dominos, sibi victum suppeditantes præseferant, non quidem ratione ullius liberalis affectûs, quem erga se in illis agnoscant; sed ratione solius exterioris beneficii, quod ab ipsis accipiunt. Ut proinde, etsi Dei erga nos beneficentia non magìs gratuita, & sui respectu vacua esset, quàm hominis sit, in pascendo suo cane, aut jumento; magìs tamen ipsis canibus, & jumentis brutum se ostenderet, qui immunem propterea ab omni obligatione illius colendi, atque amandi se crederet.

4. Sed parùm esset, si, quòd DEUS in benefaciendo nobis se ipsum pro fine habeat, non valeret, ad nos grati erga ipsum animi obligatione solvendos. Addo, neque id valere, ad imminuendam ei ulla ex parte amoris omnino liberalis, & perfectè benevoli laudem. Nam quid tandem est, omnia à Deo propter semet ipsum fieri? Nihil sanè aliud, teste D. Thoma, nisi omnia ab illo propter innatam bonitatem suam fieri: quæ idcirco (*De Vol. DEI a.* 4.) *est ejus voluntati ratio volendi omnia, sicut sua essentia est ei ratio cognoscendi omnia.*

mnia. Si verò aliquis roget, quonam possit DEUS pacto omnia, quæ agit, ad propriam suam bonitatem, quasi ad unicum eorum finem dirigere, cùm hæc utpote æterna, & necessariò summa, atque infinita, nec produci, nec augeri ab iis queat; respondet idem Doctor Angelicus, quamvìs illa nihil novi indè incrementi accipiat, effectum tamen aliquem consequi naturali suæ propensioni maximè congruum, nimirum quòd ità in aliorum utilitatem se effundit: ac propterea, dum DEUS dicitur, pro unico omnium suorum operum fine suam bonitatem habere; idem esse, ac si dicatur, omnibus suis operibus effectum hunc quærere, ad quem procurandum à bonitatis suæ amore, studióque illi gratificandi impellitur. Audi ipsamet illius verba: (*Ibid.*) *Non hoc modo dicitur, quòd omnia processerunt à* DEO *propter ejus bonitatem, ut ei aliquid accresceret: sed quia bonitatis est, ut se ipsam communicet. Non enim divina bonitas est talis finis, qui efficiatur ex his, quæ sunt ad finem, sed magìs quo efficiuntur, & perficiuntur ea, quæ ad ipsum ordinantur.* Et alibi: *Finis divinæ voluntatis non potest esse, nisì ejus bonitas. Non autem agit propter hunc finem producendum in esse, nec propter ejus meliorationem, cùm bonitas ejus sit æterna, &*

immutabilis: nec etiam agit propter hunc finem acquirendum sibi: ipse est enim sua bonitas. Restat igitur, quòd agat propter finem, in quantùm effectum producit ad participationem finis. (L. 2. c. Gent. c. 35. & 32.) En igitur, quid significet, in omnibus suis operibus à DEO respici, & pro fine haberi se ipsum. Significat, non aliunde eum impelli ad agendum, quàm à sola sua bonitate, nempe à sola propensione, quam ipse tanquam summum bonum, imò tanquam summa bonitas, insitam à natura habet, in aliorum se utilitatem effundendi. Et quisquam perversi adeò judicii erit, qui ità operantem ex puro beneficentiæ amore, atque instinctu, minùs liberali, & benefica voluntate operari arbitretur? D. Thomas certè tam diverso mentis sensu est, ut potiùs hinc arguat, DEUM summè liberalem esse, imò unum posse (quod Auiceñæ etiam visum fuerat) propriè liberalem vocari. *Nam omne aliud agens ex sua actione bonum aliquod appetit, vel acquirit*: cùm ipse nobis benefaciat, *non ut sibi exinde aliquid accrescat, sed quia ipsum communicari est sibi conveniens, ùt fonti bonitatis. Dare autem non propter aliquod commodum ex datione expectatum, sed propter ipsam bonitatem, & convenientiam dationis, est actus liberalitatis, ùt pa-*

patet ex Philoſopho in quarto Ethicorum, (L. 1. c. Gent. c. 92.)

5. Neque objectet hìc aliquis, DEUM, quidquid operetur, ſuam ibi gloriam venari: nempe ut cognoſcatur, obſervetur, & ametur à nobis: quod Philonis judicio venumdare potiùs, quàm largiri dona ſua eſt. (L. de Cher.) *Qui dando captant laudem, aut honorem, dum quærunt reddi ſibi gratiam, ſpecioſo donationis nomine venditionem prætexunt.* Unde etiam Chriſtus Dominus indignos cæleſti mercede pronuntiavit, qui egenis ſubveniunt, *ut honorificentur ab hominibus*, ceu qui jam *receperunt mercedem ſuam.* (Matt. 6.) Nè quis, inquam, talia hìc objectet. Fateor ſiquidem, & DEUM pro ſuis beneficiis gratiæ, laudis, honoríſque vicem à nobis repoſcere; & ſi quis hominum tali animo benefaciat, mercatoris ei potiùs, quàm munifici largitoris nomen deberi. Nego tamen, hujuſmodi voluntatem quidquam detrahere de perfectione liberalitatis divinæ. Quin addo inſuper, majus benefici, & liberalis animi ſpecimen exhibitum à DEO eſſe, in gloria à nobis quærenda, quàm ſi eam prorſus negligeret. Cùm enim ſubſtantiæ rationalis perfectio, & felicitas nuſquam alibi, quàm in primi veri cognitione, ínque ſummi

boni amore consistat; manifestò hinc consequitur, dum ille primum verum, summúmque bonum cognosci à nobis, & diligi vult; nihil aliud, nisi nostram perfectionem, & beatitudinem velle: majúsque ideo, ùt dixi, liberalitatis, & beneficentiæ illius specimen esse, quòd hujusmodi gloriam ab hominibus petat, quàm si ejusdem omnino incurius, & negligens foret. Ullane liberalior esse potest, ac beneficentior voluntas, seu lucis erga hominem cæcum, quàm si illum spectatorem suæ pulchritudinis cupiat; seu fontis erga siti confectum, quàm si ad gustandos suos latices eum provocet? In summa, huc pertinet tota illa divinæ erga nos charitatis altitudo, & profunditas, quam in præcedenti capite demirati adeò sumus. Huc, quòd tantus ille Dominus nos luteos homunciones adsciscere sibi in amicos, & filios dignatur: huc, quòd sempiternam cælestis sui regni hæreditatem nobis despondet: huc, quod nostram ab æternæ mortis reatu absolutionem, restitutionémque in suam gratiam solicitè adeò procurat. Ex cunctis hisce bonis, quæ omnium illius, & naturalium munerum finis, & supernaturalium cumulus sunt, & princeps, ac potissima totius suæ liberalitatis portio existimari merentur,

tur, nihil ille poterat hominibus velle, nisi cognosci, observari, & diligi ab iis voluisset. Væ nobis, si in lucem primò eductos allocutus sic esset: Fruimini hac rerum universitate, quam vestri gratiâ creavi. De me autem nihilo plùs cogitate, quàm si nullus in mundo existerem. Non alium profectò sese ostendisset tunc DEUM, nisi qualem Epicurei somniabant, tam scilicet parùm erga nos benevolum, quàm omnem nostram erga se benevolentiam aspernantem. Noluisset nos suorum miratores decorum, amicósque, & cultores habere: sed quid aliud hoc esset, quàm nolle, ut ipsum pro nostro ultimo fine, & summo bono haberemus? Quantò major felicitas est ipso, quàm cæteris omnibus bonis frui, tantò majus nobis beneficium fecit, dum per intimam æstimationis, amorísque necessitudinem possideri à nobis voluit, quàm dum quidquid cæterorum bonorum in mundo est, possidendum nobis, & fruendum donavit.

6. Reliquum est, ut ad omnem privatæ cupiditatis umbram ab illius beneficentia amovendam dispiciamus, utrúmne hanc sui nominis gloriam, in qua ipsi reddenda totam vidimus rationalis substantiæ perfectionem, & felicitatem consistere, ipse curet, ac velit, qua-

tenus merè noſtrum eſt bonum; an potiùs, quia aliquis indè fructus ei provenit. Sed enim dubitare de hac re neminem patitur infinita, nec ullius incrementi capax divinæ illius naturæ felicitas. Si enim videntes potentiſſimum Regem nihil non artis, ſtudiíque adhibere, ut mediaſtinorum aliquem, quo nihil ſit, ſeu generis, fortunæque conditio attendatur, deſpectius, ſeu corporis ſpecies, deformius; ſeu mentis hebetudo, ineptum, & ſtupidum magìs; ut hoc, inquam, cœnum, háſque ſordes ad intimam ſecum neceſſitudinem, & familiaritatem pelliciat, nè leviſſimè quidem ſuſpicaremur, ſui hæc oblectamenti, & honoris causâ ab eo fieri; quonam pacto id de DEO ſuſpicari poterimus, principe, qui tantò minùs nobis indiget, quàm mortalium Regum ſummus viliſſimi mancipii familiaritate opus habeat? Apage, apage hujuſmodi ſuſpiciones, ait D. Thomas. (2.2. *qu.* 81. *a.* 7.) *DEO reverentiam, & honorem exhibemus, non propter ipſum, quia ex ſe ipſo eſt gloriâ plenus, cui nihil à creatura adjici poteſt, ſed propter nos, quia videlicet per hoc, quòd DEUM reveremur, & honoramus, mens noſtra ei ſubjicitur, & in hoc ejus perfectio conſiſtit.* Neque omittenda ad ulteriorem ejuſdem veritatis confirmationem vi-

de-

detur ſapiens Plutarchi obſervatio: nimirum, ceu pleraque pars cæleſtium influxuum occultè, diſſimulantérque in terram deſcendit, ut minimè ab ea ſentiatur, ſic pleroſque divinæ benignitatis, ac providentiæ effectus in peculiari quovis homine ab innumerabilibus quà corporis, quà animi malis tuendo, citra omnem eorum, quibus proſunt, notitiam, atque ſenſum, contingere, nec nisì ab authore ſuo ſciri. Quos profectò neutiquam ille ità à nobis ignorari pateretur, ſi pro unico ſuorum munerum fine redituram indè ſibi gloriam haberet, nec potiùs, ceu memoratus ſuprà Philoſophus notat, ipſummet benefacere ampliſſimus benefaciendi fructus ipſi eſſet. *Deos plerumque arbitror beneficia non ſentientibus facere, cùm eâ ſint naturâ, ut ipſâ ſuâ beneficentiâ oblectentur.* (*De Diſcr. Adul. & Am.*)

7. Concludamus ergo, homines, ſi in benemerendo de aliis, ſe ipſos tanquam finem ſuorum actuum reſpiciant, haud poſſe liberales vocari, ceu qui haud quaquam bonitatem pro eſſentia ſua habent, ut proinde, ſe ipſos reſpicientes, & amantes, nihil aliud nisì puram bonitatem reſpiciant, & ament. At in DEO rem ſecùs ſe habere, tanquam in eo, qui totus pura bonitas eſt, ſuíque ex amore ope-

perans, non nisì ex puræ bonitatis amore operatur: similiter, homines, dum pro muneribus suis honorem, & benevolentiam accipientium quærunt, ex sui potiùs, quàm ex aliorum amore agere, utpote qui eam honoris, & benevolentiæ vicem, quasi bonum suum, appetunt: DEUM verò, dum eandem à nobis quærit, nihil fructûs, præter nostrum bonum, appetere: cùm honoris, amorisque à nobis ei redditi utilitas tota in nobis remaneat, nec atomum superaddat infinitæ beatitudini, & gloriæ, qua ille in se ipso perfruitur. Verissimè itaque dicitur, *universa propter semet ipsum operatus esse Dominus*: Sed hoc minimè obstat, quin pari cum veritate idem dicatur, *propter nos homines, & propter nostram salutem descendisse de cælo*: cùm operari propter semet ipsum nihil in eo aliud sit, quàm operari ex instinctu puræ bonitatis, quæ ipsissima ejus natura est: neque operari quisquam possit ex puræ bonitatis instinctu, quin ex alieni boni amore operetur. Negari itèm nequit, DEUM pro collatis in nos muneribus externæ aliquid gloriæ requirere, nempe ut cognoscatur, & ametur à nobis. Sed illud quoque extra controversiam est, nihil eum ex hujusmodi gloria emolumenti percipere, neque ideo bea-

beatiorem, magísque glorioſum evadere, quàm in tota retro æternitate fuerit, quando nemo erat, qui eum cognoſceret, æſtimaret, diligeret, nisi ipſe, par unus æſtimator, amatórque ſui ipſius: cùm è contrario nihil eſſe nobis queat illius æſtimatione, obſervantiâ, & amore utilius. Unde bene arguit D. Thomas, ſuam gloriam, non alicujus proprii, ſed noſtri tantummodo boni gratiâ ab eo quæri. (2. 2. *qu.* 132. *a.* 1. *ad.* 1.) *Nobis expedit* DEUM *noſſe, non illi. Unde patet, quòd* DEUS *ſuam gloriam non quærit propter ſe, ſed propter nos.* Non aliter ſanè, quàm pater, dum à filiis exigit, ut venienti ſibi aſſurgant, & caput aperiant; minimè id agit ſui causâ, perinde quaſi multùm ſua interſit, iis reverentiæ ſignificationibus coli: ſed filiorum duntaxat ibi bonum reſpicit, quibus valde expedit, ad eos urbanitatis ritus, & dignos honeſta indole mores inſtitui. Quapropter, veluti res abſurda, nec prudentis viri propria, ab omnibus cenſeretur, ſi patrum aliquis pro externo illo honore à filiis obtinendo, tanquam pro ingenti ſuo lucro, nihil non conatûs, & laboris ſuſciperet; ità parùm conveniens ſummæ DEI magnitudini videretur, prodigia edidiſſe, adeò extraordinaria, inaudita, & humano quovis ca-

captu majora, qualia fuerunt, humanam carnem assumere, & diriſſimam in crucis patibulo mortem ſubire; ſi hos infinitæ ſuæ potentiæ, & ſapientiæ quaſi extremos conatus non alium direxiſſet ad finem, quàm ùt doni ſui leviſſimum exterioris noſtræ gloriæ fumũ conſequeretur, unde multò minùs ſolidi fructûs ei provenit, quàm ex ſolemni, pervulgatóque filiorum ſibi aſſurgentium, & caput acclinantium cultu parentes percipiant.

8. Secundò, querelarum occaſionem multi ſumunt ex tot ærumnis, quibus omne paſſim genus humanum ſinè ullo ſontium, atque inſontium diſcrimine affligitur. Si enim nullus parens, in cujus manu eſſet, ſuos filios è calamitate aliqua eximere, hanc eis opem denegaret, quonam pacto credi DEUS poſſit paternum erga homines animum gerere, quos, licèt pleniſſimam ſuccurrendi poteſtatem habens, tam multis nihilominus premi infortuniis, & adverſis caſibus patitur? Aut quídni liceat & nobis cum Gedeone ſciſcitari, (*Judic. c. 6.*) *Si Dominus nobiſcum eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia? Ubi ſunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres noſtri?* Nimiùm quantùm hæc inter ſe diſconveniunt, amare medullitus, & amati ærumnas, laboréſque otioſum

sum spectare complecti patrocinio suo aliquem, & inter discrimina improtectum relinquere : ipsammet misericordiam esse, & miseris opem denegare.

9. Expostulantibus hunc in modum respondere primò possem ; mundum à DEO productum, & hominibus traditum esse, ab omnibus his miseriis immunem, quas in eum primi nostri parentis culpa, tanquam justam reatûs sui pœnam induxit. Si enim nihil pugnantis, atque absoni est, filios à patre & impensè amari ; & tamen, ubi quid peccaverint, congrua animadversione puniri, cur à paterna erga nos charitate alienum videatur exigere, ut nonnullas, & eas quidem *citra condignum*, hæreditarii nostri criminis pœnas luamus? *Quem diligit Dominus, castigat. Flagellat autem omnem filium, quem recipit. Tanquam filiis offert vobis se* DEUS. *Quis enim filius, quem non corripit pater?* (*Ad Hebr. c.* 12.) Ità, inquam, occurrere iis possem, ceu meliùs, ac par est, reputantibus, quantùm divinæ justitiæ pro reatu suo debeant, ægriúsque ideo qualemcunque pro illo satisfactionem ferentibus. Sed quia parùm mihi est iis demonstrare, quàm injustè divinam bonitatem ob præsentis vitæ miserias accusent, nisi simul demon-

monſtrem ; quantum juris illa habeat , ut potiùs ob eaſdem laudetur ; huic reſponſioni , quæ ad priorem effectum per ſe una ſufficeret, animoſiorem , lætiorémque alteram libet adjungere : ſtatuendo nimirum , omnia hæc, de quibus querimur,mala, utilitatis potiùs,quàm pœnæ causâ , à DEO nobis immitti : ac proinde par eſſe , ut , quemadmodum in iis ipſis paternam ille magìs providentiam , quàm judiciariam ſeveritatem exercet ; ità nos quoque in iiſdem amemus eum potiùs , ceu ſalubribus curati remediis , quàm toleremus , ceu juſtis affecti ſuppliciis. Cùm etiam Euripides,in media ethnicæ ſuperſtitionis nocte , perſpicere , ac teſtari potuerit. *Quæ apud nos putantur mala , hæc in cælo eſſe bona.* (*Apud Lact. L. 5. c. 16.*)

10. Non me fugit hæc à multis tanquam Stoæ paradoxa acceptum iri. Quiſquis ea tamen in orthodoxæ fidei trutina examinaverit , fatetur Euangelii principiis iñiti , illóque præcipuè,ubi ſtatuitur,æternã beatitudinẽ eſſe ultimum hominis finem : *Habetis fructum veſtrum in ſanctificatione , finem verò vitam æternam.* (*Ad Rom. 6.*) Cùm enim ex ultimo fine reliqua omnia boni , vel mali nomen ducant: boni , ſi ad illum obtinendum juvent , mali verò , ſi

ejus

ejus consecutioni adversentur; necessariò dicendum est, quidquid in rebus humanis contingit, indè solùm posse malum, vel bonum vocari: quia ad æternam beatitudinem consequendam vel impedimento sit, vel auxilio: ac propterea, si adversi præsentis vitæ casus ad prædictum nostrum finem utiliores nobis sint, quàm secundi, in bonis potiùs eos recensendos, quàm malis. Atqui tales, in præsenti saltèm vitiatæ naturæ statu, illos esse, experientia manifestissimè ostendit. Utque id ipsis quodmmodo manibus contrectetur, age, statuantur ex adverso hinc dives, hinc pauper. Quotusquisque non videt, quantò huic sit facilius, quàm illi, temperantiam, & modestiam servare? Componantur invicem ægrotus, & corpore integer: nónne statim apparet, quantò meliùs primi animus à vitiis, & perversis cupiditatibus valeat? Opponatur Principi civis plebejus: dubitaríne potest, uter longiùs à fastu, luxúque absit? Quid multa? totum unum genus comparetur cum altero, & nulli obscurum erit, res adversas materiam nobis præbere satisfaciendi pro admissis criminibus, secundas incitamentum nova admittendi: ab illis ad DEUM invocandum nos excitari, ab his in ejusdem oblivionem adduci:

illas efficere, , ut terram, quasi triste exilium pertæsi, ad cæleſtem noſtram patriam cogitationes, & vota erigamus; has, ut cæli immemores, totam mentem, totúmque cor humi figamus: in illis ditiſſimam reperiri meritorum fodinam, per occaſionem humilitatis, patientiæque exercendæ; in his aſſiduum vitiorum, ac ſcelerum fomitem, propter majorem licentiam pravas genii appetitiones explendi. Sed nimis diu in propoſita re peculiaribus argumentis, & particulatim aſſerenda hæreo, cùm alia longè expeditior, firmiórque ad manum ſit ratio, qua ſola poſſum eam illico extra omnem controverſiam ſtatuere. Agedum: nónne DEI filius beatos diſertiſſimè nuncupavit, qui inopiâ laborant, qui eſuriunt, qui lugent? Nónne contrà horrendum væ jaculatus eſt in divites, in voluptuarios, & ſaturitate diſtentos? *Væ vobis divitibus, væ vobis, qui ſaturati eſtis: væ vobis, qui ridetis nunc.* (*Luc.* 6,) Nónne demum congruenter ad hujuſmodi placita ſuos aſſeclas univerſos exhortatus eſt: ad divitiarum abdicationem, ad honorum, & dignitatum repudium, ad bellum genio indicendum, & crucem continenter geſtandam? Quonam igitur pacto fieri poteſt, ut, qui in illius verba juravit, feliciorem,

rem, magísque expetendam bonorum præsentium inopiam, quàm affluentiam, non credat, vel talem credens, iniquo animo ferat, & minùs benevolè à DEO sibi consultum queratur, quòd ei obvenerit? Quid ais, Christiane, si hoc tamen appellandus es nomine, à quo in tantùm degeneras? minùs amicè DEUS tecum egit, quòd locò illius sortis, quam veluti æternæ saluti noxiam reprobavit, illam potiùs tibi assignaverit, quam utilissimam censet, & ùt talem & ipse humanam carnem induens elegit, & disertissimè omnibus suasit? Ubinam hìc est tua fides, ubi prudentia, atque ratio? si quando etiam, quæ maxima esse potest, terrenæ felicitatis tibi copia obtigisset; deberes nihilominus, secundùm Euangelicæ sapientiæ principia, & consilia, illi nuntium remittere, & inopem potiùs, ærumnosam, atque humilem vivendi conditionem tibi ultro deligere, neque id agens aliud faceres, quàm quòd rebus tuis optimè prospiceres; quanam judiciorum, & affectuum inter se congruentia queri nunc potes, quòd DEUS minùs te amet, quia tecum similiter agit: nimirum tibi auferens præsentis vitæ bona, quibus utpote possidenti noxiis exigeret ratio, ut ipsemet tuâ sponte te abdicares: iisque è contrario cala-

mitatibus, atque ærumnis te exercens, quas temet ipsum propter maximas iis adjunctas utilitates, si revera te amares, par esset consectari, atque eligere? *Quid miraris, si id* DEUS *bono accidere patitur, quod vir bonus aliquando vult sibi accidere*? scripsit Seneca: (*De Provid. c. 6.*) Satis, quanquam sola humanæ rationis vi, intelligens, paternæ DEI erga hominem providentiæ contrarium non esse, si aliqua ei deneget, quæ hominis prudentiæ consentaneum sit, etiam oblata respuere. Evellamus, quæso, evellamus ex animis nostris carneos hosce oculos, quorum mendax pupilla bonum nobis pro malo, & malum pro bono exhibet, mutuantes à fide alios sinceriores obtutûs, quibus *contemplemur, non quæ videntur, sed quæ non videntur: Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ non videntur, æterna.* 2. *ad* Cor. 4.) &, si nondum didicimus sapienter nos ipsos amare, patiamur saltèm ità à DEO nos amari: *Cui*, teste (*Juv. Sat.* 10.) *charior est homo, quàm sibi*, & qui providentis medici instar *aptissima pro jucundis* præscribit, nostram semper utilitatem respiciens, etiam ubi aliquid contra nostras propensiones decernit. Certè, si ex temporalium bonorum copia nihil eventurum nobis esset spiritualis ma-

mali, præter voluntarium unius culpæ,& quidem levioris reatum ; unicum hoc damnum longè præponderaret omni temporali felicitati. Quemadmodum è contrario, si ex rerum penuria, ex statu abjecto, ex morborum intemperiis, & aliis vitæ ærumnis nihil referremus amplioris lucri, quàm sit meritum uni patientiæ actui respondens, quæstus hic supernaturalis universis Jobi calamitatibus bene emptus videri debet. O quàm bellè veritatem hanc intelligebat D. Elisabetha Ungariæ Regis filia, quæ post mariti obitum è principali suo palatio cum parvulis filiis injuriosissimè ejecta, adeò nihil indè ægritudinis cepit, ut non contenta privatis laudibus, quas pro hoc eventu DEO ipsa persolverat, Eucharisticum quoque hymnum, *Te DEUM laudamus*, in solemnem gratiarum actionem publicè decantari curaverit. Quàm altè itidem consignatam in animo eandem habebat alter ille elapso proximè sæculo insignis DEI servus: qui non cessabat divinam admirari erga se beneficentiam, quod ad splendidiorem conditionis, fortunæque gradum evectus non esset, identidem repetens : quibusnam rectè factis ego promerui, nè DEUS magnum me nasci principem vellet? Justissimo ille quidem ani-

mi sensu, quémque sinè ulla immoderatæ petitionis nota à Christianis quibusvis possem exigere; nisì in plerisque eatenus processisset fidei imbecillitas, & judiciorum depravatio, ut vel tritissima Euangelii dogmata pro vivendi norma statuere idem jam existimetur, ac Platonis ideas, & Stoicorum paradoxa in communem vitæ usum velle introducere.

11. Quid porrò iis respondebimus, qui de miseriis queruntur, non utique ad corporis vitam spectantibus, sed de aliis longè gravioris momenti, quæque ipsammet immortalem animi vitam in præsentissimum discrimen adducunt: de tot nempe interioribus morbis, & rationi refractariis affectibus, quibus humanum genus à primo exortu ad ultimum vitæ finem assiduè, miserriméque urgetur? Cùm unusquisque satìs, plúsque nimiò experiatur, quàm perversa in judicando, praváque in appetendo, à bono aversa, & ad malum proclivis naturæ nostræ indoles sit: quámque idcirco extremis opus sit, ac perpetuis conatibus, nè à recto itinere devia in præcipitia, & abrupta cæco impetu ruat. Ubinam ergo est, inquiunt, paterna hìc DEI circa nos providentia? Aut quomodo ille potest credi nostræ felicitati, ac saluti pro eo, ac satìs est, consuluisse,

isse, naturam nobis tribuendo adeò inordinatam, præposteram, ab eóque, cujus gratiâ unicè condita est, summo suo bono abhorrentem; ut, cùm reliquæ naturæ omnes vehementissimo, ac penitùs sibi congenito instinctu ad finem suum tendant, nec aliam majorem vim patiantur, quàm ubi ab eo detorquentur; homo unus nullum violentiorem habeat motum, & suæ magìs innatæ propensioni contrarium, quàm quo ad finem suum fertur? si cordi illi nostra salus erat, consentaneum sanè videbatur fuisse, ut habiliores ad eam consequendam nos fingeret, nec versari in assiduo discrimine illius amittendæ vellet: ut à plerisque mortalium, ob prædicta naturæ impedimenta, atque vitia eam amitti contingat.

12. Quid, quæso, talibus querelis respondebimus? Animadverto, te illas confestim damnare, ceu prorsus injustas, nec alio, quàm falsæ opinionis fundamento subnixas. Perinde quasi DEUS hominem ità cæcum, infirmum, & pravum creâsset, uti esse nunc post peccatum cernitur: nec potiùs è contrario, quàm optari maximè potest, rectum, integrum, sanum, & ad meliora proclivem. Quare author mihi es, ut inani huic calumniæ ni-

hil aliud opponam, præter quatuor illa Salomonis verba, (*Eccles. c. 7.*) *DEUS fecit hominem rectum*: commonendo expostulantes, ut, si prædicta naturæ vitia graviter ferunt, nè Deum, qui eam puram, atque illorum immunem condidit: sed peccatum duntaxat incusent, è quo omnis corruptela profluxit.

13. Rectè suggeris: unica hæc commonitio sufficeret ad silentium tam futili querimoniæ imponendum, & DEI causam in quovis justo foro ab omni criminatione asserendam. Nihilo tamen minùs, nè ulla occasio supersit saltèm objectandi, quòd tam gravem nobis pœnam decernens, minùs memor paternæ bonitatis suæ fuerit: néve ob commemoratam humanæ naturæ corruptionem nimio afficiamur mœrore, ceu nonnullis contingit, qui angusto ultra modum, & meticuloso animo præditi, nullum præsentis sui statûs deplorandi faciunt finem, facturum me operæ pretium existimo, si demonstrare hìc instituam, quàm nullas indè habeamus perturbationis, & mœstitiæ causas, quámque omnes hi morbi, quibus post primi parentis culpam obnoxia esse cernitur animorum nostrorum conditio, si promptis DEI auxiliis sedulò utamur; majori nobis adjumento, quàm obstaculo sint ad con-

consecutionem nostri ultimi finis. Quænam ergo malorum in ea sese objicientium sunt capita? Tria, quantùm assequor: gravissimum nempe inprimis discrimen divinæ gratiæ, æternæque salutis in singulas horas perdendæ: unde quilibet nostrûm lamentari cum Apostoli cogitur, (*Ad Rom. 7.*) *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Alterum, molestissima, qua urgemur, necessitas, dies, noctésque excubandi, & arma manibus præferendi: utpote cum hostibus rem habentes, qui bellicoso illo Epiri Rege pertinaciores, (*Plut. in Pyrrho.*) *Nec victores, nec victi quietem pati sciunt*: multóque veriùs, quàm de numerosissimis Xerxis militibus dictum sit, (*Sen. Suas. 5.*) *Diutiùs perire possunt, quàm nos vincere.* Tertium, perturbatio, & confusio animi, tot pravorum motuum causâ, qui assiduè jam hi, jam illi agitare illum pergunt: & licèt ad peccandi voluntatem non pertrahant, magno tamen pudori illi sunt: eò quòd se experiatur adeò inordinatum, imperfectum, ad mala propensum, rationi discordem, nec sui satìs Dominum: sæpe ideo suspirans ad DEUM, & illis Jobi verbis eum

alloquens, (c. 7.) *Quid faciam tibi ô Custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi? & factus sum mihimet ipsi gravis?* Age jam, perpendamus, ullúmne ex prædictis capitibus plus detrimenti, quàm lucri animo afferre valeat? Utque à confusione ultimo loco proposita ordiar, usque adeò falsum est, damnosiorem, quàm utiliorem æternæ vitæ rationibus eam dici posse; ut potiùs his opportuna, & proficua appareat: ceu quæ nihil aliud est, quàm perspicua, & sensibilis cognitio vilitatis, à peccato in nos derivatæ: neque ideo quidquam aliud in anima facit, quàm quòd humilitatem præcipui momenti virtutem foveat, & superbiam, vitium pestilens, & universale vitiorum omnium caput abigat. Quare manifestum relinquitur, præsentem hominis statum non posse ex hoc capite cuiquam displicere, verum, æternúmque suum bonum spectanti, sed illis duntaxat, qui vellent in suamet excellentia gloriabundi acquiescere; gravitérque ideo ferunt, ad contrariam suorum animorum abjectionem experiendam, & fatendam se cogi.

14. Nec secùs de altero itèm capite sentiendum videtur, de necessitate nimirum in armis, & pugnarum procinctu continenter ma-

manendi. Quotus enim quisque non perspicit, idem esse de hoc queri, ac queri, quòd continua sibi adsit victoriarum, & triumphorum materies? Quæ profectò nemini potest ingrata, nisì socordibus, atque ignavis accidere. (*Lucan. L. 3.*) *Ventus ut amittit vires, nisì robora densæ occurrant sylvæ, spatio diffusus inani; sic hostes mihi deêsse nocet, damnúmque putamus armorum, nisì, qui vinci potuêre, rebellent*, ajebat Cæsar, victoriis expleri nescius, prælióruмque tam appetens, ut damni locò poneret, si hostes illius famâ perterriti, pugnam deditione præverterent. Cur ergo minor esse debeat nostra alacritas ad interiora cum vitiis certamina: ubi victoria & plus emolumenti secum affert, spolia nempe nequaquam caduca, sed æternùm mansura; quæque minus habet incerti, utpote non externis è casibus, sed ex mera voluntate hominis pendens. Natura ab honestis operationibus refugit? Coge vel invitam honestè operari: & ecce duplicatam tibi laudem virtutis. Furiosè ad peccandum te impellit? viriliter obluctare impellenti: & ecce natas tibi etiam non quærenti in manibus palmas. At hostis nimiùm quàm pertinax est, nullàque non hydra, nullo non Antæo indomitus magìs: vix humi prostratus, re-

resurgit: vix devictus, pugnam instaurat. Instaurat? hoc melius: Audi intrepidum Silonis responsum ad Xerxis minas denuntiantis, nova Græcis illaturum se arma, nisi præteritarum suarum cladium demolirentur trophæa. Nè vos terreant Athenienses barbari edicta, superbi veriùs, quàm fortis. Nisì monumenta relatæ de illo pridem victoriæ deleveritis, minatur reversurum se in Græciam viribus totius Asiæ succinctum, ad vos denuo oppugnandos. Nisì malè illius denuntiationes intelligo, videtur aliis verbis hoc dicere: vel pristina trophæa demolimini, vel ego revertar, præbiturus vobis materiam nova extruendi. (*Sen. Suas. 5.*) *Nisì tollitis*, inquit, *trophæa, ego veniam. Hoc ait Xerxes: nisì hæc trophæa tollitis, alia ponetis.* Ità profectò, *alia ponetis.* En terrores, en tragœdiæ, en ultima vestræ reipublicæ excidia. Non deerunt alii hostes, quos vincatis: aliæ palmæ, quas demetatis: alia spolia, quæ reportetis. Atqui nónne talis itèm nostra conditio, & sors est? Redit hostis vix triumphatus ad pugnam, redeat. Quidnam aliud hinc obtinebit, nisì ut occasionem nobis præbeat rursus triumphandi? molestũ est pugnare, sed jucundius vincere. Fatigat arma semper manu tractare, sed plus recreat no-

novas ſemper fronti laureas intexere. Næ gratulandum calamitati noſtræ eſſet, ſi hæreditaria primi parentis culpa nihil aliud nobis attuliſſet incommodi, præter neceſſitatem ampliora cumulandi cæleſtis gloriæ merita. Hoc pro infortunio ducitur? imò hoc unum reliqua compenſare ſat poteſt amiſſæ privilegia juſtitiæ. Amicam cæli erga Romanos providentiam ſuiſſe vetus ſcriptor tradit, quòd finitimi quidam populi quotidianis incurſionibus militarem eorum virtutem hebeſcere non ſinerent. (*Flor. L. 2 c. 3.*) *DEO quodam aſſiduè incitante, nè rubiginem, & ſitum arma ſentirent, quotidiani, & quaſi domeſtici hoſtes tirocinia militum imbuebant; nec aliter utraque gente, ac quaſi cote quadam Romanus populus ferrum virtutis ſuæ acuebat.* Nec ad diſſimilem erga nos providentiam referri poſſent inteſtini aſſultus, quibus à noſtra perduelli natura continenter urgemur, nisi eam peccati labes ità depravâſſet, ſed talem ipſe DEUS finxiſſet. Breviter: ubi victoria in manu pugnantis eſt, iniquo animo ferre, quòd aſſiduè pugnandum ſit, perinde eſt, ac ſi agricola iniquo animo ferret, quòd vix demeſſæ rurſus proventu repullulare ſubter falcem ſibi ſegetes pergant. Si tædio præſentis laboris de hujuſmodi certaminibus

bus quereris, querere ùt libet: ſed nè queri etiam de iiſdem futuræ immortalis vitæ causâ te dicas: cùm nihil iis ſit ad hujus lucra, & rationes appoſitum magìs.

15. Non quererer ſanè, (dicet non nemo) ſi certa hoc in pulvere ſemper eſſet victoria. At dimicatio propter ſummum laborem periculoſæ itèm aleæ pleniſſima eſt: cùm quàm plurimos videamus locò triumphorum, quos tu prædicas, internecinâ ibi clade percelli. quidni ergo admodum miſera, & lugenda ſors ſit, in acie novaculæ, ſúbque extremi casûs ictu ſalutis ſemper incertum verſari? Bene habet: hoc reliquum, & præcipuum ex tribus ſupra allatis capitibus eſt, cui ſi rite occurram, nihil jam ſupererit cauſæ, cur homines naturam, & ſortem incuſent, quam ex ſontis Adami hæreditate acceperunt. Neque diu laborandum mihi erit in conquirendis rationibus ad id conducentibus. En unam ſexcentis parem: nempe illam ipſam, qua DEUS Apoſtolo ſuo ſatisfecit, dum ipſe etiam de ancipiti dimicatione cum interiori adverſario ſuo quereretur. (2. *ad Cor* 12.) *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* O rationem invictiſſimam, quæque confirmare, & ad fiduciam erigere vel timidiſſimi cujuſque animum

mum possit! Heus homo, animal imbecillum, animal fragile, animal extremis terroribus, & periculis undique obsessum. Quid trepido visu tuam hinc debilitatem, hostium indè vires metiris? nè dubita: quantæcunque demum eæ sint, certam habes sub manu victoriam. Utque id tutemet fatearis, dic, amabò, auxiliatrix DEI gratia nónne satìs supérque habet virium ad hominem ex quibusque hostibus, ac periculis eruendum? Quis inficias ire ausit? *Sufficit tibi gratia mea.* Atqui hanc paratissimus tibi conferre DEUS est, quandocunque cum certa accipiendi fiducia illam petiveris. Síque mihi credendũ non putas, illi crede, palám disertéq; asserenti (*Marc.* 11.) *Propterea dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis.* Si ergo certissimè constat, DEI adjutorium paratum semper ad petitionem tuam esse; quidnam supereſt causæ, cur assidui hostium incursus te solicitum habeant? Quid ultrà quereris? aut quod firmius tutamen ad formidolosissimos quosvis casus desideras? Quæ hostium tela sub tali clypeo possunt te lædere? quæ virium imbecillitas non abunde compensatur tali præsidio? *Si DEUS pro nobis, quis contra nos?* (*Ad Rom.* 8.) Fingamus ad hostiles

les

les quaſcunque copias profligandas aliud non requiri, quàm unicum oris flatum; numquid quererereris tunc, parùm te adversùs illas roboris habere, ac præſidii? Imò contentus quàm maximè tuis viribus, & de referenda victoria certiſſimus fores. Atqui ad omnes tuos hoſtes vincendos nihil ultrà opus tibi eſt, quàm ſinceræ orationis flatum ad DEUM emittere: quo præſtito habes jam in manibus palmam. Quonam igitur pacto de imbecillitate tua queri, illorúmque formidare vim potes? Certè ſi DEUS in primævæ ſtatum innocentiæ nos reſtitueret, omnis ſtatim tolleretur è medio querelarum materia, & unuſquiſque abunde ſibi virium ſuppetere fateretur ad æternam conſequendam ſalutem; & tamen per auxilium gratiæ, à DEO cunctis promiſſum, qui rite illud petant, multò plus ſpiritualium virium etiam inter omnes vitiatæ naturæ corruptelas habemus, quàm per omnimodam primævæ juſtitiæ integritatem habituri eſſemus. Siquidem illa neminem poterat ſua tantùm vi à quibuſque capitalibus noxis tutum præſtare, ceu primos re ipſa genitores noſtros haud præſtitit: hæc verò univerſos, qui eam cum certa impetrandi fiducia petunt, ab omni in lethalem culpam lapſu quàm tutiſ-

ſi-

simos præstat. O suavissima DEI providentia, quæ hominibus in communis reatûs pœnam ità subtractum voluisti primævæ integritatis auxilium: ut aliud simul eisdem suppeditaveris longè validius, quóque si uti vellent, certiùs possent, quàm primi illius ope ad ultimum æternæ beatitudinis finem pertingere. Et quisquam adhuc erit, qui te accuset, tanquam nostræ minùs consulentem saluti: quique, si perierit, de sua queri possit necessariarum virium inopia: nec potiùs culpam omnem in solam conjicere vecordiam debeat, qua tuum quærere paratissimum cæteroqui auxilium neglexit? Jure equidem electum illud tuum vas, pro eo ut animum ob imbecillitatem naturæ desponderet, de illa potiùs gloriari se ajebat, quòd nempe à tua sustentaretur virtute: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* (2. ad Cor. 12.) Psaltes Regius sub tuis triumphalibus signis nullas hostium acies formidabat, animosè canens: (*Ps.* 26.) *Dominus Protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo.* Jure demum Ecclesia gratulandum nobis de Adami culpa censet: quippe quæ humanum omne

genus prosternens misericordiam tuam provocârit, ut illud omnipotenti tua dextera in in meliorem statum erigeres: *O felix culpa*, inquiens, *quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.* Ità sanè, *felix*, & triplici nomine: *felix* primò, quia locò veteris integritatis, quam illa nobis eripuit, certissimam obtinendæ tuæ opis viam nacti sumus, opis, quæ instrumentum est longè primo illo validius ad consecutionem ultimi finis. *Felix* rursus, quia necessitas, quæ indè consecuta est, assiduè dimicandi cum perversis animi motibus, in perpetuam te adjuvante convertitur meritorum, & cælestium quæstuum materiam. *Felix* postremò, quia omnes coruptelæ ab ea in nos derivatæ, quantò præsentem naturæ nostræ conditionem abjectam magis, & miseram reddunt, tantò in sincera animi demissione, quæ omnis sublimitatis fundamentum est, nos altiùs, & stabiliùs defigunt. Simus, age, quantumlibet cæci, imbecilles, ad malum proclives, innumeris ab hostibus circumsessi, innumeris objecti periculis; nihil horum afferre perniciem, nisi volentibus potest. Præsentissimum contra hæc omnia DEUS nobis remedium, & tutamen paravit, neque ad tantum munus certò obtinendum aliud nos præsta-

fare opus est, quàm ut illud confidenter petamus.

16. Jam verò quis unquam credidisset futurum, ut in hac ipsa tam misericordi, & munifica DEI promissione, qua cuilibet in dubiis animæ rebus opem suam imploranti se certissimè adfuturum recepit, ansam reperire aliquis possit, illius bonitatis carpendæ? & tamen non aliunde oritur quarta nonnullorum oppositio intrà se mussitantium, si DEUS non misericors modò, sed ipsamet misericordia est, nihilque facit libentiùs, quàm egenis succurrere, imò, teste Augustino, promptior est ad donandum, quàm nostrûm quilibet ad accipiendum, (*Serm. 31. de Verb. Dom.*) *Plùs vult* DEUS *dare, quàm tu accipere. Plùs vult ille misereri, quàm tu à miseria liberari;* cur deinde ad subveniendum necessitatibus nostris, quanquàm sibi compertissimis, nostras preces expectat: & si aliquis invocare eum omiserit, ipse quoque adesse illi omittit? Nimiùm certè hoc abhorret à voluntate liberali, & benefaciendi avida. *Properet licèt, serò beneficium dedit, qui roganti dedit.* (*Sen. L. 2. de Ben. c.* 2.) Non largiri sua munera hoc est, sed nundinari potiùs, & onerosa accipientibus reddere. Qui hoc pacto succurrit, animum præsefert

seu elatum, & suæ ostentatorem potentiæ, dum exigit, ut alter supplex sibi accidat, séque egenum, atque eo inferiorem palàm profiteatur. Quantò Trajanus ille meliùs, qui, ceu Plinius testatur, beneficio à se affectis, *hoc maximum præstitit, nè rogarent?* (*In Pan.*)

17. Talis horum ratiocinatio, imò, ut propriè loquamur, hallucinatio est. Cui ut inanem veri larvam auferam, hanc ex adverso veritatem statuo: nimirum, quamvis inter homines liberalioris animi specimen sit, prævenire, quàm expectare inopum vota, imò parcus potiùs, quàm liberalis suorum munerum vulgò habeatur, qui ea non nisi importunarum precum vi, & quasi tormento exprimi sibi è manibus patitur; DEUM tamen minùs beneficum, & liberalem futurum, si rogari ab hominibus negligeret, & quemvis, etiamsi non orantem, in quovis discrimine servaret incolumem; quàm sit in præsenti, cùm pro efficaci sua ope ad quoscunque casus obtinenda nostras exigit preces. Mirum illis fortasse, & creditu, probatúque arduum, quod proposui, videbitur; sed verissimum, & procul dubio admittendum deprehendent, si utilitates velint attendere, quæ ex DEO rite implorato nobis proveniunt. Nam primùm, quam-

quamvis oratio dirigatur, quasi ad finem, ad munera, quæ à DEO postulantur; non tamen merum, ac simplex eorum instrumentum est, sed adjunctam simul habet conditionem, & naturam finis, propter actus supernaturales eximiarum virtutum, fidei, humilitatis, & religionis, qui in illa exercentur, & sæpe majus bonum orantis sunt, quàm munera ipsa, quæ petit. Jam verò inter instrumenta merè talia, & finis simul rationem habentia, id interesse discriminis cernimus: quòd prima nihil expetendi habent per se ipsa, sed ratione solius finis, cui serviunt: quémque charius nobis foret sinè ipsis, quàm per ipsa obtinere: at verò altera, etiam sepositio finis, ad quem diriguntur, respectu, per sese, & propter insitam sibi bonitatem amari merentur: tantóq; optabilius nobis est eum finem per ipsa, quàm sinè ipsorum usu assequi, quantò majoris emolumenti est duo simul bona, quàm unũ duntaxat acquirere. Quocirca, sicuti nemo unquam fuit, qui venæ sectionem, ídque genus remedia, nisi ex amore sanitatis vellet, & cui hanc sinè talibus instrumentis, quàm eorum auxilio reparare, gratius non esset; sic nullum è contrario reperire fas est, qui, si doctrinam consequendæ alicujus dignitatis gratiâ quærit,

non etiam ſuimet causâ expetendam putet: & cui non major ſua utilitas videatur, quòd illius potiùs, quàm vulgari alio tramite ad optatam dignitatem pervenerit. In ſecundo namque eventu ſola dignitate potiretur, at in primo tum illius, tum doctrinæ etiam bono eſſet dives. Quonam igitur pacto cenſeri aliud, quàm liberalitatis effectus in DEO poteſt, pro ſuis muneribus noſtras preces exquirere? cùm hoc pacto ea nobis impertire nihil aliud ſit, quàm velle eorum numerum, & pretium congeminare: ità ut locò aſſequendi ſingulis vicibus unius ſolummodo boni, quale eſſet donum non orantibus ultro elargitum, duo conjunctim aſſequamur bona: cujuſmodi ſunt hinc munus, quod ab eo accipimus; hinc orationis, quam ei obtulimus, meritum. Appelletur ſanè, ſi ità libet, hæc benefaciendi ratio beneficiorum venditio. Fas enim mihi erit acclamare: O venditionem, quavis donatione liberalem, & beneficam magìs! utpote quæ geminæ donationis meritum in ſe continet: qualis prorſus venditio hominis foret, qui, ſuas merces venum expoſitas habens, pretium pro iis ſolvendum emptori donaret, ac deinde unà cum mercibus illud quoque ei habendum relinqueret.

18. Præ-

18. Præterea neminem fugit, remota etiam meriti consideratione, nihil esse homini æquè fructuosum, ac cælestis sui Patris memoriam crebrò instaurare, filii ritu cum illo agere, suas illi necessitates confidenter aperire, seque indigum divinæ illius opis agnoscere. Qui actus & à vera oratione abesse nequeunt, & multò à nobis rariùs exercerentur, si nullis precibus opus foret ad promerenda DEI munera, sed horum ipse copiam ultronea, & indifferenti largitate non orantibus æquè, ac orantibus faceret. Ut proinde dubitari non possit, quin singularem erga nos benevolentiam, & perquam sedulum nostræ utilitatis studium DEUS præsetulerit, dum nostram hujusmodi secum consuetudinem, quam tantum esse hominis bonum sciebat, veluti conditionem obtinendi certissimè in quibuslibet necessitatibus sui auxilii à nobis exegit. Ità quippe necessitatem quamdam nobis imposuit, tam assiduè secum agendi, quàm assiduè illius ope indigemus. *Felix necessitas, quæ ad meliora compellit.* (*Aug. Ep. 45.*)

19. Accedit huc, quòd cujusvis generis bona gratiora accidere hominibus solent, si ad eorum acquisitionem aliquid pro virili sua parte contulerint, quàm si nihil ibi sui vide-

ant: ceu aper exempli gratiâ plus ei affert voluptatis, à quo in venatione prostratus ferro fuerit, quàm alteri, cui dono missus. Unde etiam parentes ludendi gratiâ consueverunt interdum parvulis suis filiis pomum, sive aliud sapidioris edulii genus, pugno adstrictum offerre, non aliter tamen habendum, quàm si illud per vim sibi è manu eripuerint: oblectantes se deinde spectaculo tum extremorum conatuum, quibus simplex illa ætas laborat, propositum munus suis è digitis extorquere; tum gratulationis, & lætitiæ, qua demum, iis se vinci annuentibus, compos voti facta, illud comedit: multò magis de præda sic acquisita sibi placens, plaudénsque, quàm si nullo sibi eadem constitisset labore. Quæ omnia quisquis rite perpenderit, næ omni procul dubio aspiciet, necessarium DEO fuisse, ut, si amantiùs, benigniúsque, modo nimirum naturæ suæ magis proprio, cum hominibus agere in animo habebat; nè sua cuivis beneficia citra omnem accipientis conatum largiretur, sed exigeret potiùs ea sibi à nobis Jacobi instar luctantibus per amicam orationis vim extorqueri.

20. Neque ullius est in contrarium momenti, quòd alienissimo homines animo sint, ab

ab aliorum ope imploranda: adeò ut nunquam, nisi coacti ab egestate, id faciant: quin imò satiùs sæpe arbitrentur, in sua permanere inopia, quàm tali eam remedio levare: saltèm carò sibi emptum semper ducant, quidquid acquisiverunt precando: juxta illud Senecæ dictum; *Non tulit gratis, qui, cùm rogâsset, accepit. Nulla enim res cariùs constat, quàm quæ precibus empta est.* (*Lib. 2. Ben. c. 1.*) Esto quippe verissima hæc sint, quoties ad homines rogandæ opis gratiâ confugitur; nullum certè habent locum, ubi DEO supplicatur: idque ex quatuor potissimùm causis. Prima est: quia preces hominibus oblatæ, merum sunt alterius distincti à se boni instrumentum, nec quidquam appetendi per se habent, quemadmodum haberi ab iis vidimus, quæ DEO nuncupantur. Secunda: quia supplicantes homini palàm præferimus, illius nos auxilio indigere, ac propterea inferiores illo esse: quod invitissimi facimus, ubi personæ sunt ejusdem nobiscum naturæ: at non etiam, ubi profitendum idem sit de supremo universitatis Conditore, atque Domino: quo, sive illum rogemus, sive non rogemus; manifestum cuique est, longissimè inferiores nos esse, inque omnibus eo nos indigere. Tertia: quia,

cùm homines precibus convenimus; justa adest nobis ratio timendi, nè molesti illis simus, petendo sive eorum operam, quam vix unquam navare aliis sinè suo labore, & incommodo possunt, sive rem, & pecuniam, cujus tantum illis decrescit, quantum in alios derivatur. At confugientes ad DEUM, nullam prorsus occasionem habemus metuendi, nè ille molestiâ idcirco afficiatur, nobisque tanquam importunis succenseat: cùm præ infinita sua opulentia, & virtute, quidquid mortalibus beneficii præstat, absque ullo dispendio, & labore suo præstet, nihilque gravius ferat, quàm quòd non rogetur. Quemadmodum mater, ac nutrix tantùm abest, ut percipiat molestiam, ubi infans suo lacte ali expetit, ut potiùs gravari se sentiat, nisi humore illo sibi supervacuo ubera exoneret: & *contristetur, si desit, qui accipiat.* (*Expos. Lib. Reg. inc. Auth. sub nom. S. Euch.*) Quarta demum, quia homines sæpe dandi morâ, & difficultate petitores fatigant: sæpe etiam fastuosa suorum munerum venditatione graves accipienti sunt, eúmque, tanquam sibi obnoxium despiciunt. Contra prorsus, ac DEUS, qui, teste D. Jacobo, *dat omnibus affluenter, & non improperat:* (*Ep. c. 1.*) imò, ùt addit Nazianzenus, (*Or. 2. de Theol.*)

Cùm

cùm beneficium ab eo petitur, beneficio se affici putat: jucundiùs dat, quàm alii accipiunt. Et, quamvìs justam à nobis pro beneficiis, quæ accipimus, grati animi vicem reposcat, & interdum dona sua differat, donec pluries rogetur; non tamen illud facit, quòd suum indè lucrum quærat; aut quòd minùs prompto ad largiendum animo sit, sed utrumque ex puro majoris nostri boni respectu. Unde luculenter apparet, quàm non modò utilis, verùm etiam observatu facilis hæc conditio sit, quam ad cælestia sua dona promerenda DEUS à nobis requirit: cùm nihil demum sit, nisi in rerum necessariarum penuria ad amantissimi parentis opem confugere. Quod ab omnibus filiis sinè ulla difficultate, animíque repugnantia fieri assiduè videmus: præsertim si sciant, petitam à parente opem nullo ipsi labore, atque impendio constare.

21. Ah ubinam in nostris animis est, quem esse opoteret, de natura, & bonitate DEI sensus? Recordemur, quæso, principem eum esse tantæ liberalitatis, opulentiæque, ut neque desistere unquam nôrit à suis in nos profundendis muneribus; neque hæc quantacunque eorum profusione vel tantillùm imminui possit: quin potiùs miro quodam, & prorsus in-

insolenti prodigio per ipsammet sui erogationem videatur augeri. Cùm nihil opum creatarum ille actu possideat, nisi quod ex omnipotentiæ suæ ærario depromit, reliquis omnibus in nihilo extra omnem, quà nostrum usum, quà præsentem suam possessionem remanentibus: ut proinde, quantò plus boni aliis largitur, tantò amplior dici possit actualis illius extra sese opulentia. Recordemur, quámvis ille naturâ noster, ac rerum omnium Dominus sit; dignatum nihilominus pro incomparabili benignitate sua nos ex servili conditione in filiorum sortem, & jura adoptare: adeò ut verissimè *filii DEI nominemur, & simus:* (*Ep. 2. Joa. c. 3.*) ideóque etiam præcepisse, ut oraturi in ipso precationis vestibulo Patrem se nuncupemus: imò professum insuper esse à nulla matre impensiùs amari suam sobolem, quàm ipse nos amet: ceu suavissima illa apud Isaiam ejus verba declarant. *Numquid obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego non obliviſcar tui.* (*Iſa. c. 49.*) Recordemur postremò, etiamsi, priusquam sua in nos munera effundat, rogari à nobis velit, non tamen propterea hoc ab eo fieri, quòd aliquo indigeat, qui vel nostras necessitates ei repræsentet,

ret, perinde quasi non assiduè de illis cogitaret; vel ad easdem propulsandas eum stimulet, tanquam si parùm efficax ipsi ad id stimulus suamet naturalis bonitas foret: sed causam hujus moris, & instituti sui esse, quia videt, ipsammet orationem, qua aliquid ab eo petimus, genus boni esse à munere petito distinctum, & sæpe quidem eo majus. Repetamus hæc, inquam, memoriâ: ea siquidem rite considerantibus nunquam porrò veniet in mentem, seu duram vocare, quam cælestis Pater nobis imposuit, ad eum in quovis nostro discrimine confugiendi necessitatem, seu liberaliorem eum futurum arbitrari, si absque hujuscemodi conditione suis nos ultroneè, & à nemine provocatus, beneficiis ditaret.

CAPUT XXVI.

Alia refellitur objectio, ex æternitate infernorum cruciatuum desumpta.

SUperest ad extremum divinam bonitatẽ tueri adversùs tacitas nonnullorum querelas, quibus nimia severitas, summæque illi, quam in DEO prædicavimus, clementiæ haud sa-

satis consentanea videtur, æterna sub orcu decreviſſe impiis ſupplicia: nec unquam, etiam poſt millena, & iterum, iterúmque millena annorum millia ullo miſerationis ſenſu tangi de intolerandis eorum cruciatibus, qui vel caucaſi rupes, nedum immaniſſima quævis pectora poſſent ad pietatem inflectere. Priùs tamen, quàm directè, & collato quaſi pede cum hoc adverſario congrediar, ſtatuo hìc pro certiſſimo, neutiquam duo hæc ſibi invicem repugnare: nimirum ut judex reum aliquem & maximopere amet, & nihilominus pro culpæ ſuæ merito puniat. Cùm non deſint eorum exempla, qui capitali ſupplicio conjunctiſſimos ſibi ſanguine affecerunt, eò quòd, licèt eos plurimùm, plùs iis tamen æquitatem diligerent. Qualis inter cæteros fuit ille Junius Brutus, Romanæ libertatis fundator, ejuſdémque tam ſolicitus cuſtos, *ut filios ſuos, Tarquinii dominationem reducentes, pro tribunali virgis cæſos, & ad palum religatos, ſecuri percuti juſſerit*: (*Val. Max. L. 5. c. 8.*) ſacrificans hunc in modum Reipublicæ amori privatæ domûs ſuæ fulcimenta, poſteritatis ſpei, affectúſque à natura humano cordi maximè inſitos. Hoc itaque extra controverſiam poſito, ſi palàm oſtendero, æternos infe-

ro-

rorum cruciatus esse pœnam æquissimo jure humanis criminibus debitam, an non indè constabit, posse DEUM, quamvis paterno amore peccantes complectatur, tali eos supplicio damnare? Constabit haud dubiè: nec aliud propterea ad hujus consequentis perspicuitatem requiritur, nisi ut prior propositio, quæ illius quasi fundamentum, & radix est, demonstretur. Undenam ergo idoneum ei demonstrandæ argumentum ducemus? Ducitur communiter à Theologis ex infinita Dei bonitate; quæ cùm capitali quovis crimine offensa sit, sequitur, quòd hoc malitiâ contineat infinitâ haud minorem, dignámque idcirco, cui supplicium irrogetur, si minùs secundùm gravitatem, at secundùm temporis longitudinem infinitum.

2. Et certè, si summa DEI magnitudo, & amabilitas intimè à nobis perspici posset, satis supérque id foret, ut evidentissimè cognosceremus, cuilibet tantum Dominum offendenti justè deberi, imò & impar suis meritis esse quodvis etiam æternum supplicium. Sed, quia incomprehensibilem supremi illius entis præstantiam, non nisi obscurissimè attingimus, difficillimúmque nostræ imaginationi est, eam in illius offensis infinitam improbitatem

tem

tem concipere, cui vindicandæ nulla æternitate brevior pœna par sit; aliam ineundam probationis viam mihi duxi, rudi vulgo magìs accommodam, quaque præeuntem etiam imbecillimæ, & tardissimæ quæque mentes haud ægre consectari me valeant. Libet itaque ratiocinari hunc in modum: Si peccata non mererentur æternùm puniri, injustè procul dubio DEUS ageret, dum æternis ea punit suppliciis. Atqui vel ipso naturali lumine manifestissimum est, injustitiam non posse ullo pacto in DEUM cadere, ergo manifestum quoque est, dum peccata æternis à DEO puniuntur suppliciis, nequaquam justo illa gravius, sed pro merito suæ malitiæ puniri. Argumento ad omnimodam evidentiam nil deest: sed evidentius adhuc fiet, si attendamus, quàm nulla DEO possit causa suppetere, cur in hominum vindicandis criminibus justæ severitatis modum excedat. Unde enim contingit, ut mortalis quispiam judex sæviores interdũ, quàm par est, reis pœnas decernat? Non aliunde profectò, nisì, quia vel immanem, & ferinam sortitus à natura indolem est, vel efferveścentis iracundiæ impetu ultra recti fines abripiatur, vel emolumenti indè aliquid speret, vel decipiatur, gravius sibi fingens, quàm re-

revera sit, crimen, parémque ipsi pœnam, quæ alioqui ultra ipsius meritum est. Quænam igitur ex hujusmodi causis impellere supremum Judicem potest, ut atrociores, quàm æquitas, ratióque exigit, nostris facinoribus pœnas infligat? Num mentis deceptio? At quis citra contradictionem hanc in eo imaginari queat, qui ipsamet veritas, & prima sinceri omnis judicii regula est? Num propriæ alicujus emolumenti cupiditas? At neque illa per se ipsam beatissima, & infinitè dives natura ulteriοris quidquam boni acquirendum habet; & quamvis percipiendæ alicujus utilitatis capax foret, ecquam tandem perciperet ex nimia in nobis cruciandis sævitia? Num iracundiæ, furoríque impotentia? At hujusmodi tempestates in animis nostris, velut in ima, terrenáque aëris regione, debacchari solitæ, nullam vim habent aspirandi ad excelsissimum naturæ illius, semper sibi similis, & omnino immutabilis cælum. Num ingenium atrox, tirannicum, nec alia re magis, quàm sanguine, & cædibus gaudens? At, si tali ingenio DEUS esset, non eum audiremus, cùm irrogaturus est sontibus pœnas, quasi lamentantem dicere, (*Es. c. 1.*) *Heu, vindicabor de hostibus meis*: neque id ministerium esset *opus*

alienum, & peregrinum ab eo, quale ab Isaia appellatur: (*c. 28.*) & quale esse liquidò aspiciet, quisquis rationem observet, qua ab ipso exercetur. Quemadmodum enim non nisi invitus, coactúsque ab hominum culpis illud suscipit, sic plerumque ad longissimum tempus differt eo fungi: solicitè expectans, si fors impii per pœnitentiam ab ingrata eos puniendi necessitate se eximant, assiduéque illos interim stimulans, ut resipiscant, & læsam placare ultro curent justitiam. Quod si ab iisdem tandem obtineat, videtur quodammodo allevari, & respirare, & quasi pro magno munere accepto iis debitor fieri. Ex quibus signis omnibus fas cuique est manifestò colligere, quantùm absit à criminibus immodico rigore plectendis, qui ægre adeò ad justam sumendam de iis ultionem descendit, & *cùm iratus fuerit, misericordiæ recordatur*: (*Habac. c. 3.*) nunquam sejungens à justitia puniente, clementiam, ad quam ipsomet naturæ suæ pondere impellitur. Si ergo nihil excogitari potest, quod causam DEO præbeat, animadvertendi justò acriùs in hominum noxas; imo naturalis ejus benignitas ad debitæ animadversionis rigorem magna potiùs ex parte leniendum, quàm vel minimo momento aggra-

gravandum propendet; concludamus neceſſe eſt, nihil illum, dum peccata ſempiternis cruciatibus plectit, in peccantes ſtatuere, quod non æquiſſimo jure iis debeatur, quódque ideò juxta poſitum ſuprà à nobis principium, cum paterna erga nos charitate nequeat conjungi. Neque verò mihi quiſquam reponat, noſtrum illud principium legitimam quidem vim habere, quoties de præſentis ſæculi pœnis ſermo eſt: non verò ubi de infernorum cruciatuum æternitate agitur: pœna nimirum ultra communem cæterarum omnium modum tam atroci, & horrenda, ut, quamvis juſtè decreta, nullo modo componi poſſe videatur cum judicis benevolentia erga reum, cui decernitur. Vana eſt, ac ſinè ullius rationis fundamento hæc exceptio. Quantumcunque enim gravis ſit æternorum averni ignium pœna; nihilo certè levior eſt offenſi Numinis culpa: quáque congruentia, & proportione minoribus delictis, minora alia ſupplicia, hac etiam ſummum omnium ſupplicium ſummo omnium delicto reſpondet. Quapropter veluti rectus quivis judex, licèt reum magnopere amet, poteſt nihilominus levia ejus delicta leviter, & graviter gravia punire; ſic, ubi extremæ is malitiæ facinus perpetraverit, po-

teſt ei, quamvis cæteroqui amiciſſimo extremæ atrocitatis pœnam infligere.

3. En itaque ratio, qua poſſit DEUS & paterna charitate homines proſequi, & tamen, ubi ſua improbitate id commeriti fuerint, ſempiternis eos ſuppliciis damnare: ratio & cuilibet eam examinanti intellectu facilis, & intelligenti ſatisfacere valens. Imò, ſi rem libeat paulò attentiùs perpendere, animadvertemus, minori curæ noſtram DEO utilitatem futuram fuiſſe, ſi noſtris criminibus brevius æterno ſtatuiſſet ſupplicium: nec hujuſmodi ſeveritatem repugnare illius erga nos benevolentiæ, ut ab hac potiùs, tanquam à principio, & fonte ſuo derivetur. Fac enim peccantibus nulla eſſet propoſita, niſi certi temporis pœna; quotuſquiſque non videt, quàm paucos illius terror cohiberet à vitiis: cùm quàm plurimos non ſatìs abſterreat vel æterni comminatio ſupplicii? Næ humana tunc improbitas non validius non peccandi haberet frœnum, quàm nunc habeat in temporario purgantium flammarum ergaſtulo: cujus formido vix ulli ſatìs eſſe cernitur, nè à pravis naturæ cupiditatibus, & bonorum ſenſibilium illecebris tranſversùm ſe abripi ſinat: ſempiternis proinde tartari cruciatibus è medio ſublatis, ſe-

que-

queretur, orbem terrarum sceleribus, vitiisque totum compleri, cælum verò animabus piis penè vacuum relinqui. Opportunissima igitur, imò & communiter necessaria humano generi fuit, ad æternæ consecutionem beatitudinis, æternæ comminatio miseriæ, ut ad summum bonum quærendum summi saltèm mali timor nostrã extimularet ignaviam: juxta providum, & salubre illud munus, quod Evangelicus Paterfamilias uni servorum injunxit, non invitare solummodo, sed & cogere ad convivium suum jubens, quoscunque obvios haberet. *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.* (*Luc.* 14.) Potuítque ideo DEUS, ceu pluries observat Joannes Chrysostomus, ex majoris nostri boni amore, atque studio, hanc nobis necessitatem imponere, ut, nisì piè & castè vivendo æterna promereremur cælestis regni sui gaudia, æternam nobis sciremus apud inferos subeundam esse miseriam. (*Hom. 23. in Genes. & Hom. 16. in Ep. 1. ad Tim.*) *Ipsam etiam gehennam propterea condidit, ut metus pœnæ, intolerabilisque cruciatûs ad regnum nos cogat. Non ergo minùs, quod semper dico, DEI providentiam commendat gehenna, quàm promissio regni. Quippe huic illa cooperatur, dum metu ad id compellit*

homines. Nec est sanè, cur eam rem immanitatis, atque atrocitatis esse putemus, sed misericordiæ potiùs, & singularis in nos benevolentiæ signum. Idque luculentiùs adhuc perspici potest, si efficacissima cogitentur adjumenta, & præsidia, ad funestam illam æternitatem vitandam ab eo nobis relicta: quæ certè adeò facilem cuivis ea rite usurpanti reddunt sempiternæ acquisitionem salutis, ut incredibile quodam modo videatur, vel unum ex Christianis hominibus fore, qui æternùm pereat: quemadmodum è contrario nequit sinè extrema admiratione spectari prodigiosa amentia, & stoliditas, qua eorum tam multi absque ulla vel sui, vel DEI cura belluarum instar, omni usu rationis carentium, clausis oculis, alii alios urgentes, ad æternæ damnationis barathrum ruunt: Deóque invito, & nihil non agente, ut eos incolumes servet, omnibus sibi viis extremam perniciem accersunt: veteri Hebræorum populo similes, de quo in libris Paralipomenon legitur. (*L. 2. c. 36.*) *Mittebat Dominus DEUS ad illos de nocte consurgens, & quotidie commonens, eò quòd parceret populo. At illi subsannabant nuntios DEI, & parvi pendebant sermones ejus, illudebántque Prophetis: donec ascenderet furor Domini in populum ejus, & esset nulla curatio.*

4. At

4. At si mirum, & paternæ DEI bonitati dissentaneum non est, quòd deplorata, & inexpiabilis malitiæ capita perpetuis inferorum suppliciis damnet; illud saltèm percipi nequit, quonam pacto, cùm impensè adeò etiam reos homines diligat, nulla unquam inexhausti eorum cruciatûs satietate, & misericordia afficiatur. Ità sanè nonnulli secum differere, & mirari pergunt. Quorum sanandæ inquietudini nihil ultrà opus mihi erit, nisi ut tres, unde illa oritur, præposteras imaginationes ex eorum mentibus deleam. Prima est, quòd DEUM sibi repræsentant perturbationibus humanis obnoxium, dúmque sontes condemnat, violentis iracundiæ, & ultionis affectibus æstuantem. Cùm enim id genus affectus in nullo Polyphemo, aut Mezentio ità pertinaces sint, ut post nullos, ùt ùt acerbos, & diutinos exosi capitis laniatus deficiant; insolens iis præter modum videtur, quòd in Deo tam clementi cæteroquin ultore, nullis suorum hostium cruciatibus expleri queant, sed per totam, quanta est, æternitatem vivaces, & implacabiles durent. Curandum igitur nobis est, ut secundùm contraria, & certissima tum fidei divinæ, tum rationis humanæ principia, statuamus apud animos nostros supre-

mum illum Judicem, quantiscunque injuriis affectus fuerit, nunquam tamen ab impetu, & fervore iracundiæ, sed à puro, & tranquillo recti amore ad eas vindicandas impelli: nec supplicii iis præscripti acerbitatem exactius cognoscere, cùm illud à fontibus jam subitur, quàm cùm à se primò decernitur. Adeò ut in pronuntianda adversùs aliquem æternæ mortis sententia statim mente comprehendat, quàm gravis damnato ea pœna futura sit, non primo duntaxat die, vel anno, quo eam tolerabit; sed reliquis porrò universis, quibus tolerare illam perget: nec non singillatim, & summa cum distinctione tunc prævideat innumeram omnem contorsionum, ejulatuum, & gemituum seriem, quibus per totam deincéps æternitatem suum damnatus dolorem, furorémque cogetur depromere: sed, quamvis hæc omnia tunc præ oculis, ínque numerato habeat, judicans nihilominus pœnam illam, quantæcunque atrocitatis, & longitudinis sit, reo justè ob sua maleficia deberi; eam ipsi ex nullo alio, quàm puræ æquitatis instinctu velit, & sanciat. Unde fit, nullâ post quantoscunque sæculorum cursus illi superveniente seu clariori notitiâ, circa infelicem hominis statum, quem semel damnavit, seu nova ratione

one voluntatis, qua eum damnavit, mutandæ, nullo unquam tempore hanc revocet: sed veluti olim æquitate, & justitia impellente æternis illum orci flammis addictum voluit; sic semper eâdem illâ causâ pristinam vim suam retinente, pergit ille idem semper velle, quod voluit. Paucis: affectus temporaria res est, ratio perpetua. Ille surgit, & cadit, oritur, & deficit: hæc mutationum, & vicissitudinum nescia, qualis semel fuit, talis est semper. Ac proinde, qui illius auspiciis regitur, jam hoc, jam illud vult: qui hanc sibi pro volendi regula assumpsit, eandem habet semper, ùt eadem semper illa est, voluntatem. *Justitia tua justitia in æternum.* (*Ps.* 118.)

5. Secunda fallaciam, quas dixi imaginationum est, eundem in DEO habitudinis, & proportionis respectum ad animas orco damnatas concipere, qui ad easdem nobis inest mortalibus. Adeò ut non aliter inhumanitatis vitio vertendum ei sit, quàm verteretur nobis, nullo piæ miserationis sensu affici de sempiterna earum miseria. Præpostera, inquam, & saniori corrigenda judicio isthæc quoque est animi species. Nempe homo, si à gratiæ sanctificantis statu, per quem divini ordinis, generisque erat, in lethalis culpæ sta-

tum devolvatur; longè vilior apud DEUM evadit, omníque illius curâ indignior, quàm reſpectu noſtri ſit muſca, vel quodvis aliud abjectiſſimum animal. Quocirca ceu nos, ſi videre fors contingat viperam lethaliter ſauciam, vel muſcam ab hoſte araneo comprehenſam, & fruſtrà evadere laborantem; adeò nihil indè mœroris capimus, ut potiùs ea ſpecie oculos, animúmque oblectemus, præſertim, ſi à muſca inquietati, aut à vipera lethifero morſu appetiti aliquando fuerimus; neque ideo inhumanitatis, & ſævitiæ à quoquam culpamur, eò quòd illæ brutæ animantes ſint, nullóque haberi loco ab hominibus dignæ; ſic & multò potiori de cauſa, ubi homo divinæ gratiæ decus amiſerit; nihil jam dignitatis, & meriti retinet, ut DEUS ullius illius mali curâ tangatur, aut aliter exinde illum ſpectet, ac veluti quodpiam, non vile duntaxat, ſed & noxium, ac deteſtabile animal. *Homo, cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* (*Pſ.* 48.)

6. Quòd ſi aliquis fors ſubjiciat, mereri quidem impios ſub orco, nè DEUM ſempiterni eorum cruciatûs miſereat: ſatíſque ideo conſtare, quonam pacto hic extremæ illorum miſeriæ neglectus à crudelitatis culpa abſit, ſed non

non etiam satìs apparere, quo pacto idem componi possit cum ardentissimo illo amore, quo DEUS homines communiter prosequi fertur. Si quis, dico, ità instet, respondebo illi, hoc ipsum, quòd minùs id se assequi subjicit, ex alio proficisci imaginationis errore, concipientis scilicet, pro divini amoris objecto, quidquid universè hominum est, sinè ulla distinctione inter justos, atque impios, intérque impios, alios in terris etiamnum pœnitentiæ capaces, & alios sub orco ab omni melioris frugis, & sanitatis spe æternùm proscriptos. Quæ distinctio hìc tam est necessaria, quàm multùm inter se differunt tres, quos modò retuli status, status nimirum gratiæ divinæ, status culpæ in terris, & status culpæ apud inferos. In primo enim quemadmodum homo *divinæ consors naturæ est*; ità jus habet, ut paterna charitate à DEO foveatur, & amici locò apud eum sit: at in posterioribus, quemadmodum à supernaturali illa, qua ad DEUM accedebat, gratiæ dignitate excidit, longéque ideo inferiori loco apud eum est, quàm viliſſimæ quæque apud nos pecudes sint, ità nihil ultra meriti habet, cur DEO curæ sit, nec potest ab illo, nisì per eximium quoddam benignitatis prodigium amari, & foveri. Et

hæc

hæc ſanè benignitatis prodigia non definit clementiſſimus ille Pater ſcelerato cuivis homini exhibere, quoad ille vitam in terris producit, providentiſſimis mille modis curans, ex præſenti illum brutæ pecudis conditione in filii, & amici ſui ſtatum reponere. At ſi ille ſinè ullo vel divinæ bonitatis, vel ſuæ ſalutis reſpectu, in præſenti culpæ admiſſæ reatu prorogare vitam pergat, & demum mortem quoque obeat; tunc enim verò ratus ſatis ſe ſummæ benignitati feciſſe, hujus locò exercendum erga ſontem jam ſumit eum rigorem juſtitiæ, quo per incredibilem, prodigioſiſſimámque clementiam uti tamdiu ſuperſedit: neque ideo aliter cum eo in poſterum agit, quàm cum abjectiſſima pecude, qualis re ipſa eſt, ſuámque per contumaciam, & obſtinationem perpetuò eſſe voluit. Nemo itaque mihi objiciat, ſi DEUS effusè adeò impios amavit, dum viverent; quî poteſt ſinè ullo pietatis ſenſu eoſdem nunc intueri, in æternam prolapſos miſeriam? Reſpondebo illi ſiquidem: quòd eos olim ità amaverit, gratuitæ prodigium clementiæ fuiſſe, aliúdque illi ſimile, imò & admirabilius prodigium fore, ſi etiam nunc ità amare illos pergeret. Sed tamen neceſſarium non eſſe, nec tanquam pro legitimo jure, atque debito poſ-

posse ulli expectandum videri, ut, qui longo tempore multa, & rara perpetravit miracula, quovis tempore & loco ea pergat continenter patrare. Quemadmodum igitur, si per impossibile meam ego vermi cuipiam impertirer naturam, ex bruto illum animali transmutans in verum hominem, ísque paulò post, nescio qua vecordi libidine actus ex nova meliori natura, qua donatus à me fuerat, in pristinum ultro vermis esse transiret; neutiquam certè ego obligarer, eò quòd aliquamdiu homo fuisset, etiam postea cum eo, tanquam cum homine agere, plúsque illi, quàm cuilibet alteri honoris deferre: &, quando pergerem, nihilominus pristina eum humanitate complecti, curam ubique illius gerens, omníque studio laborans ei persuadere, ut homo fieri iterum vellet; quidnam hoc aliud, nisi mirum & insolens gratuiti amoris specimen foret? quamobrem, si obfirmatum denique aspiciens in nativa conditione sua retinenda, omitterem jam exinde aliis eum modis, quàm qui vermiculum deceant, tractare, nemo sanè admiraretur potiùs meam erga illum benevolentiam ad extremum desiisse, quàm tamdiu perdurâsse: &, pro eo ut vel unus diceret, cur hic vermem illum instar hominis ampliùs non diligit?

git? omnium potiùs vox esset: quomodo hucusque ità illum potuit diligere? Non dissimili ratione, cùm homo per peccatum gratiam sanctificantem projecerit, cujus munere in naturæ divinæ consortium adscitus fuerat, remansit absque illa multò apud Conditorem suum contemnendus magis, & amari ab eo indignior, quàm ulla brutarum animantium habeatur. Quid ergo, nisi admirandum, & singulare benignitatis exemplum censeri potest, quòd summus ille Dominus pergat nihilominus caput tam indignum paterna charitate, & providentiâ complecti, nunquam omittens, quoad homo in terris vitam exigit, prompta ope illi adesse, sempiternam illius salutem omnibus modis assertum ire, brutísque, ac terrenis libidinibus indulgentem, ad suam rursus gratiam, & naturam vocare? Aut quisnam esse potest admirationi locus, si, postquam hic contumaci usque ad mortem fastidio oblatum sibi munus rejecit, imò etiam in malefactis suis obiens illius se perpetuò incapacem reddidit; ipse in posterum pro vilitatis suæ merito eum tractet, pristinámque erga illum benevolentiam ex animo tandem ejiciat, quam eatenus erga immerentem retinuisse, inauditæ bonitatis prodigium fuerat? Nemi-

ni

ni potest mirum videri, si assiduè id non eveniat, quod vel semel evenisse pro miraculo est. Quæris, quomodo nullo commiserationis affectu tangatur DEUS erga addictas æternæ morti animas, quas paternè olim dilexerat? Dic, age, tu priùs, quonam earum merito diligere eas unquam potuerit? Quid miramur, quòd impiis sub tartaro misericordiam deneget? mirandum est potiùs, quòd vel in terris misericordiâ dignatus eos fuerit.

7. Addo corollarii locò, quamvìs fontes apud inferos animæ nihil pietatis apud DEUM mereantur; illum tamen, ceu qui ipsamet pura, & summa bonitas, ac purus & summus amor est, nunquam desistere, quin paternam erga eas pietatem, ac benevolentiam retineat, quantam deploratissimus potest sempiternæ earum miseriæ status admittere. Cujus declarandæ rei causâ animadverto, duplicem modum esse, quo alienis compati possumus malis: alterum, conando illa è medio amoliri: ùt, cùm mater lapso, & ploranti filiolo auxilio venit: alterum, ægre ferendo, quòd illa adsint: ùt, cùm judex nollet facinus à familiari suo esse admissum, cujus gratiâ condemnare illum debeat, quem tamen, nè suo muneri desit, quamvìs invitus, condemnat.

Et

Et primò quidem fieri minimè potest, ut eorum DEUS misereatur, qui æternas scelerum pœnas apud inferos luunt: nam alioqui vel nunquam perpetuæ mortis sententiam deberet in eos ferre, quod communis providentiæ, & justitiæ illius leges non ferunt: vel semellatam post aliquod temporis spatium abrogare, quod necessariæ illius decretorum immutabilitati repugnat. At verò, quod ad posteriorem modum spectat, ajo, DEUM paterno erga fontes illas animas misericordiæ sensu affici, tum quando extremam in eas fert sententiam, tum in quolibet alio consequentis porrò temporis puncto: volendo quidem, sempiternis eas tartari flammis pro suorum facinorum merito discruciari, sed ità ut simul nollet, talem ab iis pœnam fuisse commeritam, exosámque ideo sibi necessitatem impositam, eas potiùs ad perpetua detrudendi inferorum supplicia, quàm ad æterna cælestis regni sui gaudia evocandi. Hæ igitur duæ veritates ad præsentis materiæ conclusionem certæ, & fixæ manento. Prior, animabus sinè ulla criminum expiatione ad æternitatem transgressis nullam ibi à DEO misericordiam deberi, cùm eam semper repudiaverint, & aspernatæ sint, quæ mortalis ævi tempore tam be-

benignè sibi oblata ab eo fuerat. Altera, tantam nihilominus supremi illius Judicis bonitatem esse, ut pergat etiam ibi paterno eas obtutu respicere, totóque pietatis affectu complecti, cujus esse adhuc possunt in miserrimo, sed justissimo æternæ desperationis suæ statu capaces: utpote qui *diligit omnia, quæ sunt, & nihil odit eorum, quæ fecit.* (*Sap.* 11.)

CAPUT XXVII.

Ad planiorem divinæ pulchritudinis intelligentiam, præmittuntur generales quædam de natura pulchri notiones: ultráque pulchritudinem sensibus notam, aliam quoque reperiri merè spiritualem, statuitur.

DUæ mihi causæ suaserunt, ut inter perfectiones divinas ultimo loco de pulchritudine agerem. Altera, quòd hæc veluti quoddam totum est, ex omnibus reliquis, ceu ex totidem suis partibus coagmentatum: unde nec plenè intelligi sinè prævia illarum explicatione poterat; & illis subjuncta eas rursus omnes exhibitura erat sub una generali appellatione,

atque ſpecie collectas. Altera, quòd eadem objectum eſt, nullo non alio ad voluntatem ſibi conciliandam validius. Quare conveni-entiorem locum videbatur eſſe habitura poſt bonitatem, quæ & ipſa voluntatem peculiariter rapit; quàm inter alias ſuperiùs deſcriptas, putà immenſitatem, potentiam, & ſimiles, quæ à natura habent, ut reverentiam potiùs, quàm amorem ſui objecti excitent.

2. Et primò nemini eſſe dubium poteſt, quin DEI pulchritudo reliquas omnes illius prærogativas, & perfectiones intrà ſe complectatur: tum quia pulchrum, & bonum, Authoribus Dionyſio Areopagitâ, & Thoma Aquinate, (*De Div. Nom. c.* 4. *&* 1. 2. *qu.* 27. *a.* 1. *ad* 3.) nequaquam duæ res, ſed duplex repræſentatio ejuſdem rei ſunt; tum quia, cùm nulla DEI perfectio non ſummam in peculiari ſuo genere pulchritudinem præferat; nulla quoque ad omnimodam pulchritudinem conſtituendam, quaſi hujus pars non concurrit: ac proinde omnia illa decora, quæ ipſum ùt optimum, pariter quoque ùt pulcherrimum exhibent. Explicandum tantummodo ſupereſt, quænam ſit propria, & peculiaris ſpecies, ratione cujus bonitas, & pulchritudo, licèt unum, atque idem in DEO ſint, duæ tamen nobis,

bis, ac diverſæ qualitates appareant. Id porrò ut perſpici queat, ſtatuo cum Angelico Doctore D. Thoma, (*1. p. qu. 5. a. 4. ad 1. & 1. 2. qu. 27. a. 2.*) *A bono propriè reſpici appetitum, à pulchro verò vim cognoſcitivam*: ità ut *pulchrum addat ſupra bonum, ordinem quemdam ad vim cognoſcitivam: & bonum dicatur, quod ſimpliciter complacet appetitui; pulchrum verò dicatur, cujus ipſa apprehenſio placet.* Et hanc ejus doctrinam paulò uberiùs declarans, addo, quamvis utraque facultas tam cognoſcitiva, quàm appetitiva, tum in bonum, cùm pulchrum feratur; rem tamen pulchram dici, prout duntaxat priorem facultatem oblectat; bonum verò, prout alteri placet. Exemplis manifeſtior res fiet: ſi tabulam ego Apellis contempler, nil ibi attendens, atque æſtimans præter ſingulare artificium, quo depicta eſt, ſolam in ea rationem rei pulchræ conſidero. Siquidem artificii elegantia dos eſt, quæ non aliis, quàm ſolis cognoſcitivis facultatibus viſui nimirum, & intellectui arridet. At ſi, cujus ea ſit pretii, cogitem, atque hac de cauſa habendæ illius deſiderio ſuccendar; eandem, licèt pulchram, non ùt talem, ſed ùt aliquid poſſidenti bonum reſpicio: cùm pretii magnitudo appetitum ſolummodo moveat, oculo-

rum verò, & intellectûs aciem minimè afficiat. Simili ratione possum principis alicujus viri liberalitatem intueri, & amare, vel prout virtus est, quæ aspici sinè approbatione mentis nequeat, vel quatenus emolumenti mihi quidpiam promittit. Ubi pariter quivis facilè agnoscet, eandem rem in priori consideratione velut pulchram, & in altera velut bonam spectari.

3. Atque hinc colligi possunt quædam notatu digna, inter amorem pulchri, & amorem boni discrimina. Primum est, amorem pulchri, prout merè talis, esse amorem puræ benevolentiæ, & ab omni propriæ utilitatis cura sejunctum: utpote qui in sola objecti perfectione hæret, eáque unicè delectatur. At boni amorem, accepti secundùm propriam rationem, qua à pulchro distinguitur, amorem esse, ùt vocant concupiscentiæ: utpote qui non objecti perfectione, sed fructu indè sibi proventuro gaudet. Imò Maximus Tyrius, (*Serm.* 11.) Platonicæ Philosophiæ principiis inhærens, non nisì pulchrum à vero amore spectari docet: solisque iis actibus voluntatis, qui in pulchro acquiescunt, propriè amoris nomen congruere, reliquos verò omnes debere potiùs cupiditatem vocari. Se-

cun-

cundum discrimen est, animam circa bonum agentis ritu se habere, ceu quæ illud concupiscendo ad se attrahit: circa pulchrum verò instar patientis, ceu quæ ab illo delectationis vi rapitur. Idque discrimen in ipsismet animadverti utriusque objecti definitionibus potest. Cùm & bonum ab Aristotele definiatur, (L. 1. *Rhet. c. 6.*) *Quod omnia appetunt*; & pulchrum à Dionysio Areopagita, secundùm vim Græci nominis, (*De Div. Nom. c. 4.*) *Quod omnia ad se vocat.* Tertium discrimen, observatum à Luciano, & Isocrate, est, bonum esse aliquando invidiæ materiam, pulchrum verò nunquam: cùm possint homines invidere alteri quamcunque ipsius dotem, imò & ipsammet pulchritudinem, si eam non aliter spectent, quàm ùt bonum ipsi utile: at non etiam, si eam intueantur, prout merè est pulchritudo: secundùm quam rationem nequit ullum objectum, alios in suis spectatoribus, quàm delectationis, & benevolentiæ affectus ciere. (*Luc. in Charid. Isocr. in Enc. Hel.*)

4. Jam verò, quod alterum hujus capitis initio affirmavi, efficacem præter modum, inque animis ad se rapiendis magico quovis carmine validiorem pulchri vim esse, documento esse possunt effectus sanè miri, vel ab ea

pulchritudine, quæ infima cæteroqui in ſuo genere eſt, ſenſibili nimirum, & corporea producti. Quamvìs enim nuſquam cernere in terris hanc ſit, omnibus ſuis numeris, partibúſque abſolutam (DEO id ſalubriter providente, nè loco ſublevandi, deducendíque ad divinam pulchritudinem hominum animos, retineret eos potiùs in ſui admiratione defixos, & ſupremi illius exemplaris oblitos) quis tamen explicare ſat poſſit, quibus illecebris ipſa hæc adeò imperfecta pulchritudo etiam ſapientiſſimorum, potentiſſimorúmque hominum ſibi corda ſubjiciat? adeò ut eam ſæpenumero, ceu decus cæleſte, & humano auguſtius venerari non dubitent, corámque illa ſuæ totius majeſtatis, ac potentiæ obliviſcantur: magìs gaudentes ei ſubeſſe, quàm alios ſibi habere ſubjectos, nihílque impenſæ, aut laboris recuſantes, quo poſſint rem gratam ei facere. Quæ confirmare Iſocratis teſtimonio poſſem, ſcribentis, erga perſonas hoc privilegio à natura ornatas ità nos communiter animo affici, ut *iis libentiùs inſerviamus, quàm aliis imperemus, majorémque iis gratiam habeamus, ſi multa imperent, quàm ſi nihil præcipiant.* (*In Enc. Hel.*) Sed multò illa evidentiùs confirmant, ſive Samſon prodi hoſtibus, invictó-

que

que ſuo robore exui ſe paſſus, nè Dalilam contriſtaret; ſive Salomon, in errores priori ſua ſapientia indigniſſimos à Moabitidum, & Ægyptiarum mulierum venuſtate abductus; ſive Holofernes captivus, imò & victima ſuæ deditiæ Judithæ. Ut alios præterea innumeros taceam, qui ſimilibus exemplis oſtendunt, quàm appoſitè in pulchritudinem quadret titulus à Carneade ipſi attributus, (*Laërt. in vita Ariſt.*) *Regni nulla armorum vi egentis.* Cùm, quòd magni Reges imperium, non niſi per ſuorum exercituum vires, nec ulteriùs, quàm ſuper devictarum gentium corpora acquirunt; ipſa per ſe tantùm, nullíſque ſeu armis inſtructa, ſeu agminibus cincta, ſupra ipſoſmet terrarum victores conſequatur. Adeò ut veriùs, quàm Cæſar, gloriari poſſit, ſatìs ſibi eſſe ad vincendum, ſi adverſas acies tantumodo videat: (*Plut. in Cæſ.*) *Veni, vidi, vici*: imò ſi tantummodo ab iis videatur. Quapropter non malè philoſophatus fuiſſe Neotericus quidam ſcriptor videtur, dum pulchritudinem definiri poſſe dixit: rem uſque adeò ad imperandum natam, ut homines ejus juſſa beneficiorum locò habeant, eíque ſervire felicitatem ſuam putent. (*Pignat. de Pulch. c.* 3.)

5. Fateor quidem, hujusmodi effectus non semper proficisci à puro, & liberali illo amore, quem supra proprium esse pulchritudinis diximus; sed plerumque originem ducere ex sordida quadam cupiditate, quæ pulchritudinem, quasi voluptatis instrumentum amet: ad hunc finem eam dirigens, non sinè injurioso, & penè sacrilego tam cælestis, & per se amabilis prærogativæ abusu. Ajo nihilominus, posse accidere, ut quispiam eximiæ alicujus pulchritudinis amore capiatur, licèt nihil indè fructûs sperans, eò quòd à persona adamata, ob longè disparem conditionem, neque ipse, neque suus amor sciri unquam possit: & tamen de nulla re magis quàm de personæ hujusmodi gloria, & felicitate gaudeat, nihil ægriùs ferat, quàm si ab aliquo injuriâ affectam videat, quibuslibet demum seu prosperis, seu adversis ejus casibus perinde afficiatur, ac si sua ibi res ageretur. Experientia certè palàm omnibus facit, nimis magnam doti huic vim inesse ad hominum animos, citra quævis alia incitamenta, in amorem sui detrahendos: neque ullum cor reperiri tam ferreum, ut arcanæ, & plusquam magneticæ illius efficacitati immotum resistat: nisi fortè aut oculis careat (qualem teste Laërtio

tio Aristoteles existimavit, percontanti: cur pulchra delectandi vim habeant? respondens: non nisi à cæco id quæri posse) aut oculos non hominis, sed belluarum habeat; (cùm his duntaxat nullum natura pulchri sensum indiderit) aut denique plusquam humana mentis acie sit, nempe adeò perspicax ad spiritualis pulchritudinis visum, ut præ excellentiori hujus fulgore corpoream quamvis lucem possit negligere. Nam cæteroqui, si hæc absint, seu ferini stuporis, seu intelligentiæ humanam excedentis prodigia, communem adeò inter homines pulchritudinis æstimationem, amorémque esse cernimus, ut D. Ambrosius ipsimet bonæ corporis valetudini eam præferre non dubitet: (*L. 1. Offic. c. 45.*) & suprà memoratus Isocrates, (*In Enc. Hel.*) *Nihil esse*, affirmet, *in tota rerum natura pulchritudine augustius, nihil pretiosius, nihil divinius*: Neque solùm receptus apud quasdam gentes mos fuerit, (*Strab. L. 6. & Athen. L. 13.*) eum sibi Regem eligendi, qui omnibus corporis specie antestaret; sed Aristoteles itidem censeat, (*L. 5. Polit. c. 3.*) si quis tali formæ præstantiâ esset, qualem Dii præferunt, cùm nobis intuendos se exhibent, dignum fore, cui cæteri omnes supremam potestatem, atque imperium de-

ferrent. Quare etiam David pulchritudini DEI Hominis virtutem attribuit, ſubjiciendi ſibi orbem terrarum, canens ei: *Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna.* (*Pſ.* 44.)

6. Quæ cùm ità ſe habeant, promptum cuique eſt indè arguere, quanti momenti ſit, ad flagrantiſſimum DEI amorem in corde excitandum, eum ſibi repræſentare ſub hac tam amabili ſpecie, ceu objectum videlicet ultra omnia, quæ videri oculis, vel fingi animo poſſunt pulcherrimum, imò ut ipſammet puram, archetypam, univerſalémque, & omnimodam pulchritudinem. Ah! ſi talem illum aſſueſcamus concipere, nemo certè unus erit inter homines voluntatis tam obtuſæ, quin motus ſaltèm in ſe experiatur, à pulchritudine creata, & infinita cieri ſolitos: motus nempe amoris uſquequaque puri, & ab omni utilitatis propriæ reſpectu vacui; cujus ſuaviſſima vi totus extra ſe rapiatur, ínque illud incomparabile objectum cum ſuis omnibus curis, atq; affectibus tranſeat: nihil æquè optans, ac illi gratificari, ac illius honori inſervire, ac, quoſcunque hominum poſſit illius ad obſequium perducere, nec quidquam alibi habens, unde tantum jucunditatis hauriat, quantum

ex

ex infinita illius perfectione, beatitudine, & gloria; aut de quo ità mœreat, ut de nimis exiguo illius inter homines amore, atque cultu. Sed, quoniam arcana incomprehensibilis illius naturæ decora apprehendi à nostris mentibus nisi per sensuum imagines nequeunt, neque hi alias nobis suggerunt, præterquam corporeæ pulchritudinis species; ad enitendum supra illos illorum sequi ductum necesse habemus: explicando primùm, quid ab iis sub hoc pulchri nomine intelligatur: tum colligendo, præter corporum pulchritudinem, quam ipsi unam attingunt, aliam superesse multò præstantiorem, & iis prorsus ignotam, quæ non nisi objectis spiritualibus convenit. His enim peractis, minùs difficile experiemur, mentem attollere ad tertiam, plùs etiam, quàm spiritualem, neque corporeis tantùm sensibus, sed & creato quovis intellectu eminentiorem pulchritudinem, qualis est pulchritudo divina.

7. Exorsuri itaque à proximis sumamus pulchritudinem inter omnes notissimam, nimirum visibilem, interrogando oculos, quidnam sit, quod in ea tam jucundum reperiunt, totámque illius amabilitatem non alibi audiemus consistere, quàm in concinna partium pro-

proportione, cui vividus, & ſuavis color accedat. Ità eorum locò nobis reſpondet D. Ambroſius, ſcribens, (*Lib. 2. Hexam.*) *Vera eſt pulchritudo, & in ſingulis membris eſſe, quod deceat, & in toto.* Ità S. Baſilius affirmans, (*In Iſ. 44.*) *Pulchrum eſſe, quod in membrorum compoſitione concinnè, ac decenter aptatum eſt, atque efflorſcentem habet gratiam.* Ità demum, ut de aliis pluribus taceam, D. Auguſtinus, & Cicero: (*Aug. L. 22. de Civ. c. 19. Cic. L. 4. Tuſc.*) juxta quos: *Corporum pulchritudo eſt congruentia partium, vel apta figura membrorum, cum quadam ſuavitate coloris.* Unde colligitur primò, ad corporis cujuſq; pulchritudinem duas neceſſariò conditiones requiri: alteram, ut ſibi aptè, decentérque reſpondeat, nempe ut partibus conſtet inter ſe variis, & quarum quævis congruentem cæteris omnibus figuram, magnitudinem, ac ſitum habeat: alteram, ut colore illuſtretur vivido, & naturæ ſuæ accommodo, quique ideo non per ſe tantùm, ſed prout etiam in ipſo eſt, intuentes delectet: qualis non eſſet in humana facie color flavus, aut viridis: eſto uterque in aliis corporibus, ubi à natura exigitur, nempe alter in auro, & alter in ſmaragdis gratus viſui accidat. Quare etiam Æthiopes ideo pulchriorem arbitrantur

tur

tur hominis vultum, si niger, quàm si candidus sit, vel purpureus; qua peculiari regionis suæ experientiâ decepti, colorem ejusmodi inter cæteros omnes maximè proprium hominis censent. Colligitur secundò, pulchritudinem absolutam,& propriam non nisi in corporibus animatis existere. Nam alia, putà adamas, sidus, vel aër serenus, cùm nullam diversitatem partium habeant, nullam itèm possunt earum inter se symmetriam, & proportionem habere, neque aut perfectè pulchra appellari, aut illam afferre intuentibus delectationem, quæ rerum absolutè pulchrarum est propria. Colligitur denique, in ipsis corporibus animatis, ceu tria sunt animarum genera, secundùm perfectionem naturalem disparia, nempe anima vegetans, quæ infimum gradum obtinet; sentiens, quæ in medio consistit; & rationalis, cui supremus debetur; sic tria etiam, paritérque inæqualia reperiri pulchritudinis genera: infimam nempe, quæ in plantis cernitur; mediam, quæ in brutis; & summam, quæ homines decorat. Cùm enim neque excellentior possit esse anima, quin ampliorem operandi vim habeat, neque ampliorem hanc habere, quin plura, & perfectiora organa in corpore exigat, necessariò

hinc

hinc consequitur, ubi excellentior est anima, perfectiorem debere item esse organorum structuram, ac proinde symetriam, & pulchritudinem corporis, prout rite advertit Doctor Angelicus, ex majori virtute operandi arguens, (*1. p. qu. 76. a. 5, ad 3.*) *Majorem esse diversitatem partium in animalibus perfectis, quam in imperfectis, & in his, quàm in plantis.* Adde, quòd præter hactenus dictã stabilem, & perpetuò inhærentem corporibus pulchritudinem, duas quoque alias observare est, & ab ipsa distinctas, & nihilo ipsâ delectabiles, atque amabiles minùs; alteram scilicet locutionis, & alteram gestuum: quarum prior posita est in vocis tum qualitate, tum temperatione, suavi, varia, efficaci, ad rerum, & affectuum expressionem appositа, quæque in aures, & animos audientium jucundissimè influat; posterior verò in corporis motu vivido, eleganti, ad omnimodam concinnitatem exacto, in quo mirus quidam lepos effulgeat. Atqui duas istiusmodi venustates tum propter mutuam partium congruentiam, tum propter vitæ, atque animæ jubar, quo illustrantur, sensibus gratas, quivis facilè agnoscet, in nullo alio præstantiores, quàm in homine existere. Nam in plantis nè vestigium quidem, vel um-

umbra earum occurrit. Bruta verò animantia, esto iis aliquatenus decorentur, nunquam tamen ad humanam in iisdem excellentiam pertingunt. Quare hoc etiam ex capite manifestum apparet, talem in corporibus animatis externæ pulchritudinis ordinem esse, qualis in eorum animabus naturalis præstantiæ sit ordo: nec proinde ullum assignari posse corpus, majoris quàm humanum pulchritudinis capax.

8. Locus jam postulat, ut explicato, quidnam sit, & ubi, quóque ordine reperiatur pulchritudo sensibilis; novam quoque aliam existere in natura ostendamus, corporeis sensibus inaccessam, & spiritualium tantummodo rerum propriam pulchritudinem. Neque id probare, & percipere ullius negotii erit, si ratum apud nos maneat, quod primi instar principii suprà statuimus, pulchri scilicet vim, & naturam in eo universè positam esse, ut cognoscendi facultatibus perfectionis suæ merito delectabile accidat. Quis enim inficiari, aut revocare in dubium potest, quin sapientia, virtus, veritas, ratio, essentia animæ, & alia hujusmodi objecta, contemplanti, & cognoscenti ea voluptatem afferant? Aut quemnam in ultima mundi barbaria inveni-

ni-

nire hominem erit, humani adeo ſensûs expertem; ut narrari audiens, vel coram intuens egregia juſtitiæ, fidei, fortitudinis, liberalitatis facinora; nihil indè jucunditatis hauriat, non ea approbet, cúmque plauſu excipiat, non eorum diligat, & miretur Authorem? ſi ergo non aliunde habent corpora, ut pulchra appellentur, nisi quia eleganti, & concinna ſua ſpecie intuentes oblectant; quídni ſpirituale etiam quodvis objectum eandem pulchri appellationem mereatur, ubi eandem ſe agnoſcentes oblectandi vim habeat? Merebitur procul dubio, & tantò juſtiùs, quantò ſpiritualis ejus concinnitas altioris eſt generis, ac propterea contemplatu jucundior. Idque clariùs adhuc patebit ex conſideratione ſui contrarii: faſtidii nimirum, atque odii, quod interiori ſua turpitudine nobis afferunt proditiones, injuſtitiæ, crudelitates, & alia id genus fœda, atque indigna facinora. Cùm ſimilia morum dehoneſtamenta intuentes, multò plus nauſeæ, & abominationis ſoleamus concipere, quàm ad turpiſſimi cujuſque corporis ſpeciem. Imò, fac juvenem hìc adeſſe oris venuſtate nullo non ſuperiorem Narciſſo, & Ganymede, ſed ità, ut in illo tam ſpectabili corpore animum gerat omnimo diſſimi-

milem; nihil generosi, & egregii spirantem, humani omnis ritûs, & urbanitatis ignarum, sordidum, avarum, perfidum, ingratum, crudelem, ac præterea mentis tam obtusæ, atque plumbeæ, ut vix obvia percipere, vix tria verba in familiari sermone contexere invicem noverit. Quotusquisque non videt, interiorem hanc animi fœditatem multò plus ei apud homines parituram contemptûs, quàm æstimationis, atque amoris illam corporis pulchritudinem? Nemo certè erit, quem illius similiaritatis non pudeat, quíque non dicam amare, sed vel ferre illum queat. Contra verò finge animo Æsopum aliquem, nulla non corporis parte abnormem, luridum vultu, claudum incessu, pumilum, gibbum, distortum. Si nihilominus ex informi illo corpore radios transmittat ingenii acumine, & submitate admirabilis; doctrinæ juxta multiplicis, & eximiæ, indolis vividæ, comis, generosæ, regalis, ad summa omnia factæ, ab omni vitiorum labe abhorrentis; animi denum nihil præter rectum amantis, nullâ non virtutum, & morum disciplinâ exculti, in judicando mirè certi, & secundùm affectus ad rationis amussim compositi. Quisnam potest non eum admirari? quis non ejus amici-

 tiam

tiam, & familiarem congressum quærere? Quis non de illo affirmare, quod de Clarano scriptum à Seneca est: (*Ep. 66.*) *Claranus mihi videtur in exemplar editus, ut scire possemus, non deformitate corporis fœdari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari?* Certè sapiens illa apud Laërtium, (*In vita Crat.*) & plùs quàm fœmina Hypparchia, esto plura in promptu haberet cum juvenibus, genere, opulentiâ, & formâ præclaris connubia; omnibus iis tamen Cratetis Philosophi squalorem, atque inopiam, sive, ut loquar veriùs, sapientiam, & virtutem præhabuit: nullis passa se cognatorum persuasionibus adduci, ut alium relicto eo sponsum vellet. Usque adeò amabilior, & gratior eam rite agnoscenti est interioris, quàm externæ pulchritudinis species. Neque hi exotici sunt, & paucorum tantummodo hominum sensus, sed omnibus à natura insiti, & quorum, teste D. Augustino, quotidiana ubique occurrunt exempla. *Habes duos servos*, (ait sanctus Doctor) *unum deformem corpore, alium pulcherrimum, sed illum deformem fidelem, alterum infidelem. Dic mihi, quem plùs diligas? & video te amare invisibilia. Quid ergo? quoniam plùs amas servum fidelem, licèt deformem corpore, quàm pulchrum infidelem; sic pul-*

pulchris præposuisti ? Utique non ; sed pulchriora fœdis præposuisti. Contempsisti enim oculos carnis, & erexisti oculos cordis. Interrogâsti oculos carnis, & quid tibi renuntiârunt ? Ille pulcher est, ille fœdus. Repulisti eos, eorum testimonium reprobâsti. Erexisti oculos cordis in servum fidelem, & non in servum pulchrum : & dixisti, quid fide pulchrius, quid infidelitate deformius ? (*Serm.* 17. *de verb. apost.*)

9. Quod si plerique hominum vehementiùs rapi, & jucundiùs affici à sensibili, quàm à spirituali pulchritudine solent, non ideo id verè est dicendum, quòd majorem hac esse illam putent : cùm opinionem contrariam altè ideò etiam in rudiorum animis videamus à natura esse insculptam, ut nulla aptiori imagine extraordinariam corporis alicujus venustatem exprimere se posse arbitrentur, quàm si dicant, pulchrum est instar Angeli. Sed ea potiùs de causa hic effectus contingit, quia hebetior in plerisque hominum est mentis obtutus, quo spiritualia, quàm oculorum, quo corporea cernuntur. Quamobrem solers Platonis animadversio fuit, peculiare hoc externæ pulchritudinis privilegium esse, ut inter objecta omnia maximè amabilis vulgo hominum sit : tanquam scilicet bonum, & reli-

quis sensibilibus majus, & spiritualibus notius: ut proinde & primis, quia præstantior, & secundis, quia compertior, magis placeat. Nam cæteroqui, prout ab eodem Philosopho additur, si sapientia, & reliquæ interiores dotes oculorum visui paterent, vel tam claro, & distincto perciperentur mentis obtutu, quàm ea ipsa, quæ oculis cernimus, dubitari certè non potest, quin, quantùm speciosissimo cuivis corpori sua specie antecellunt, tantò etiam plùs eodem nos delectarent, ínque amorem sui raperent. *Visus nobis acutissimus est sensuum omnium, qui per corpus fiunt, quo sapientia non cernitur. Ardentes enim excitaret amores, si quod tale ipsius simulacrum manifestum oculis proveniret. At verò pulchritudo sola hanc habuit sortem, ut maximè omnium & perspicua sit, & amabilis.* (*In Phædro.*)

10. Quid verò, si ex ipsa sensibili pulchritudine argumentum duceretur, inferioris sui gradûs, & meriti præ altera, quæ sensus fugit, & solo mentis visu percipitur? Atqui duo hinc etiam ducuntur, alterum ab effectrice, alterúmque à formali ipsius causa desumptum. Nam primò, si venustissimum quodvis corpus intueri libeat, facilè deprehendemus, totam visibilem illius venustatem ex invisibili alio prin-

principio, anima nempe ipsum vegetante originem ducere. Patet id in corpore humano, cujus quodvis decus, seu membrorum proportio, seu coloris gratia, seu gestuum lepos, seu locutionis suavitas non diutiùs manet, quàm anima impertiri vitam ei pergat: illáque discedente nihil jam amari, & visu jucundi sive in genis, sive in reliquis artubus supereſt: quin & ipsa hominis figura paucis diebus in fœdissimã tabis colluviẽ, nec multò post in pulveris, nudorúmque ossium acervum resolvitur: nemini obscurum relinquens, undenam provenerit, qui antea ibi decor floruerat. Quemadmodum igitur, qui nubem aspiceret paulò ante obscuram, & squalidam exoriente à tergo illius sole subitò inaurari, purpurascere, & jucundissimæ lucis jubar quaquaversum diffundere; argueret procul dubio, novam illam repentinæ pulchritudinis gratiam nequaquam à se ipsa, sed ab alio pulchriore principio provenire; haud aliter, cùm videamus nos quoque sordidam illam humorum massam, quæ in fœtæ parentis utero humani corporis materia erat, animâ sese insinuante novam hanc adeóque decoram speciem induere, quæ in vivis, & perfectis corporibus cernitur; dubitare minimè possumus,

quin noſtro in corpore aliquid ſit ipſo pulchrius, & à quo, licèt non viſo, ſuam ſpectabilem pulchritudinem hauriat. Deniquecertiſſima fide inter omnes conſtat: *Propter quod unumquodque ſit tale, illud magis eſſe.* (*Ar. l. 2. Metaph. c. 1.*) Quapropter, ſi ſolem lucidiorem aëre à ſe illuſtrato, ignem calidiorem aquâ à ſe calefactâ, & principia concluſionibus indè deductis certiora exiſtimamus; animam quoque puleriorem exiſtimemus, neceſſe eſt, corpore, quod ab ipſa pulchritudinem ſuam mutuatur.

11. Nec minùs validè, & clarè idem evincit alterum argumentum ex forma ipſa omnis pulchri corporei, nempe ex mutua illius partium convenientia petitum. Nemini quippe eſſe dubium poteſt, quin, ſi objecti alicujus effigies, eſto imperfecta, pulchritudinis ſuæ aſpectu intuentes delectat; multò eoſdem delectaturum ſit magis ipſummet exemplar in vera, & germana ſua ſpecie propoſitum. Atqui proportio illa, unde tanquam à formali ſuo principio conſtituitur pulchritudo ſenſibilis, nihil aliud ſapientum judicio eſt, quàm imago quædam rationis: ſed imago rudis, impropria, & ſuo ab exemplari deficiens, qualis eſt pictura, D. Michaëlem Archangelum in-

instar juvenis alati exhibens, & qualis necessariò est quæcunque rerum purè spiritualium sensibilis repræsentatio: utpote quæ prototypon habet ordinis longè altioris, & à se prorsus diversi. Si ergo hæc rationis effigies, quamvis imperfectè adeò, ruditérque exemplar suum repræsentans, pulchrum, & delectabile sui spectaculum intuentibus præbet; nihil sanè obstat, quin possimus manifestò hinc colligere, multò pulchriorem, & visu jucundiorem ipsammet rationem esse, si secundùm propriam, & spiritualem suam speciem cernatur: quemadmodum ex pulchritudine, quam Angelus in sensibili aliqua sui imagine præsefert, fas cuique est colligere, quantò pulchrior cælestis ille spiritus sit in suamet natura, & substantia. Quin imò illud etiam adjecerim, in ipsismet corporibus pulchris non tam ipsa, quàm rationem ibi adumbratam amari, & placere. Nam veluti, quando solis radii aliunde repercussi nos illuminant, & calefaciunt, illud lumen, & ille calor, solis potiùs sunt effectus, quàm corporis, à quo illius radii ad nos reflectuntur; sic cùm corporum pulchritudo non aliud sit, quàm rationis radius ibi translucens, & ad nos per visum reflexus, amoris, & delectationis affectus prove-

nire indè soliti, non tam à corporibus pulchris, quàm à ratione in iis tralucente excitantur. Idémque hìc nobis accidit, quod sponsæ absentis sponsi imaginem in picta tabella intuenti, quæ procul dubio ad eam illius speciem jucundè contemplandam non nisi ab illius amore impellitur, illum amans, dum eam diligit, illóque fruens, dum eâ delectatur. Sic namque etiam in nobis non aliunde amor corporum sibi aptè respondentium, & voluptas ea contemplandi oritur, ac ex innato nostrorum rationalium spirituum erga rationem instinctu: quam cùm nequeamus clarè adeò in archetypa sua specie intueri, gaudemus saltêm in obviis quibusque illius umbris, & vestigiis spectare: ipsam ideo revera admirantes, amantésque, quando corporum venustatem amare, & admirari videmur.

12. Cujus veritatis fides, quò testatior, certiórque adhuc fiat; operæ pretium fuerit, duo naturalis necessitudinis inter rationem, externámque venustatem argumenta observare. Primum est, quod à M. Tullio notatum habemus: (*L. 1. de Off.*) nulli scilicet animalium ratione carentium, sed uni duntaxat homini inesse à natura pulchritudinis sensum, adeò ut viiu ejus gaudeat, ergáque illam amo-

re

re afficiatur. Alterum, quod Plato animadversum reliquit: (*In Hip. maj.*) nempe in ipso homine nullum externorum sensuum pulchra pro objecto habere, iisque delectari, præter visum, atque auditum. Qui duo sensus plus aliquid reliquis tribus de ratione, & intellectu participant: tum quia soli ad sua objecta attingenda eorum proximitate non indigent, sed instar intellectûs etiam longè remota percipiunt; tum quia eorum operationes magis conferunt ad mentem multiplici rerum notitiâ ditandam, quàm ad tuendam, fovendámque pro trium reliquorum more, atque officio corporis vitam. Facilè enim hinc quisque collegerit, non alia de causa solas animas rationis participes, & solos sensus rationi maximè affines peculiari instinctu erga pulchritudinem ferri; nisi, quia in ejus symmetria, & proportione aliquam rationis sibi agnatæ speciem reperiunt. Audire conclusionis locò D. Thomam libeat: *Sensus delectatur in rebus debitè propotionatis, sicut in sibi similibus. Nam & sensus ratio quædam est, & omnis virtus cognoscitiva.* (*1. p. qu. 5. a. 4. ad 1.*)

13. Erit hìc fortè, qui objiciat, si verum id foret, homines rerum spiritualium, & honestatis amantiores, magis etiam proclives ad

corporeæ venustatis amorem futuros: quod tamen experientia falsum esse evincit, cùm hos videamus illius curâ minimè affici: contrà verò, qui indolis magis brutæ, addictæque sensibus sunt, non posse sibi temperare, quin violentissimo, & insaniæ simili amore ad illam ferantur. Sed nihil ponderis in hac objectione est. Fateor quippe ex dictis consequi, quantò quisque animũ habet ad rationis symmetriam, & proportionem magis compositum; tantò eundem plus delectationis percipere ex musicorum concentuum auditu, éque rerum aspectu, quas vel naturæ, vel artis venustas commendet. Quod si nihilominus homines aliquos externæ pulchritudinis incuriosos, & negligentiores cernimus, dico id evenire, non quia peculiari naturæ instinctu ad eam non propendeant, sed quia vel timent, nè illecebrosa illius specie vehementiùs, quàm par est, capiantur; vel cùm idonei sint ad rationem cominus in se ipsa spectandam ipsam potiùs, quàm imperfecta ipsius simulacra intueri amant: quemadmodum, qui impensè aliquem diligit, quanquam illius absentis imagines jucundè, avidéque contempletur; quando tamen coram præsentem eum habet, amentiæ genus censet, in suis eum simulacris, quàm in se

se ipso intueri malle: siquidem, ut Lactantius scribit, (*L. 2. c. 2.*) *Hominis imago necessaria tum videtur, cùm is procul abest: supervacua, cùm præsto est.* Quod verò ad alteram spectat objectionis partem; nego homines brutorum instar sensibus magis, quàm rationi deditos, ardentiùs reliquis pulchritudinem corpoream amare. Etenim, quod initio affirmavi, & probè intelligi vellem, amor, quo pulchrũ, quatenus speciatim tale prosequimur, nihil privatæ cupiditatis admistum habet, nec objectum amatum ad alios fines refert, sed in eo, tanquam in fine per meram benevolentiam subsistit. Cùm eorum, qui in objectione proponuntur, minùs rationalium hominum amor nequaquam in pulchro amato sibi finem constituat, sed eo, quasi mero instrumento ad sordidæ alicujus cupiditatis expletionem utatur. Unde nè amor quidem appellari meretur, sed potiùs libido, rabies, dementia. Idque ex effectis adhuc luculentiùs intelligi potest. Tantum quippe bruta hujusmodi ingenia ab eorum benevolentia absunt, quos formositatis suæ causâ amare, & deperire se dictitant; ut etiam necem sæpenumero iis inferre non dubitent, si fructum obtinere ab iis nequeant, quem unicè in iis amant, & quærunt.

14. Nì-

14. Nihil ergo supereſſe dubii poteſt, quin præter ſenſibilium pulchritudinem rerum alia quoque nobilioris ſortis ſit, qua ſpirituales prærogativæ, & ſubſtantiæ exornantur. Sed, licèt id omnibus quàm clariſſimè pateat, non tamen æquè omnibus patet, cujuſmodi ſit hæc interior formoſitas, quámque cum ſenſibili convenientiam, & ſimilitudinem habeat, adeò ut ad idem genus revocari ambæ poſſint, eadémque univerſali notione comprehendi. Corporea ſiquidem pulchritudo, quam ſolam nos per ſe agnoſcimus, & per cujus ſpecies alteram in mente formamus, ad eſſentiæ ſuæ conſtitutionem partium ſibi aptè reſpondentium varietatem, & vividi coloris gratiam neceſſariò requirit: qui color, quæque partes nullum habent, præterquam in objectis ſenſibilibus locum. Ut proinde, quæ ſpiritualia, & remota à ſenſibus ſunt, aliarum quidem perfectionum meritô videantur iis antecellere, ſed non etiam peculiaris illius perfectionis nomine, quam in rebus corporeis adeò amabilem experimur, & pulchritudinem ſpeciatim vocamus.

15. Declarandæ itaque hujus rei gratiâ dico primò, ſi pulchritudinis nomen non niſi ad peculiarem eam perfectionem denotandam in-

institutum est, per quam jucunda oculis accidunt co pora; nullum corporeæ concretionis expers objectum posse, nisi impropriè, pulchrum vocari. Quemadmodum, si magnitudinis appellatio, secundùm primariam suam institutionem, nihil aliud, nisi multitudinem partium inter se distinctarum exprimeret, nulli substantiæ spirituali, atque indivisibili, nisi per translationem congrueret. Addo tamen, germanam, ceu magnitudinis, sic & pulchritudinis significationem falsò, & absque ulla ratione prædictos intrà limites claudi: cùm æquè communiter magnam sapientiam, & magnum montem dicamus: nec minùs propriè arbitremur nos loqui, pulchrum Angelum, quàm pulchram hominis faciem vocando.

16. Dico secundò, proportione partium, & coloris amœnitate constitui essentiam pulchritudinis, non quidem generatim acceptæ, sed contractæ ad rationem sensibilis, imò neque hujus secundùm omnem suam latitudinem, sed quatenus solo oculorum sensu percipitur. Nam alioqui certissimum est, sensibilem pulchritudinem in iis etiam objectis reperiri, quæ ad aures unicè pertinent, velut in concentu fidium, & vocum: ubi præter notas,

tas, & numeros, proprias illius partes, nullus color occurrit, sed illius vices obit claritas, & suavitas soni : quatenus hæ qualitates idem præstant in auribus, quod color objectorum visibilium in oculis : gratiorem nempe auditu reddentes, quàm sinè iis foret, numerorum concentum : quemadmodum coloris gratia jucundiorem visu efficit, quàm alioqui per se solam esset, proportionem membrorum.

17. Dico præterea, res spirituales, quamvis revera distinctis, variisque partibus careant, aliquid tamen habere, quod iis æquivaleat : quatenus nempe, licèt indivisibiles, atque simplices, efficiunt, & possunt, quidquid possent, efficeréntque, si ipsis constarent; quemadmodum numus aureus, etiamsi unicus sit, compluribus tamen argenteis, æreisque numis æquivalet. Videas id in anima rationali, cujus simpliciſſimum esse tot intrà se continet operandi facultates, virtualiter, ùt ajunt, diversas, quot sunt operationes diversæ, quibus fungi naturâ suâ potest. Videas in mente, quæ, quamvis unica cognoscendi virtus sit, tot nihilominus distinctis æquivalet cognoscendi virtutibus, quot sunt objectorum species, quibus cognoscendis per se unam par est. Videas in scientiarum, & virtutum habitibus, quo-

quorum quilibet videri poteſt tot peculiarium habituum congeries, quot diverſi ſunt actus, ad quos exercendos æquè idoneum hominem reddit, atque idoneum reddere alii, atque alii peculiares, inter ſéque diſtincti habitus poſſent. Videas poſtremò in quibuslibet univerſè ſpiritualibus ſubſtantiis, & formis, quarum ſingulæ ingentem facultatum, & appellationum numerum continent, neutiquam ſanè inter ſe diſtinctarum, ſed quæ tamen æſtimata illarum virtute cenſeri poſſint diverſæ, & re ipſa, ceu tales à nobis concipi ſoleant: quatenus ſcilicet, ſi verè inter ſe diſtinguerentur, nihil ampliùs poſſent efficere; quàm efficiant, tametſi unum ſint omnes, atque idem. Jam verò ejuſmodi partes, ſecundùm prædictam ſuam vim, & ſecundùm noſtram intelligendi rationem diverſæ, ſi aptè aliis aliæ reſpondeant, ſpiritualem quandam proportionem conſtituunt illi æquivalentem, quæ in objectis ſenſibilibus provenit ex harmonico partium revera diſtinctarum conſenſu. Æquivalentem dixi, ſed cum exuperantia perfectionis, & virtutis: tum quia omnis proportio tantò concinnitatis plus habet, quantò major eſt numerus diverſarum partium, quæ amico nexu ibi coëunt; multóque plures recenſere eſt in ob-

objectis ſpiritualibus partes æquivalenter diverſas, quàm in corporeis verè, & propriè diſtinctas: tum quia quodvis totum eò majori ſymmetria temperatur, quò ejus partes in perfectiorem unitatem coaleſcunt: nec ulli eſſe dubium poteſt, quin objecta ſpiritualia perfectiori modo unum ſint, quàm corporea. Breviter: in rerum à materia diſtinctarum pulchritudine, tota numeroſiſſimæ varietatis gratia, ſinè ullo perfectæ unitatis detrimento invenitur: in ſenſibilium venuſtate, præterquam quod minor eſt varietas, nequit illa ipſa, nisì cum imperfecta unitate componi.

18. Dico quartò, ſpiritualem pulchritudinem, ceu ſenſibili æquivalet circa diverſitatem, & ſymmetriam partium, ſic habere itèm aliquid ei æquivalens circa amœnitatem coloris: quatenus hæc quoque, ſi minùs propriè, & re ipſa; at ſecundùm ſimilitudinem, & virtutem ſubſtantiis materiæ expertibus convenit: ídque arcani cujuſdam earum fulgoris causâ, qui, licèt vera lux, & verus color non ſit, ad eas tamen condecorandas, & viſu jucundiores reddendas non minùs, imò etiam plùs valet, quàm vera lux, verúſque color ad majorem afflandam corporibus venuſtatem, & gratiam. Quòd ſi fortè quis roget, ubinam hic conſiſtat ar-

arcanus ſubſtantiarum ſpiritualium fulgor? reſpondebo, conſiſtere primum in ratione iis ingenita, quæ conceptis verbis à Regio Pſalte (*Pſ. 4.*) *Lumen vultûs DEI* nuncupatur: & conſiſtere in aliis ſpiritualibus prærogativis ab earum eſſentia diſtinctis, ſed ſuaviſſimæ lucis inſtar ei undique ſuperfuſis: cujuſmodi ſunt omnes virtutum, ſive ad intellectum, ſive ad voluntatem pertinentium habitus, & nominatim ſapientia, quæ in ſacris Literis (*Sap. 2.*) *Specioſior ſole* dicitur. Et quamvis noſter viſus ad ſplendidiſſimam hujuſcemodi lucem prorſus cæcutiat, quin & ipſa mentis acies ægre poſſit aliquam illius ſpeciem intrà ſe effingere; dubitari tamen nequit, quin ea veriſſimè exiſtat, & majorem viſibili quavis luce, ac colorum claritate vim habeat decorandi eos, quibus ineſt, & oblectandi eos, à quibus ſpectatur. Quemadmodum ab Antonio Panormitano ſat perſpicuè demonſtratum olim eſt, homini ruſticano: (*Pontan. L. de Princ.*) qui, audiens ab illo in eruditorum Virorum cætu commendari ſplendorem virtutis, id genus præconia, ceu inanes verborum ampullas, & veras nugas deriſerat. Age igitur, ô bone! inquit Panormitanus, cedo mihi aliquid, quod ſit ſplendidius: cúmque alter continuè ſo-

lem id esse subjeciſſet; falleris, excepit Vir sapiens. Neque enim inficiari potes, illud inter duo objecta esse lucidius, quod à pluribus perspici potest. Atqui sol non nisi ab iis, qui oculos habent, perspicitur: virtutem verò juxta cæci, atque oculati agnoscunt, perspiciunt, mirantur. Quapropter fatendum tibi est, non luminosam modò, sed & ipso luminosiorem sole ipsam esse. Verissimè is quidem, & secundùm ratiocinationem, qua Cicero etiam usus pridem fuerat, ubi scripsit: *Nihil est virtute amabilius, nihil, quod magis alliciat homines ad diligendum. Quippe cùm propter virtutem, & probitatem fiat, ut eos etiam, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus.* (*De Amic.*)

19. Dico postremò, pulchritudinem quàm latissimè acceptam, & secundùm significationem sensibili pariter, ac spirituali communem definiri posse: Formam quæ gratum, & admirabile cognoscendi facultatibus reddit objectum, cui inest. Hæc definitio, ceu pronum cuique est videre, omnes pulchritudinis species complectitur, nec ulli alteri, præterquam pulchritudini convenit: & secundùm illam discerni liquidò potest, non modò pulchrum à non pulchro, sed & pulchrius à minùs

nùs pulchro; ac omnibus denique reſponderi, quæ circa definitæ rei naturam quæri poſſunt. Quapropter ſatiùs viſum eſt hoc pacto pulchritudinem definire; quàm eam vel cum Petavio, (*Tom. 1. Theol. Dogm. L. 6. c. 8.*) conſtituere in rerum ad primam ſuam ideam congruentia, vel cum alio recenti ſcriptore, (*Santjur. par. 1. c. 6.*) in apta ordinatione omnium, quæ alicui rei conveniunt, ut ſit ſecundùm ſuum genus perfecta. Hujuſmodi ſiquidem definitiones, quamvìs idoneæ ſint ad reddendam rationem, cur hoc dici pulchrum mereatur, illud verò nequaquam, & quare hoc illo ſit eandem intrà ſpeciem pulchrius; non tamen etiam ſufficiunt ad declarandum, quare, & quo pacto certa quæpiam rerum ſpecies alteri diverſæ ſpeciei pulchritudinis dote antecellat: putà Angelica humanæ, & humana cuivis alii corporeæ. Stabilita porrò hac notione univerſali, quæque nullum non includit pulchritudinis genus, ſi differentia inter ſenſibilem, & ſpiritualem quæratur; reſpondeo, primam conſiſtere in juſta proportione diverſarum partium, ínque claritate, & ſuavitate coloris, vel ſoni: alteram verò dici poſſe gratiam, & amabilitatem quamdam, æquivalentem prædictis duabus

pulchri ſenſibilis dotibus : quatenus, licèt vera diverſarum partium proportio, & veri coloris ſpecies non ſit, eandem tamen, imò etiam majorem, quàm vera proportio, verúſque color vim habet oblectandi ſuo aſpectu eas animi facultates, quibus eam datur intueri, & cognoſcere,

20. Ex qua doctrina duas haſce veritates, totidem veluti præſentis materiæ concluſiones licet eruere. Prima eſto, quamvis decora concinnitatis inter partes diverſas, coloríſque vividi, & blandè micantis nequeant objectis ſpiritualibus nisi metaphoricè attribui; id tamen, cujus ſignificandi gratiâ iis interdum attribuuntur, quódque eſt eſſentia pulchritudinis generatim acceptæ, virtutem nimirum oblectandi perfectionis ſuæ aſpectu intuentes, propriiſſimè, & citra omnem metaphoram iis convenire: quemadmodum, quando exempli gratiâ D. Auguſtinum Africæ ſolem vocamus; licèt ſolis nomen non nisi translatè affirmari de eo poſſit, quod tamen metaphorico hujuſmodi nomine deſignatum, expreſſúmque in eo volumus (ſingularem nimirum, ſolíſque jubar referentem illius ſapientiam) tam verè ipſi convenit, atque ſoli ſuum jubar. Secunda veritas ſit, pulchrum ſpirituale

ale non posse à nobis, nisi vel impropriissimè, vel confusissimè intelligi: impropriissimè, si illud concipiamus secundùm species, & lineamenta pulchri corporei, tanquam scilicet ex partibus diversis compositum, candidóque, vel purpureo colore suffusum: confusissimè verò, si, quidquid rebus corporeis simile est, ab illius intellectione excludamus. Quare, cùm uterque hic concipiendi modus suis, nec levibus sanè vitiis laboret; ille, quia commentitius, & à vera specie objecti sui discrepans; hic, quia obscuritatis suæ causâ minimè idoneus ad eum excitandum amorem, quo erga res pulchras inflammari homines solent; optimum factu videtur, alterum altero temperare: ità ut in spiritualibus contemplandis objectis aliqua visibilium similitudine utamur, quanta ad animos nostros in eorum admirationem, amorémque rapiendos sit satis: sed simul meminerimus, hujusmodi imaginem ænigma esse, aliud alio significans, & à nativa conditione, ac dignitate rei, quam adumbrat, longissimo intervallo deficiens.

CAPUT XXVIII.

Ex eo, quòd DEUS prima causa, & idea totius pulchri possibilis sit, éque excellentissimis quatuor divinæ illius pulchritudinis proprietatibus, quàm hæc sit in illo admiranda, singularis, & quamcunque aliam infinitè supergrediens ostenditur.

TEmpus jam est, ut à generalibus hisce nostris notitiis ad id, quod instituti nostri proprium est, & cujus gratiâ præmissæ illæ sunt, transeamus: ad demonstrandum scilicet, quàm infinita sit, nostráque omni nedum comprehensione, verùm etiam admiratione major spiritualis DEI pulchritudo. Quod tum in præsenti, tum in proximè secuturo capite, quoad virium nostrarum imbecillitas patietur, præstare conabimur: ibi quidem argumentum ducendo ex summi gaudii, & amoris effectibus, quos in suis ille spectatoribus coram visus producit: hìc verò ex tribus ejusdem maximopere eximiis, pérque suam illi essentiam convenientibus prærogativis: prima, quia totius pulchri tam creati, quàm creabi-

abilis origo, & fons est, dictus propterea in Sapientiæ libro (*c. 3.*) *Speciei generator.* Secunda, quia communis quoque, & primaria ejusdem universi idea est, *Forma* nempe, ùt ait Augustinus (*Serm. 38. de Verb. Dom.*) *non formata omnium formatorum, incommutabilis sinè lapsu, sinè defectu, superans omnia, existens in omnibus.* Tertia, quia singulari, & quanta nullum aliquid objectum perfectione illas obtinet dotes, quæ ad augendam pulchritudinis æstimationem, & amabilitatem maximè faciunt.

2. Et ad primæ quidem vim pernoscendam, nihil ultrà requiritur, quàm probè intelligere vulgatissimum illud, & à nobis suprà explicatum principium: *Nemo dat, quod non habet.* Hoc siquidem rite admisso, dubitari jam nequit, quin si DEUS prima, & universalis est totius pulchri tam creati, quàm creabilis causa; omnes necessariò intrà se complectatur pulchritudines, seu quæ sunt, seu quæ esse possunt. Si enim non complecteretur omnes, quæ sunt, quonam pacto illas potuisset producere? & si non complecteretur omnes itèm possibiles, quonam pacto eas producendi vim haberet? Neque ad enervandam argumenti hujus vim quisquam objiciat, à de-

formi parente formosam sæpe sobolem gigni, neque pictores ea semper decorari pulchritudine, quam suis imaginibus tribuunt. Respondeo enim, genitores non totam, atque unicam esse suorum liberorum causam, cùm eorum formandis corporibus nihil pro virili parte sua conferant, præter materiam, quam postmodum DEUS, iis nihil cogitantibus, neque ejusmodi artem callentibus, in matris alvo figurat. Ad alterum verò exemplum, quod attinet, dico, imagines à pictore effingi, non prout homo, sed prout artifex est: nihilque ideo ad earum pulchritudinem pertinere, pulchérne, an deformis ipse sit, quà homo est, & secundùm naturale suum esse; sed solùm cujusmodi sit, quà artifex est, & secundùm formam artis, quam menti inditam habet. Quin imò hoc exemplum ad confirmationem potiùs principii à me positi facit. Cùm indè solùm pictor, & quicunque alius artifex ad pulchra opera efficienda idoneus sit, quia elegans & decora est idea, seu forma artis, quæ illius menti inhæret, eúmque in artificis specie constituit. Cùm igitur quævis causa, totum sua vi effectum producens, debeat necessariò ipsa habere, quidquid illi perfectionis impertit; quænam non hominum modò, sed vel Ange-

lo-

lorum intelligentia assequi valeat, quàm immensa divinæ pulchritudo essentiæ sit, in qua, velut in universali sua causa, collectæ existunt, non solùm omnes in lucem hactenus editæ corporeæ, incorporeæque pulchritudines, sed & omnes illæ insuper, quæ sinè ullo limite, aliæ semper aliis majores, per totam, quanta est, æternitatem possent creari? Certè in præsenti rerum universitate complura intuemur objecta, mirè aspectu decora, & quorum unumquodque ad maximam nobis voluptatem sua specie afferendam sufficiat. Quantò igitur majorem delectandi vim haberet objectum, quod in se uno congestum exhiberet, quidquid venustatis, & decoris per totam rerum existentium universitatem dividitur? Nemo sanè esset, qui ad talis novitatem spectaculi haud obstupesceret, ínque eo contemplando jucundissimè defixus hæreret. Et tamen hæc ipsa ex tot, támque variis, & eximiis venustatibus coalescens venustas, utpote quæ certis quibusdam clauderetur limitibus, ad infinitatem totius pulchri possibilis longè minor dicenda esset, quàm sit aquæ gutta præ totius amplitudine oceani. Quale igitur, quámque immenso intervallo quibusque aliis formosius, admirabilius, & visu jucundius ob-

jectum, divinam esse essentiam putabimus: cujus infiniti decoris minimum specimen est, adunare intrà se ipsam quidquid formositatis, concinnitatis, symmetriæ, gratiarum, venustatum, & leporum in tota hac universitate dispertitũ occurrit? Cùm præter hanc omnem summopere quidem admirandam, finitam tamen pulchritudinem, illam etiam simul contineat, tantò hac ampliorem, quia infinitam, quæ in ipsius omnipotentiæ, sapientiæque thesauris ignota nobis penitùs latet: &, si promeretur in lucem, mille & mille alios posset longè majores, pulchriorésque mundos, novis admirabilium objectorum speciebus exornare, & complere. O pulchritudinem, cui nihil excogitari simile potest, quæque omnes creatæ cujuslibet mentis terminos, & mensuras sinè ulla proportione transcendit.

3. Sed ut nonnullam illius speciem in mente formemus, si minùs tanto dignam objecto, at saltèm nostro humili, & crasso intelligendi modo accommodam magìs; relinquamus tantisper infinitatem totius pulchri possibilis, contenti eam æstimare per comparationem cum sola pulchritudine exteriori, & corporea. Hæc, prout capite superiori demonstravimus, útque certo, & unanimi sapientum ju-

judicio comprobatur, non finiti duntaxat pretii est, sed infimum quoque obtinet inter reliquas pulchritudines locum: imò, teste Plotino, (*En. 6. L. 3. c. 16.*) non nisi æquivocè cum divina pulchritudine convenit: &, uti à D. Thoma additur, (*1. p. qu. 45. a. 7.*) neutiquam vera ejus imago, sed vestigium duntaxat, & rudis quædam umbra nuncupari meretur. Age jam, propone tibi ob mentis oculos corpus quod piam humanum ex formosissimis, quæ historiarum monumenta apparuisse in terris prodiderunt: Judithæ exempli gratiâ, quæ solo decore suo armata potentissimi Assyriorum Ducis cor sibi mancipavit: seu Thamaris, & Stratonicæ, quarum oculi Amnones, & Antiochos, (*L. 2. Reg. c. 13. Val. Max. L. 5. c. 7.*) ceræ instar, fulgoris sui vi coëgerunt tabescere: sive Helenæ, cujus species decenni bello Europam, atque Asiam collisit: seu denique aliud, cujus venustatem similis fama circumferat. Imò, quia nullum ipsorum omnes pulchri gradus, & numeros in se uno collegit; ceu vetus ille pictor hinc indè desumptam lectissimorum quinque corporum pulchritudinem transtulisse in unicam imaginem fertur. (*Cic. L. 2. de Invent.*) Sic tu etiam imaginatione tua corpus aliquod elabora, in

in quo, quidquid peculiaris amabilitatis per ſuprà dicta, & reliqua omnia corpora diſpertitum à natura fuerit, quodam quaſi compendio adunatum, permiſtúmque reſplendeat. Tum, poſteaquam mentem adverteris ad miros animorum motus, quos eorum ſingula in ſpectatoribus ſuis olim ciebant, atque indè argumentum ſumpſeris aliorum, quos multò admirabiliores, nec antea unquam auditos, novum hoc ex iis omnibus coagmentatum, totámque eorum venuſtatem in ſe uno repræſentans cieret; fac memineris, nihil denique ipſum fore aliud, quàm infimam, maximéque craſſam, & plebejam inter divinæ formoſitatis imagines, imò neque ipſius veram imaginem, ſed umbram tantummodo, & rudimentum imaginis, ſed veſtigium ab ea in lutum impreſſum, ſed informem, & ſimplicem tanti exemplaris lineam: concludens poſtremò, quàm prodigioſa, & incomparabilis ea ſit pulchritudo, cujus repræſentatio, quamvis adeò manca, adeò deficiens, adeò impropria, & æquivoca tam eximiam vim habeat, ad ſpectatorum ſuorum animos in ſui admirationem, amorémque attrahendos.

4. Concluſio, ùt vides, manifeſtiſſima eſt, ſed clariori adhuc in lumine illius vim perſpi-

ſpicies, ſi perſonam eſſe aliquam fingas, quæ nihil ampliùs ſui exhibens, quàm unum capiis crinem, vel digiti unguem, vel ſolam faciei umbram, tantum tamen venuſtatis in illa umbra, illóque crine, aut ungue præſeferat; ut ſpectatores incredibili, & penè magicâ admirationis, voluptatis, amoríſque vi extra ſe rapiat. Si enim nemo eſſet, qui effectus tam novos in aliis cernens, & in ſe experiens, non exclamaret: Bone DEUS! qualenam erit, quóſque effectus totum corpus pariet, ubi veram, integrámque ſui ſpeciem oculis offeret? ,inquam, quiſpiam ità ratiocinaretur, nihil expetens magis, quàm extra ſiparium, & in propatulo expoſitum, quale & quantum eſt, intueri illud formoſitatis prodigium, à cujus animâ, tenuíque ſpecie tam mirè ſe affici, & quodammodo incantari experitur; congruentiſſimum enim verò rationi eſt, ut, cùm tam ſecundùm ſe ipſam, & extra omne imaginationis commentum noſtra res ſit, talis quoque circa ipſam animorũ noſtrorũ ſit ſenſus: ſempe ut, quemadmodum certò ſcimus, pulcherrimum ex corporibus, quæ objecta unquam oculis ſunt, vel objici poſſunt, infimam ſecundùm ſuum genus, imperfectiſſimámque ſimilitudinem eſſe inter omnes, quas arcanæ ſuæ eſſentiæ DEUS nobis propoſuit; ſic ex ma-

maxima admiratione, & jucunditate, quam hæ in animis noſtris exiguiſſimæ partes, tenuiſſimæque umbræ inimitabilis, & immenſæ illius pulchritudinis pariunt, rite arguamus, quantò illa ipſa ultrà omnem comparationem ſit admirabilior, amabilior, & viſu jucundior. Ah ergo! cæci miratores, atque idololatræ viſibilium terreni hujus orbis formarũ, quidni legitimam,& perſpicuam (quod omnibus quidem facillimum eſt, ſed vobis etiam, quàm alteri cuiquam facilius) indè concluſionem eruitis? Cur iſthæc adeò imperfecta,& tamen adeò grata oculis DEI ſimulacra pro eo, ut animos veſtros ad amorem perfectiſſimi eorum exemplaris excitent, ab illius ſenſu, & memoria potiùs vos avocant? Quidni intrà vos aliquando ſic diſcurritis, ſi luminoſa adeò ſunt crepuſcula, quale erit ſolis ipſius jubar? ſi tam efficaciter animos rapiunt ipſamet, corporeo luto impreſſa ſupremi Conditoris veſtigia; quidnam vultus faciet,coram, & in proprio ſuo decore ſpectabilis? Nónne has ipſas ſpecies creatas auditis, quæ veſtrum errorem palàm redarguunt, tacitè vobis inculcantes ea D. Petri verba, ad turbas de miraculo à ſe edito attonitas, (*Act.* 3.) *Quid miramini, aut nos quid intuemini?* O animæ! fal-

la-

lacibus præstigiis à vero seductæ, quid defixa adeò oculorum, & mentis acie inhiatis, evanidis, labilibúsque umbris æterni rerum omnium Authoris? Ipsum, ipsum potiùs intuemini, nostræ hujus, & possibilis totius pulchritudinis immensissimum fontem. Ità profectò illæ vos admonent, *ut sitis inexcusabiles*, si lutea hæc summi pulchri simulacra assiduè spectantes, nullâ interim germanæ illius formæ curâ tangimini. Quid dicendum de homine esset, qui lucem quotidie intuens, solem, fœtûs tam pulchri pulchriorem parentem, nunquam curæ habuisset respicere?

5. En igitur, quonam pacto ex naturali, proprióque DEI jure, ut prima, & universalis sit totius pulchri tum creati, tum creabilis causa, incomprehensibilis, & infinitè quacunque aliâ major colligatur illius pulchritudo. Sed manifestiori etiam consecutione idem eruitur ex altera, cujus suprà meminimus, æquè necessaria, pérque suam illi essentiam conveniente prærogativa: quatenus scilicet unicum, & commune exemplar ipse est, ad cujus imitationem quævis pulchri species producitur. Id porrò ut planiùs intelligatur, sciendum est, neminem ex consilio, & ratione operantem, externi quidquam operis mo-

moliri, quin antea illius ideam mente concipiat. Præterea, ideam hanc posse esse duplicem, alteram universalem, nempe ipsam artem, ad quam opus efficiendum spectat, & secundùm quam non ipsum duntaxat, sed & cætera omnia ejusdem generis conformari possunt: alteram verò singularem, nempe certam unam imaginem, quam ex omnibus aliis intrà eandem artem comprehensis artifex peculiariter deligit, & propositam sibi habet, tanquam operis faciendi exemplar, & regulam. Denique, in prima illa generali idea, quam esse ipsammet artem dixi, totam contineri, & quidem cum longè ampliori mensura, peculiaris cujusque operis, ad illius normam effecti, pulchritudinem: tum quia hæc ibi continetur absque iis defectibus, qui sæpe extrà prodeunti hac vel illa de causa adhærescunt; tum quia præter ipsam innumeræ simul aliæ ibidem continentur diversorum operum species, quæ secundùm multiformem ejusdem artis, ideæque regulam effici possunt. Idque probè intellectum à Cicerone est, (*In Orat. ad Brut.*) scribente: *Nihil est in ullo genere tam pulchrum, quo non pulchrius id sit, unde illud, ut ex ore aliquo, quasi imago exprimatur, quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu per-*

percipi potest; cogitatione tantùm, & mente complectimur. Itaque & Phidiæ simulacris, quibus nihil in eo genere perfectius videmus, & his picturis, quas nominavi, cogitare tamen possumus pulchriora. Nec verò is artifex, cùm faceret Jovis formam, aut Minervæ, contemplabatur aliquem, è quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quædam, quam intuens, in eáque defixus, ad illius similitudinem artem, & manum dirigebat. Unde postea acutè intulit Seneca, artificem plùs delectari effectione operis, quàm ipso opere effecto: quippe qui illud efficiens habeat præ oculis ideam artis, spectaculum, ceu externo suo opere pulchrius, sic etiam intuenti jucundius. (Ep. 9.) *Artifici jucundius est pingere, quàm pinxisse. Non æquè delectatur, qui ab opere jam perfecto removit manum. Jam fructu artis suæ fruitur: ipsa fruebatur arte, cùm pingeret.* His itaque constitutis dubium esse nemini potest, quin DEUS, cùm artifex sapientissimus sit, summáque semper cum ratione, & prudentia operetur; nihil extra se efficiat, cujus absolutissimam delineationem, atque ideam intrà se non conceperit. Unde & Severinus Boëtius cum eo loquens sic scribit: (L. 3. *de Cons.* Met. 9.) *Tu cuncta supremo ducis ab exemplo*,

pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens, similique ab imagine formans; & Philosophi quidam apud Clementem Alexandrinum, (*L. 5. Strom.*) mentem divinam *mundum intelligibilem*, & *exemplarem* vocabant, cujus noster hic imaginem referat. Sed quidnam esse tandem hanc ideam, atque formam dicemus, qua æternus faber ad sua exprimenda indè opera utitur? Ocjectúmne aliquod, creatorum artificum more, extra se conceptum, suáque ab essentia distinctum? absit à nobis tale quid suspicari. Nimiùm quippe infinitam perfectissimi illius Effectoris virtutem dedeceret, operationum suarum rationes, modos, exemplaria, atque regulas aliunde mutuari. Non potest illius ars, & idea ab essentia distingui: sed unum prorsus, atque idem cum eo est, tam æterna, immutabilis, & perfecta, quàm ipse. Quæ cùm ità se habeant, suprâque jam viderimus, in artis idea totam excellentiùs contineri operum, quæ secundùm eam fiunt pulchritudinem; nihil porrò supereſt, nisi ut ex dictis colligamus, in divina essentia, tanquam in universali, & perfectissima omnium, quæ vel fact sunt, vel fieri possunt, arte, atque idea totam excellentiùs contineri, sive quæ creata, sive quæ creabilis est, pulchritudinem.

6. At-

6. Atque hinc splendida occurrit, nec difficilis conceptu imago, secundùm quam fas sit, infinitam DEI pulchritudinem sibi contemplandam objicere. Ea autem hujusmodi est: imaginetur, ùt insignibus Architectis mos est, servare in conclavi aliquo parva è ligno, vel gypso editorum à se operum simulacra; ità super orbe lunari vastissimam pinacothecam extare, ubi DEUS ordinatim dispositas habeat rerum omnium pulchrarum, quas vel creavit, vel creaturus est, formas singulas perfectè respondentes æterno exemplari divinæ suæ artis. Putet, in admirabile adeò theatrum se ingredi, & jam totum simul, jam particulatim visu obeat: tum post initam secum rationem, quàm incomparabilis scena illa foret, ubi omnes tam multæ, tam diversæ, tam eximiæ mundi, atque ævi totius pulchritudinis, ad indiscretam veri speciem expressæ, unúmque collectæ sub obtutum prostarent; concludat secum ipse, hujusmodi est, imò sinè ulla comparatione pulchrior, admirabilior, visúque delectabilior DEI mens, atque essentia. Ità profectò extra omnem comparationem formosior: ídque tribus de causis. Primò, quia in pinacotheca prædicta solas videre esset res pulchras, in lucem jam editas, &

ſuo tempore edendas, quæ etſi plurimæ, & præſtantiſſimæ ſint, ultra certum tamen ſeu numeri, ſeu dignitatis modum non exeunt. Deinde, quia formæ, ibi occurrentes, diſtinctæ inter ſe forent, nec proinde oculorum obtutus iu tanta pulchritudinum varietate poſſet plenam uſquequaque, & toti ſummæ parem, ſive ab omnibus, ſive à ſingulis delectationem haurire. Poſtremò, quia rerum viventium ſimulacra ſenſu illic, & vitâ carerent, longéque inferiora rebus eſſent, quas exprimunt. At in mente divina cernere eſt exemplaria, non omnium modò rerum pulchrarum, quæ in lucem prodierunt, vel prodituræ aliquando ſunt; ſed aliarum inſuper, atque aliarum, quæ per infinitam ſupremi effectoris virtutem poſſent ultra omnem numerum, & ſinè ullo pulchritudinis fine produci. Neque ullius rei exemplar ab altero ibi diſtinguitur, ſed tota illa pulcherrimarum ſpecierum infinitas, abſque minimo in ſingulis nativæ, propriæque formoſitatis ſuæ detrimento ſecundùm unicam, ut Dionyſii Areopagitæ verbis utar, (*De Div. Nom. c. 5.*) *ſupraeſſentialem copulationem*, in unum colligitur omnino indiviſum, & ſummè ſimplex objectum. Ac demum uſque adeò nullum ens creatum mortuo modo, mi-

minúsque actuosum, & perfectum ibi existisfit, quàm in se ipso, ut etiam substantiæ naturâ inanimæ in perfectissimo illo suo exemplari vivant, quæque in se ipsis corruptioni obnoxiæ, multísque inquinatæ defectibus sunt; immutabilem ibi, sinceríssimámque, & omnibus absolutam numeris pulchritudinem habeant. Hunc itaque in modum ex eo, quòd DEUS prima, æterna, & universalis idea rerum omnium, sive existentium, sive possibilium sit, promptum cuique est, illum concipere, tanquam objectum, ultra omnem mensuram pulcherrimum, omnésque intrà se continens, non unius tantùm præsentis mundi, sed & innumerabilium, qui præterea creari possunt, pulchritudines in unicam, puríssimam, infinitam, & sempiternam pulchritudinem ineffabili modo collectas.

7. Imò ex eadem ratione meliùs adhuc DEUS concipi poterit, non utique velut ens pulchrum, & pulcherrimum, sed veluti ipsamet pura putà, simpléxque, & universalis pulchritudo. Adeò ut, quemadmodum lux, neutiquam dicitur lucida, sed forma potiùs, unde, quæcunque sunt lucida, id nominis mutuantur, eò singula plùs, vel minùs talia, quò ipsam plùs, minúsve participant; sic esse divi-

num, quod ipsissima pulchritudo, nec aliud, quàm pulchritudo est, nequaquam mente apprehendatur, sub nomine composito pulchri, sed sub mera notione illius simplicis formæ, unde pulchra omnia habent, ut sint, & dicantur talia singula plùs, vel minùs pro ampliori, vel minori mensura, secundùm quam illa ipsis se impertit. Neque id factu difficile erit, dummodo advertatur ratio, propter quam in rebus creatis, quod pulchrum est à sua pulchritudine, & peculiaris quælibet pulchritudo ab universali, & omnifaria distinguitur. Distinguitur primò apud nos, quod pulchrum est, à sua pulchritudine, quia cùm hæc sit aliquid substantiæ illius superadditum, & ab ea separabile, nequit illud, quantumquantum est, esse pulchritudo, nihilque aliud, quàm pulchritudo: sed præter hanc aliquid etiam ab ipsa diversum in se habet. Quòd si, veluti in Eucharistiæ Sacramento, destructâ panis substantiâ, sola illius accidendia, color, sapor, atque odor supersunt; ità DEUS, omnem corporis pulchri substantiam auferens, solam, unde pulchrum erat, extimam illius speciem relinqueret; hæc profectò, ceu omnibus patet, nihil, præter meram pulchritudinem foret, neque propriè loquendo, posset aliquid pul-

pulchrum, sed pulchritudo potiùs vocari. Distinguitur itidem certa, & peculiaris quælibet pulchritudo, cujusmodi est quæcunque in rebus creatis reperitur, à pulchritudine absoluta, & universaliter concepta. Prior enim, quantacunque sit, nunquam est tota pulchritudo possibilis, sed tanta, & non amplior, hujus, & non alterius generis, sempérque potest crescere, sed nunquam eò usque, ut alia major nequeat produci. Exemplo sit pulchritudo Helenæ, præter quam multæ aliæ diversæ pulchritudines, putà florum, ædificiorum, aliorúmque humanorum vultuum cernuntur: ut proinde nuncupari nequeat pulchritudo sinè ulla terminationis, & discriminis nota, sed hæc peculiaris pulchritudo ad hoc solùm genus, & intrà hanc mensuram contracta. Sed enim concipe animo ideam universalem pulchri, nimirum non hanc, vel illam pulchritudinis speciem, sed ampliſſimam illam formam, ex qua diversimodè participata peculiares omnes tam multæ, támque variæ existunt, florum, animalium, spirituum, & aliarum, quotquot sunt possibiles, substantiarum pulchritudines: huic certè nullum genus, nullúsque gradus pulchritudinis potest deesse: imò amplior multò esse debet totâ illâ, quæ in rebus pul-

chris jam productis elucet, ut tot aliis pulchrioribus, quæ produci adhuc possunt, tanquam earum forma se imprimat: nec proinde ullus in ea reperiri terminus potest, aut quidquam eâ concipi majus. Hæc porrò universalis forma omnis pulchri, quæ, propriè loquendo, non aliquid pulchrum, sed mera pulchritudo est, quæque omnes mensuras, & diversitates pulchritudinis sua immensitate complectitur, adeò ut nihil extra ipsam, nisi per speciem ab ea sibi impertitam, reperiri queat pulchrum; hæc, inquam, adeò pura, adeò interminata, adeóque omnimoda pulchritudo, nusquam omnino, præterquam in DEO potest occurrere. Imò, si fingeretur extra ipsum existens, multò ibi minùs amabilitatis haberet, quàm nunc habeat in ipso. Nam vel conciperetur, tanquam inter plurimas res pulchras divisa, & dote unitatis careret; vel tanquam nulli substantiæ inhærens; & tunc merum, mortuúmque accidens foret. At in DEO, sinè ulla sui divisione existit, usquequaque solida, tanquam unicum, simul infinitum, simúlque simplicissimum ens: & instar perfectissimæ substantiæ, ac vitæ existit: nec aliud quidquam revera, nisi talis pulchritudo essentia DEI est. Nam primò, quidquid in ipso occurrit, est pulchrum,

chrum, & ſuprà quàm pulchrum, neque id per ullam extrinſecùs ipſi additam formam, ſed per ſe ipſum: atque ità nihil in eo, nisi puriſſima pulchritudo eſt, pulchritudo eſſentia, pulchritudo mens, pulchritudo voluntas, pulchritudo vita, pulchritudo denique, quidquid de illo tot varia illius nomina nobis intelligendum objiciunt. Præterea, ceu ejus pulchritudo idem eſt cum eſſentia, ſic fieri non poteſt, quin ad hujus modum perfectiſſimè ſubſiſtat, & vivat. Denique, cùm ipſe abſolutiſſima, & univerſalis forma totius pulchri poſſibilis ſit, nec quidquam extra ipſum tale eſſe poſſit, nisi quatenus ipſius particeps; manifeſtiſſimè apparet, nullam poſſe alibi pulchritudinem reperiri, quæ hanc vel excedat, vel æquet. Etenim neque ulla forma plus perfectionis, & decoris impertire alteri poteſt, quàm ipſa in ſe habeat, adeò ut illud per id ſolummodo, quod ab ea accepit, eâ præſtantius evadat; neque forma infinita, cujuſmodi neceſſariò eſt idea totius pulchri, poteſt ſeſe totam impertiri ſubſtantiæ capacitatis finitæ, cujuſmodi neceſſariò ſunt creatæ omnes ſubſtantiæ; nisi fortè admittamus fieri poſſe, ut ſigillum materiæ, cui applicatur, plures imprimat, pulchrioréſque figuras iis, quas in ſe continet:

aut quando materia centies minor eo est, plus quàm centesimam sui, & figurarum suarum partem ei imprimat.

8. Quod si per sigilli hìc commemorati exemplum videre adhuc clariùs te juvat, quàm immenso intervallo divina pulchritudo omnes alias ad similitudinem sui conformatas excedat; imaginare adamantem magnitudinis infinitæ, variisque per universam suam superficiem cælaturis distinctum, nec procul indè orbem argillaceum; vastæ & ipsum, sed finitæ amplitudinis, cui infinitus ille adamas, ex omni circum parte se applicans, totum undique imaginibus suis consignatum relinquat. Rogo, num sibi illum propterea similem omnino reddiderit. Negabis procul dubio: nam, præterquam quòd imagines ibi sunt adamantinæ, hìc verò argillaceæ; hæ ipsæ, secundùm materiam inferiores, non nisì finita, ideóque exiguissima portio aliarum dici poterunt, quæ in pretioso illo exemplari ultrà omnem modum plures supersunt, & alteri adhuc globo centies majori, imò millenis, millenisque aliis, itèm centies majoribus consignandis sufficerent: quin tamen omnes in his quoque impressæ imagines nullam habere proportionem possent cum aliis omnino infinitis, quas adamas

mas etiamnum retineret, & ſecundùm quas omnes nequiviſſet materiæ finitæ applicari. Transferamus jam exemplum ad ſummam DEI pulchritudinem. Hæc cùm infinitarum omnium, quæ creari poſſunt, pulchritudinum idea unica ſit; earum quoque omnium formas in ſe habeat, neceſſe eſt. Quid enim in hac mundi univerſitate creanda DEUS fecit? Nihil ſanè aliud, quàm quod infinitus ille adamas feciſſet argillaceo, & finito orbi effigiando ſe applicans. Sic enim & ipſe ignobili, ac finitæ mundi materiæ infinitam admovit pulchritudinem ſuam: non tamen totam, ſed quantæ hæc capax ſecundùm finitam ſuam magnitudinem erat: nec omnia illius lineamenta, ſed exiguiſſimam ſolummodo eorum partem, qualis nimirum quæcunque finita præ toto infinito eſt, ibi potuit imprimere. Creet, age, alterum mundum, centies hoc præſenti ampliorem; creet mille alios eadem ſemper centupla proportione alium alio majores. Unquámne creare tam multos poterit, ut, quidquid pulchri in eſſentia ſua habet, in iis totum omnino exprimat? nullo certè modo unquam poterit. Cùm enim fieri nequeat, ut eorum ullus capacitatem habeat plùs quàm finitam, vel, quotquot creati fuerint, numerum finitum

tum excedant; nunquam fiet, ut divinæ pulchritudinis imagines iis omnibus impreſſæ ſint plus quàm finitæ, ut proinde comparari, & proportionem habere nequeant cum ſuo infinito exemplari: quod, utcunque ampliùs, ampliúſque ſe impertiat, & pergat ſui lineamenta in novis ſubſtantiis creatis exprimere; neceſſe eſt tamen, ut infinitâ pulchritudinis exſuperantiâ prætergrediatur, nedum quamcunque ſuam imaginem, ſed & totam ſimul externarum ſuarum imaginum univerſitatem. Unde ſunt præclara illa nomina, quæ vel Ethnici ſapientes ipſi attribuunt, vocantes alii *pulchritudinem ſinè imitatione*, ùt Triſmegiſtus; (*Pim. c. 4.*) Alii *ſuperpulchrum abſque menſura, & omnis pulchritudinis florem*, ceu Plotinus; (*En. 6. L. 7. c. 32. & 33.*) Alii *profundum, & immenſum pulchritudinis pelagus*, ceu Plato (*in Conu.*) & Alcinous. (*c. 10.*)

9. Nec nulli uſui, ad eandem illius exuperationem ſenſibus admovendam, & vividiùs repræſentandam, alia erit imaginaria comparatio, quam pro coronide ſecundi hujus argumenti libet hìc ſubdere. Age igitur, fingamus, omnipotentiam divinam intrà ampliſſimum vas ſtillatorium, creatas omnes conſtipare tum corporeas, tum ſpirituales ſubſtanti

tias, è quibus hìc mundus componitur : éque ipsis ità congestis, ceu fieri in floribus solet, eliquare, quidquid pulchritudinis habent, ità ut solùm id remaneret, & à quavis re alia secretum : quemadmodum in Eucharistiæ Sacramento solæ, suámque extra substantiam panis, & vini species superstant : neque hoc tam mirabili opificio contentam, stillatitio illitot, támque diversarum pulchritudinum succo vitam, sensum, atque intellectum infundere: ità ut ens quoddam indè existat, cujus una hæc sit natura, totam esse, quæ dispertita in præsenti rerum universitate fuerat, pulchritudinem. Quid ais, Lector, de tali prodigio? qualis, quámque extraordinaria videtur tibi fore novi hujus entis formositas? Enim verò inficiari nequis, majorem futuram ei vim incitandi, & stupore percellendi intuentes, quàm formosissimo cuilibet hujus mundi objecto, imò & formosissimis omnibus ejusdem objectis unà simul spectatis. Quippe ubi aspiciendum se præberet, & majori unitate collectum, & ab omni defectuum contage sincerũ, quidquid venusti, speciosi, & amabilis per ea omnia dividitur. Sed quid porrò? possétne illa vocari pulchritudo universalis, forma, & idea totius pulchri possibilis? imò tam longè in-

indè abeſſet, quàm finitum quidvis longè eſt ab æquando infinito. Quantumcunque enim admiranda, & inexplicabilis videatur, certa tamen, ac peculiaris quædam pulchritudo eſſet, ex iis ſolis generibus conſtans, & intrà eas tantùm menſuras contracta, ex quibus conſtabant, & intrà quas contrahebantur ſubſtantiæ, unde eſt expreſſa. Quare non poſſet ſe diſpertiendo, & imprimendo pulchras reddere univerſas res poſſibiles, ſed certum ſolummodo earum numerum, quot nimirum illæ erant, in quibus antequam indè traheretur, manebat. Nec talis eſſet, ut à nulla alia poſſet excedi: quin imò tot aliæ eâ majores poſſent exiſtere, quot ſunt mundi, ab hoc noſtro diverſi, eóque millenis vicibus pulchriores, quos DEUS adhuc poteſt creare, & ex quibus, ſi crearentur, eliquari, exprimíque alia pulchritudo poſſet ſinè ulla comparatione amplior. Quamvìs nè illa quidem foret, nisì certa quædam univerſæ pulchritudinis pars, atque ſpecies, capax pluries, & pluries in infinitum augeri: ſed ità, ut nunquam non modò adæquare divinam pulchritudinem, ſed nec plus quàm minima illius portio eſſe poſſet. His ergo præmiſſis, intuendam tibi propone, quam finximus, pulchritudinem ex omnibus hujus mun-

mundi ſubſtantiis in unum quaſi ſuccum expreſſam, qua nihil concipere amabilius potes, quæque, ſi videri oculis poſſet, incredibili admirationis, & voluptatis ſenſu te afficeret : propone tibi illam, dico, veluti ſphæram quandam per mille, vel plura paſſuum millia extenſam. Tum, ubi aliquantiſper in illius contemplatione, & admiratione hæſeris, ad divinam pulchritudinem mentis oculos refer : pulchritudinem ſcilicet, non hujus, vel illius certi generis, ſed omnia complectentem, atque excedentem genera, utpote quæ univerſalis forma eſt totius tam creati, quàm creabilis pulchri, potens quandocunque ſe ipſam nihilo applicet, non unum, aut certum, vel mille, ſed innumeros ſtatim exprimere infiniti ſui decoris participes mundos. Eam, dico, ante mentis oculos pone, veluti orbem quemdam incomparabilis formoſitatis per imaginaria quævis ſpatia ſinè ullo limite effuſum, cujus centrum ubique ſit, circumferentia nuſquam : & ad hujuſmodi ſpeciem oppreſſum nimia admiratione ſpiritum colligens, exclama : O pulchritudo ſupra omnem pulchritudinem, imò quæ ſola dici pulchritudo, ſola ſuſpici, & amari mereris, ceu illa, per cujus imitationem habent, ut ſint pulchra, & in cujus

jus comparatione illico esse desinunt pulchra quæcunque objecta creata.

10, Succedunt tertii argumenti locò, quatuor pulchritudinis dotes, à Platone, & Dionysio Areopagita observatæ : (*Pl. in Conv. Dio. de Div. Nom. c.* 4.) quæ, & quantò excellentiùs cuivis objecto insunt, tantò illius pulchritudinem magìs commendant; nec ulli propriè magìs, atque eximiè conveniunt, quàm DEO. Eæ verò sunt: prima, ut pulchritudo immutabilis sit, nec deficere valens, aut minui: altera, ut nihil defectûs, & turpitudinis admistum ibi habeat: tertia, ut nulla externa ope, & arte egeat: quarta, ut non solùm sibi plenè sufficiat, sed ad extrà etiam redundet, séque in alios propagandi vim habeat. Examinemus singulas, & perspicuè agnoscemus, quàm longo intervallo divina pulchritudo in nullis non earum quamcunque aliam excedat, quæ à nobis concipi potest, ac præcipuè corpoream, quæ, utpote notior, pluris æstimari à mortalibus solet. Ordiendo itaque à prima, nimirum ab immutabilitate, hanc certè nusquam reperire est in creatis, etiamsi incorporeis objectis: cùm ex iis nullũ suamet virtute prorogare sibi existentiam, vel ad punctum temporis queat. Sed multò notabiliori ejus de-

fe-

fectu corporeæ, ac ſenſibiles formæ laborant, mille caſibus continenter ſubjectæ, breviſſimúmque intrà tempus occiduæ; cùm quotidie videamus, quantam morbus, mutilatio, vulnus etiam pulcherrimam faciem deformandi vim habeat: imò quàm ſolus temporis curſus per ſeſe, & ſinè ulla vi externa ſufficiat ad eam rugis ſignandam, & juvenili ſuo flore exuendam: adeò ut nîl priſtini decoris retineat, víxque eſſe agnoſcatur, quæ fuerat: qualem in ſpeculo Helena jam anus ſe intuens, teſte Ovidio, inhibere lacrymas nequit, ſibíque diſplicet, (*Lib. 15. Metaph.*) *& ſecum, cur ſit bis rapta, requirit.* Nè de morte interim loquar, quæ paulò pòſt ſuperveniens deprædatur tenues illas venuſtatis reliquias, queis ſenectus pepercerat: & quàm ſæpiſſime in ipſo ætatis flore irruens, ſubita depopulatione formoſiſſima paulò antè corpora penitùs vaſtat, éque vernante gratiarum viridario in ſqualentis deſerti horrorem commutat: *Poſſint ut juvenes viſére fervidi collapſam in cineres facem.* (*Hor. L. 4. Ode.* 13.) En igitur, quidnam ſit ea corporis venuſtas, quæ à cæcis mortalibus tanto in prelio habetur, potentibúſque adeò illecebris ad ſe animos rapit: nempe *exigui donum breve temporis*, (*Sen. in Hyppol.*) cadens ſtella, pompa

præteriens, theatrum inconſtantiæ, annorum præda, oculorum ludibrium, ſplendens fragilitas: cujus appoſitam nobis natura, in florum tam decora, támque ſubitò evanida ſpecie, repræſentat quot annis imaginem, ceu admonens notat (*Plinius L. 21. c. 1.*) *Quæ ſpectatiſſimè floreant, celerrimè marceſcere.* At hæc diu manendi impotentia, & proximi occasûs neceſſitas, quotuſquiſque non videt, quanta externæ pulchritudinis imperfectio ſit, quámque illius æſtimationem diminuat? Cùm, quiſquis eam ſpectat, certiſſimè noverit, haud ſibi licere ad longum tempus ea frui, ſed fore propediem, ut ii oculi, ſiderum inſtar nunc micantes, in tenebricoſas ſpecus convertantur: genæ illæ, venerum, & leporum ſedes, in ſaniem, ac vermes ebulliant: os illud melleam ſuavitatem ſpirans, immundum fœtorem expiret: vultus ille denique, ex cujus aſpectu tantum voluptatis capit, præ ſitu, præ ſqualore, præ tabo, & putredine nauſeam ſibi vel obiter viſus cieat. Quod ſi aliquibus Medeæ ſuccis fragilis illa, & deficiens venuſtas ſervari ità poſſet, ut nulla temporis longinquitas, nulla morborum intemperies, nulli caſuum adverſorum inſultus illius minuendæ, immutandæque vim haberent, ſed qualis eſt in ſpecta-

ctatiſſimo juventæ ſuæ flore, talis perpetuò duraret, recens, vivax, incorrupta, immutabilis; quantò tunc illa majori in pretio haberetur, quantóque efficaciùs ad amorem ſui animos traheret? At enim numquid non talis, ità perpetua, ità corruptionis neſcia, ità extra omnem mutationis aleam, ità ſemper in ſummo decore ſuo ſtabilis divina pulchritudo eſt? Nónne quiſquis eam amat, eáque delectatur, omni procul dubio ſcit, nunquam fore, ut propter ullam ſeu caſuum varietatem, ſeu temporum deceſſionem, ſui objectum amoris deficiat, ſuæque minuatur delectationis materia? Quantùm igitur ſtabilitatis hujus tam perpetuæ, támque ſemper ſibi ſimilis causâ præhaberi meretur fugaciſſimo corporeæ cujuslibet venuſtatis nitori, quamvis nulla cæteroqui dote alia ipſi antecelleret? Philoſophorum ſanè multis, & Platonicis nominatim adeò neceſſarium, ſummíque viſum momenti decus hoc eſt, ut veram pulchritudinem non poſſe, nisi in ſubſtantiis immortalibus, & perpetuis reperiri docuerint. Perinde quaſi ità ſecum diſſererent: Pulchritudo eſt primarius, imò unicus amoris ſcopus, & finis: atqui gravis plùs nimiò cruciatus amanti eſt, ſi unicum voluntatis ſuæ ſcopum, & finem repentè ſibi vi-

deat deficere. Quamobrem parùm provida, nè dicam crudelis erga nos fuisset natura, si, cùm tam acrem nobis ad pulchrum amandum propensionem indiderit, veram pulchritudinem in substantiis constituisset caducis: nec veriùs imperfectam solùm aliquam illius similitudinem in his adumbrâsset, quantùm satesset, ut indè excitaremur ad cupiditatem perfectissimi, æterníque earum exemplaris, quod amanti nunquam deficit, & cujus tantummodo gratiâ amandi facultatem nobis tribuerat.

11. Quid porrò de altera divinæ pulchritudinis dote dicemus, plenitudine nimirum, & sinceritate, per quam nihil in ea desideretur proprii, nihil admisceatur contrarii? Nónne hinc etiam luculentissimè apparet, quantùm illa supra cæteras omnes pulchritudines emineat? apparet procul dubio. Nam primò intuendo corpora terrena, & mortalia, nullum eorum unquam extitit, perfectè adeò, atque omnimodis pulchrum, ut nihil in eo vel circa totius mensuram, vel singulas partes, vel harum inter se proportionem, vel coloris speciem, vel motuum concinnitatem, mendosum occurreret, sive ulterioris perfectionis desiderandum supereresset. Quemadmodum à prudenti illo pictore solerter animadversum est,

est, cùm expressurus absoluti decoris effigiem formosissima quinque corpora sibi ad exemplar proposuit, & ex iis, quod in unoquoque magìs emineret, collegit. *Neque enim* (ait Tullius) *putavit, omnia, quæ quæreret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse: ideo quòd nihil simplici in genere omni ex parte perfectum natura expolivit.* (2. *de Invent.*) Sed, licèt etiam corpus aliquod reperiretur, cui ad summam, omnibúsque absolutam numeris pulchritudinem nihil deesset; hujusmodi tamen perfectio in sola exteriori illius superficie appareret; nam cæteroqui, si noster obtutus, secundùm Aristotelis, & Boëtii observationem, posset illius cutem pervadere, & viscerum penetralia subire; quám multa ibi visu deformia, in fæcibus, aliísque tetris humoribus cerneret, quæ sub speciosa illa incrustatione, ceu sub marmorei sepulchri tegumento cadaverum putres reliquiæ delitescunt? (*Boët. L. 3. de Consol. Pros. 8.*) *Si linceis oculis homines uterentur, ut eorum visus posset obstantia penetrare; nónne introspectis visceribus illud Alcibiadis superficie pulcherrimum corpus fœdissimum videretur?* Quare manifestum apparet, nullum posse in terris tam puræ, perfectæque pulchritudinis corpus existere; ut nihil fœdi, oculísque minùs gra-

ti in se habeat. Præterea quibusvis corporibus, etiam glorioſis, & divina virtute ad immortalitatem reformatis, hæc ineſt neceſſaria imperfectio, ut non unam in quavis ſua parte communem, & eandem pulchritudinem habeant, ſed plures potiùs ſingulas ſingularum partium proprias, nempe hanc oculorum, illam genarum, aliáſque aliorum membrorum: quorum nullum æquè pulchrum eſt, ac totum corpus, neque tota corporis pulchritudine, ſed quodlibet ſua particulari, atque propria. Unde fit, ut nullum, eſto perfectiſſimũ corpus poſſit ſecundùm omnem ſenſũ dici in quavis ſui parte penitùs pulchrũ, cùm in earum nulla totam ſuam pulchritudinem colligat. Extendendo denique proportionem ad omnia objecta creata, etiam corporeæ concretionis expertia, quemadmodum certiſſimè conſtat, nullum eſſe in iis omnibus, quod tam ſecundùm ſuam eſſentiam, quàm ſecundùm ſuas reliquas dotes finitum non ſit, & cui proinde infinitè plus perfectionis non deſit, quàm contigerit; ità æquè certum eſt, nullum eorundem eſſe, cujus pulchritudo certis limitibus non arctetur, infinitéque minor ſit, quàm eſſe poſſet. Concipiamus igitur mente objectum aliquod, cui nullum genus, nullúſque de-

desit pulchritudinis possibilis gradus : cujus quævis pars non solùm pulcherrima, & sinè ullo deformitatis nævo sit; verùm etiam tam pulchra, quàm reliquæ simul omnes, ipsúmque totum. Qualénam perfectissimæ, & omnimodæ in quavis sua parte pulchritudinis prodigium id foret, quantóque majori admiratione, & voluptate intuentes afficeret, quàm ullum aliud ex omnibus, quæ unquam vel extiterint, vel extitura sint? Atqui tale, perfectéque adeò pulchrum, nec aliud, quàm pura, & tota pulchritudo est summum esse divinum; nam & omnes possibiles pulchritudines sua infinitate complectitur, & omnes pariter sua simplicitate in unicam, penitúsque indivisam pulchritudinem cogit. Quapropter, undeunde spectetur, nihil in eo appareat minus toto ipso intuentibus gratum, nihil cui quidquam novæ amabilitatis adjici queat, nihil, quod puríssima non sit, & quanta optari potest, nempe omnino infinita formositas. O DEUS! & in tota tua essentia, & in quacunque peculiari perfectione ultra omnem modum pulcherrime. O theatrum! possibilia quævis pulchri genera exhibens, neque illa quidem alia alibi dispertita, sed in unicam omnia, & simpliciſsimam speciem collecta.

Quis te non amabit, si cordis, & sensûs aliquid habeat? Quísve te cognoscens, aliud quidquam præter te admirari poterit? *Valde mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.* (*Esther. c.* 15.)

12. Adde jam dictis tertiam perfectæ pulchritudinis proprietatem: nempe ut nequaquam aliunde mendicata, & fuco accersita, aut adventitia substantiæ sit, sed, quantùm fieri potest, intima, & naturalis eidem. Nam quomodo pulcher verè dici poterit vultus, cui ad venustatem opus est, comi, lævigari, pingi, distendi, tótque adscititia sibi circumponere ferici, auri, unionum, gemmarúmque ornamenta, ut quod aptè scripsit, (*Ov. de Rem. Am.*) *Sæpe, ubi sit, quod ames, inter tam multa requiras*, usque adeò *pars minima est ipsa puella sui*: & oculus, per mortua illa pulchritudinis parerga evagatus, dicat tandem, ubinam vera, & propria est pulchritudo? externa id genus præsidia opulentum quidem, & splendidè ornatum corpus reddere possunt, formosum haud possunt, imò palàm faciunt, abesse ità se comenti illud decus, quod tam sedulò aliunde accersitur: adeò ut ei quoque dici meritò possit, quod vulgari & inficeto cuidam Helenæ pictori dictum est: (*Cle-*

(*Clem. Alex. Pæd. c. 12.*) *Cùm non posses pulchram facere, feciſti divitem.* Vera pulchritudo talis per ſe eſt, nec ullo fuco, ullíſque lenociniis opus habet, ut placeat. Demas licèt, quidquid circa ipſam eſt, nihil de ipſius gratia, & amabilitate detraxeris. Quare Verbum divinum nativam lilii venuſtatem quantocunque regalium Salomonis indumentorũ ſplendori antepoſuit, ceu quæ nequaquam horum inſtar adſcititia, juxtáque exui, ac indui facilis, ſed naturæ privilegio, atque munere penitùs inſita illi eſt. Unde etiam licet manifeſtè colligere, quantùm divina pulchritudo aliis quibuſque antecellat. Etenim res creatæ, etſi intrinſecùs, & naturæ ſuæ vi pulchræ ſint, non tamen ipſæmet ſua dici pulchritudo poſſunt: ſed hæc ſuperadditum quidpiam iis eſt, ceu corporibus color, & ſpiritualia ſubſtantiis incorporeis decora: ut proinde, qui eas propter pulchritudinem amat, non tam ipſas, quàm aliquid ab ipſis diſtinctum amet. Imò neque illa pulchritudo, quæ in mera earum eſſentia conſiſtit, poteſt penitùs, atque omnino earum propria cenſeri: quippe quam neque ipſæ ſibi dederunt; neque conſervare, ac tueri ſuis viribus poſſunt: quæquæ, licèt ab iis habeatur, non tamen ad

earum, sed ad sui tantùm Conditoris jus pertinet: capax ipsa etiam subjectionis hujus respectu vocari, qualis respectu sui fructûs vocata est à Bione exterior venustas, nempe *alienum bonum.* (*Laërt. L. 4.*) At longè secùs in DEO evenit, qui totam à se uno, quemadmodum infinitam suam essentiam, sic & infinitam suam pulchritudinem habet: cùm hæc nihil aliud, quàm essentia ipsius sit. Unde fit, ut idem sit illi esse, ac pulcherrimum esse, neque ab ullo queat propter formositatem suam diligi, quin merè propter se diligatur: meritò hinc dictus à Plotino, *Amabilis, & amor, quia pulcher à se ipso, & in se ipso.* (*En. 6. L. 8. c. 15.*)

13. Quartum veræ, & summæ pulchritudinis decus est redundare, & diffundi extra se in alios absque ullo pulchritudinis suæ detrimento. Talis siquidem, teste D. Thoma, causarum omnium natura est, ut non antea propagari extra se incipiant, quàm justum incrementum, & debitam perfectionem consecutæ in se ipsis fuerint. (*1. p. qu. 78. a. 2.*) *Est enim rei jam perfectæ facere alteram, qualis ipsa est.* Quocirca, & si nullum aliud nobis suppeteret argumentum plenitudinis, secundùm quam DEUS pulcher est in se ipso, colligere eam

eam satìs possemus ex incomparabili sua rerũ pulchrarum fœcunditate. Cùm omnes tot, támque variæ, quæ in mundo cernuntur, pulchritudines nihil sint aliud, quàm effectus ab ejus intuitu, aspectúque producti. Fac, age, aliquam in terris esse Helenam, quæ solummodo intuendam se præbens, similes sui efficiat, ínque pulchros ex deformibus spectatores suos convertat. Quisnam, rogo, non summopere admiraretur formositatem suam fœcundam, suíque adeò profusam? Imò quisnam etiam è remotis regionibus non concurreret ad eam contemplandam, & in sese tali pacto exprimendam? At portenta hujusmodi non nisì à DEO edi possunt. Illius propria est hæc mira suæ pulchritudinis in suos spectatores diffusio, eámque incredibili suo bono experiri universis cælitibus datur, qui, prout scribit Apostolus, (*2. ad Cor. c. 3.*) *Revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformantur*: quemadmodum nobis quoque datum iri speramus, cùm à terrestri hoc exilio in cælestem patriam acciti, (*Joa. Ep. 1. c. 3.*) *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* Quanquam non ideò est mirandum, si, coram spectatus, novam illam, támque eximiam sui speciem in ani-

animabus, & spiritibus naturâ cæteroqui pulcherrimis imprimat, qui ipsammet deformitatem, purum scilicet nihilum intuens, potest ibi confestim speciosissimis mille modis seipsum repræsentare, & innumerabili suarum imaginum varietate tenebricosum illud vacuum replere. Et verò, nónne hoc tam mirabile ostensum in primæva mundi creatione ab eo exhibitum cernimus? Respexit unamquampiam nihili partem; & ecce ibi apparet ab efficacissimo illo obtutu producta terræ moles, & quidquid in ea est animalium, plantarum, metallorum, gemmarum. Intùitus est alteram; & en ibi effulgent sidera, & cæli. Vertit se ad aliam; & en ibi eodem temporis puncto impressæ videntur formosissimæ tot sui effigies, quot Angelici spiritus sunt. Quàm igitur plenam, perfectam, atque immensam eam esse dicemus pulchritudinem, quæ tetrum, atque informe nihili chaos sola sui obtutûs virtute in mundum, tot undique venustissimis formis distinctum convertit: quæque, cùm innumeram rerum pulchrarum varietatem suo è sinu profuderit, multò adhuc potest majorem, sempérque in infinitum majorem profundere: quin omnia, quæ indè sive hactenus exundârunt, sive per totam deinceps

æter-

æternitatem exundare possunt, earum diluvia plus unâ aquæ guttâ præ immenso illius Oceano videri; aut tantula, quantâ est aquæ gutta, particulâ infinitam diminuere illius plenitudinem queant?

14. Quibus rite perpensis nihil jam superest, nisi ut colligamus cum Platone, si tantùm suo visu nos afficiunt sensibilia hæc objecta, quorum pulchritudo, utpote corruptioni obnoxia brevi in deformitatem convertetur; & licèt etiam perpetua, atque immutabilis foret, haud tamen pura, & plena pulchritudo est, neque insuper ad eorum essentiam pertinet, sed quasi aliquid distinctum illi advenit, ac demum ceu finita, nec ipsismet omnino decorandis sufficiens, nequit sese in quoscunque alios diffundere: si, inquam, nostratia hæc objecta suo imperfecto decore tantam nos oblectandi, suúmque in amorem rapiendi vim habent; qualenam existimari par sit summum illud, & incomparabile objectum, cujus pulchritudo non modò nunquam deficere, sed neque imminui, aut in deterius mutari potest, neque ullâ turpitudinis labe labe inquinatur, sed veluti pura puta pulchritudo est; ità ex omni sua parte sinceriss-
imam, pleniss-imámque jucunditatem spirat:

ne-

neque aliquid ipsius essentiæ adventitium, sed idem omnino quod illa est: nec denique ipsum tantummodo pulchrum penitùs facit; sed infinitis quoque aliis objectis citra ullam sui diminutionem impertire se potest? objectum denique, ut divini Areopagitæ verbis concludam, *plusquam pulchrum, secundùm eadem, & eodem modo pulchrum, neque augescens, neque decrescens, nec ex parte una pulchrum, ex alia verò deforme, nec aliàs pulchrum, aliàs verò non: sed ut ipsum secundùm se uniforme semper existens pulchrum, atque fontanam universi pulchri pulchritudinem in se ipso eminenter anticipans, præhabénsque.* (*De Div. Nom. c. 4.*)

CAPUT XXIX.

Eadem divinæ pulchritudinis excellentia demonstratur ab effectis, ab incomparabili scilicet gaudio, & amore, quo spectatores suos afficit: concluditúrque, quanti momenti sit, altè impressam, & consignatam in mente illius speciem habere.

ARgumenta, quibus in superiori capite ad probandam incomparabilem divinæ pulchritudinis excel-

cellentiam usi sumus, abstrusiora fortasse alicui videbuntur, nec perinde intellectu, & memoratu facilia. En aliud ab iis desumptũ effectibus, qui, cùm maximè proprii pulchritudinis sint, certissima itèm mensura illius sunt, nempe à gaudio & amore, quo intuentes se afficit. Argumentum, nihilô superioribus firmum minùs, adeóque simul perspicuum, ut quivis seu versatus in literis, seu illarum rudis, ingenióque seu acutus, seu hebes, illud rite perpendat, visurus apertissimè sit, quàm immenso intervallo prima illa, atque æterna pulchritudo cæteris omnibus antecellat. Cùm enim non minùs proprium pulchri sit delectare, & in amorem sui rapere, quàm corporis lucidi illuminare, & calidi calefacere, quemadmodum revocari nequit in dubium, quin tantò quodvis corpus lucidius, calidiúsque sit, quantò majore vi illuminat, & calefacit; sic neque dubitari potest, quin tantò objectum quodvis sit pulchrius, quantò plus delectationis, atque amoris suo aspectu producit. Quapropter, si ego hìc ostendam, majorem sinè ulla comparatione vim DEO inesse eos, qui se coram intuentur, gaudio & amore afficiendi, quàm inesse ulli alteri possit vel creato, vel creabili objecto; næ simul osten-

ostendero, divinam illius pulchritudinem cuilibet alteri supra omnem modum præstare. At verò, quàm certa secundùm utramque partem primæ illius propositionis veritas sit; nec laboriosum mihi demonstrare, nec Lectorum ulli tardum erit perspicere.

2. Ut ergo à delectandi virtute ordiar, accedite huc cæci humanarum admiratores formarum, quóque perspiciatis clariùs, quantò iis omnibus delectabilior, ac proinde etiam major supremi earum exemplaris pulchritudo sit, contemplamini, quæso, mecum beatissimum illud gaudium, quod ab illius visione in universos cælestis aulæ incolas profluit, *torrente voluptatis* felices eorum animos ad pleniſſimam satietatem inundans gaudium, quod non modò *exuperat omnem sensum*, utpote majus omni jucunditate, quàm sensus corporei experiantur in terris, sed *quod nec in cor hominis ascendit*, sua quippe ineffabili suavitate omnem aliam, quæ ab imaginatione nostra concipi valet, transcendit gaudium, quod à Sanctis, Thoma, & Anselmo (2. 2. q. 28. a. 3. *Prof.* c. 25. & 26.) meritò nuncupatur *perfectè plenum*, imò etiam *superplenum*: Nam eo fruentes: *Sic gaudebunt toto corde, tota mente, totâ animâ, ut totum cor, tota mens, tota ani-*

ma

ma non sufficiat plenitudini gaudii. Pleno quippe corde, plena mente, plenâ animâ, pleno toto homine, adhuc supra modum superexit gaudium: neque ideo *totum illud gaudium intrabit in gaudentes*, sed potiùs (juxta phrasim à Verbo divino usurpatam) apud D. Matthæum *(c. 23.) Toti gaudentes intrabunt in gaudium*, velut in pelagus, quantavis capacitate sua amplius. Gaudium denique, præ cujus redundanti copia, & dulcedine, nedum unaquæque nostri hujus orbis voluptas, verùm etiam simul cumulata earum omnium multitudo instar exiguissimæ stillæ sit præ universo mari, aut instar minoris miseriæ præ summa, & omnimoda beatitudine. Quid, amabo, vobis videtur de tam immenso, & ineffabili gaudio? Num inficiari audebitis, seu longissimè inferius eo esse, quidquid delectationis ex pulcherrimi cujusque vultûs aspectu haurire possitis; seu ipsum, quantumcunque est, suo velut è fonte ex divini vultûs aspectu profluere? Neutrum sanè potestis negare, quin certissima convellatis simul quà humanæ rationis, quà divinæ fidei principia. Si ergo nihil aliud significat, objectum quodpiam esse pulchrum, nisi esse aspectu jucundum, ac proinde tantò semper major cujusque rei est pulchritudo, quantò

efficacior oblectandi spectatores suos virtus; qualemnam, rogo, quámque immensam esse censebitis DEI pulchritudinem, quæ, ubi primùm se palàm ostenderit, perfectissimè, atque plenè beatos spectatores suos reddit? Non intelligitis adhuc rudia isthæc, quæ adeò vos rapiunt, terrenæ venustatis simulacra, præ incomparabili, absolutissimóque illo exemplari, infinitè minùs fulgere, quàm præ lucidissima divini sideris lampade semianimis cicindelæ igniculus fulgeat?

3. Sed libet argumento satìs cæteroqui per se ipsum claro novâ aliâ, magísque sensibili comparatione plus adhuc perspicuitatis adjungere. Certissimè apud omnes constat, neque à vobis negabitur, quodlibet, esto infimum, ex corporibus ad beatam immortalitatem redivivis, pulchrius sinè ulla comparatione futurum quocunque horum corporum, quæ venustatis suæ causâ majori nunc in admiratione apud nos sunt: adeò ut, si eorum aliquod se vobis intuendum objceret, præ supernaturali illius concinnitate, gratia, & decore, quamvis continuò Phrynem, atque Helenam oblivisceremini, neque vestro dignas censeretis obtutu: sed ex adverso novæ illius pulchritudinis, multò vobis contemptio-

ptiores viderentur, quàm coram ipsis ridicula, nec spectari digna videantur earum simulacra, quæ rudis puer ducto cursim carbone adumbraverit. Certè D. Theresia, (*In vit. c. 28.*) cùm à Christo Domino corporis sui jam glorioſi aspectu fuisset dignata, deesse sibi verba profitetur ad illius pulchritudinem exprimendam idonea: quippe cui nihil par in terris occurrit, quæque suos spectatores præ admiratione, & dulcedine extra se rapit. Neque verò lucem, quæ ibi emicat, simile quid hujus habere, quam in sole, aliisque corporibus lucidis cernimus, adeò ut exuperanti sua nimietate oculos intuentium retundat, gravétque: cùm eos potiùs in se fixos mira cum suavitate, & sinè ulla fatigatione detineat, quamvis cæteroqui solis jubar incomparabiliter superet. Denique peregrinam adeò, ignotámque nostris sensibus formositatem eam esse, ut nemo hominum, quantocunque mentis conatu, & labore veram possit illius speciem concipere. Et alibi de effectibus loquens, qui ab ineffabili illo objecto producti, relictíque in se fuerant, hisce verbis explicat. (*lb. c. 22.*) *Ex quo immensam Domini pulchritudinem vidi, nihil alibi aspexi, quod ipsi collatum pulchrum mihi, ac decorum videatur, suâque*

ſpecie cogitationes meas occupet. Quoties enim mentis aciem defigo in illius imaginem meo animo inſculptam; quidquid aliud intuear, videtur mihi nauſeam ciere præ tantò excellentiori divini hujus Domini forma. Hoc itaque conſtituto, neminem noſtrûm fugit, beatos cæli cives, quamvis poſt univerſalem mortuorum anaſtaſim innumera habituri præ oculis ſint ſociorum corpora, incredibili, & quantam in terris neque imaginari poſſumus, venuſtate fulgentia; nihilominus ex nullo eorum, neque ex omnibus ſimul ſpectatis vel milleſimam partem haurient immenſæ illius voluptatis, quæ ex ſolo divini vultûs aſpectu in eos redundabit: quin imò univerſa illa tot, támque delectabilium ſpectaculorum acceſſio nihilô beatiores illorum animos efficiet, quàm ſolius divinæ pulchritudinis contemplatio eoſdem efficiat. Quid ergo aliud hîc ſupereſt, nisì ut ex dictis colligamus, quantò delectabilior, ac proinde major quacunque in terris viſibili pulchritudine ſit divina pulchritudo; cùm præ jucunditate, quæ ex ſolo illius viſu profluit, inſtar nihili ea videatur, quàm univerſa cælitum corpora, tantò licèt terrenis pulchriora, poſſunt intuenti ſe afferre? Quamnam tenuis lucerna præbere ſui ſpeciem poſſit coram eo ſo-

sole, cujus immensis fulgoribus obscurantur etiam primæ magnitudinis sidera? si proinde quis hæc secum reputet, nequeo mente assequi, quonam pacto magni adeò possit facere has, quæ in terris apparent, corporeæ pulchritudinis larvas, nec iis potiùs contemptis, totum se ad eam contemplandam, & amandam pulchritudinem convertat, in cujus visione ultimus finis, & omnis beatitudo nostra consistit: quáque absente, aliorum quævis bonorum copia, ceu Ethnicus illle Sapiens apud D. Augustinum affirmabat, nihil aliud existimari, quàm paupertas, quàm fames, quàm infelicitas potest. *Illa namque visio tantæ pulchritudinis visio est, & tanto amore dignissima, ut sinè hac quibuslibet aliis bonis abundantem non dubitet Plotinus infelicissimum dicere.* (*D. Aug. L. 10. de Civ. c. 16.*)

4. Neque prætereundæ sunt tres aliæ pulcherrimi illius objecti proprietates, ex quarum singulis manifestè intelligi potest, quantô ipsum intervallô delectabilius cæteris omnibus sit. Prima est, quòd, tametsi per omnem porrò æternitatem spectatum, nunquam possit se intuentem satiare, & fastidio afficere, imò nec minùs oblectare, quàm primo sui aspectu oblectârit. Proprietas certè

ſingularis, nec ulli præterquam infinitæ pulchritudini conveniens. Hæc in terrenis corporibus nuſquam cernitur, nec ullum eorum occurret, cujus venuſtas vel per ſolidum diem, nedum per totius vitæ ſpatia, pleniſſimâ queat, & recenti ſemper cum voluptate ſpectari? Inter ſpirituales verò formas, veritates nimirum maximè peregrinas, proportiones maximè harmonicas, & eſſentias maximè præcellentes, quam tandem ex his etiam reperire erit, in cujus contemplatione defixa adeò durare mens poſſit, ut poſt aliquod tempus nullo afficiatur ruminandi ejuſdem ſemper pabuli tædio? At verò beatorum cælituum mentes, cùm in divina eſſentia, quantumcunque deſiderari, imò ſupra etiam quàm deſiderari poteſt, perfectionum, veritatum, pulchritudinum, concinnitatum, & miraculorum inveniant; ſuaviſſima quadam ecſtaſi in eam rapiuntur, adeóque immobiliter illi adhærent, ut nullo queant pacto, ſive ad unicum totius æternitatis momentum indè viſum avertere, ſive poſt quantamcunque temporis longinquitatem, non dicam ullo affici illius ſemper ejuſdem ſpectaculi tædio, ſed non minùs jucundè illo frui, quàm cùm primum ejus guſtum cœpêre. Imò etiam in pleniſſima tan-

tanti boni saturitate, adeò semper integram ejusdem aviditatem retinent, ut multò mallent, salva DEI visione, quidquid est apud inferos sensibilium pœnarum subire; quàm illâ amissâ reliquis omnibus frui, quæ cæteroqui adeò exaggerata in cælo sunt, beatorum corporum bonis. Atque hinc omnis tollitur, quæ cæteroqui apparebat, contradictionis species inter illa D. Petri verba, ubi affirmatur, Angelos DEI aspiciendi desiderio flagrare, (*Ep.* 1. *c.* 1.) *In quem desiderant Angeli prospicere*; intérque sententias tum Christi Domini docentis, (*Mat.* 18.) *Angelos semper videre faciem Patris*; tum Regii Prophetæ, plenissimæ satietatis effectum divinæ visioni attribuentis, dum canit: (*Ps.* 16.) *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Quamvis enim de nostratibus objectis loquendo, desiderare aspectum rei nequeat, qui eam & præsentem jam aspicit, nec aspicere sinè plena satietate animi potest; DEI tamen visio, cui cælestes spiritus & authore D. Petro inhiant, quámque teste Christo indesinenter percipiunt, adeò, ùt vidimus, jucunda res est, ut, quantò eos, à quibus gustatur, pleniùs satiat, tantò ardentiorem in iisdem perpetuandæ gustationis suæ sitim accendat. *Desiderant igitur sinè labore* (scribit D.

Gregorius) *quia desiderium satietas comitatur: & satiantur sinè fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque & nos erimus, quando ad ipsum vitæ fontem venerimus. Erit nobis delectabiliter impressa sitis simul, atque satietas. Sed longè abest ab ista siti necessitas, longè à satietate fastidium. Quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus.* (L. 18. *Mor. c.* 28.) Unde fas est ad extremum colligere, quàm infinita, infinitéque delectabilis ea sit pulchritudo, quæ, licèt primo sui aspectu perfectissimè expleat, nunquam tamen absque perpetua sui appetitione expletos relinquit.

5. Secundam divinæ visionis proprietatem innuit D. Paulus pronuntians, quidquid homines pro DEO patiantur in terris, nullam proportionem habere cum felicitate Deum palàm videntium in cælesti gloria. (*Ad Rom.* 4.) *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* Quam proprietatem ut intelligere exactiùs possis, ex eáque argumentum capere incomparabilis voluptatis, qua DEI pulchritudo spectatores suos replet; propone tibi ante oculos tot, támque varia piæ crudelitatis genera, quibus Hilariones, Macarii, Stilitæ, aliíque sacri Ascetæ quàm plurimi ad sua cor-

po-

pora ex DEI amore afflictanda usi sunt. Adde his voluntariis cruciatibus candentes laminas, pectines ferreos, cruces, rotas, equuleos, ferventis plumbi haustus, & quidquid præterea tormentorum Christianæ fidei hostes ad fortissimos ejusdem Athletas, Bartholomæos, Laurentios, aliósque excruciandos prompsêre. Quidnam tibi de his tam immanibus supplicüis videtur? ullúmne mihi potes nominare, qui vel centesimam eorum partem pro mortali quantalibet venustate intuenda libens volens subierit? Nullum certè reperies. Et tamen omnia hæc relati à me Heroës libentissimè pertulerunt, pro divinæ pulchritudinis visione obtinenda: eáque omnia minimũ quid esse Apostolus prædicat, præ tam inæstimabili mercede. Qualis ea igitur, quantáque jucunditate exuberans dicenda est pulchritudo, pro cujus intuitu comparando, quidquid humanarum perpessionum est, nedum convenientissimè impenditur, sed & longè impar tanti boni pretium existimari meretur? Præclarè Augustinus: *Videbimus eum facie ad faciem, quod nobis promittit DEUS in magno præmio omnium laborum nostrorum. Quidquid laboras, ad hoc laboras, ut videas. Magnum est, quod visuri sumus, quando tota nostra merces visio est.* (In Ps. 90.)

6. Atque in ultimis hisce illius verbis tertiam quoque proprietatem habemus, non multùm à præcedenti diversam, maximè tamen idoneam immensæ comprobandæ dulcedini, qua summa DEI pulchritudo intuentes se satiat. Quando neque ipsemet polliceri, & persolvere suorum famulorum fidissimis majus præmium potest pro omnibus, quæ totius vitæ suæ tempore in illius obsequium facere, ac pati potuerint, quàm ut sese palàm intuendum eis præbeat: *Visio est tota merces.* Quapropter, si aliquis suaderi in Euangelio sibi audiens, ut nullis suis propensionibus morem gerat, ut terrenis quibusque opibus ultrò se abdicet, ut quascunque pro justitia insectationes æquo animo ferat, imò ut ipsemet capitalissimi hostis ritu sese ubique insectetur; talia suadentem D. Petri verbis rogaret (*Mat. 19.*) *Quid ergo erit nobis?* & quid tandem, ô Domine! ubi hæc omnia ex tui amore præstitero, mihi præmii tribues? non nisi hoc responsum reciperet, *ostendam tibi faciem meam,* quod perinde est, atque (*Exod. 33.*) *Ostendam omne bonum tibi.* Ad meam faciem intuendam te admittam. Hoc erit totius tuæ servitutis, omniúmque, quas in ea toleraris, ærumnarum præmium, quod omnem æstimationem exu-

exuperat, quóque nullum majus vel à te optari, vel à me tibi poteſt rependi. *Viſio erit tota merces.* Quæ cùm ita ſe habeant, quidnam, rogo, dici ampliùs de ſumma DEI pulchritudine poteſt? aut unde manifeſtiùs colligi, quàm immenſo intervallo illius viſæ jucunditas reliquarum omnium pulchritudinum jucunditatem excedat? Certè DEI potentia ultra omnem terminum eſt, opulentia omni modo major, liberalitas potentiæ, opulentiæque par, amor erga homines tantus, ut pro iis non dubitaverit mortem oppetere. Et tamen Dominus tam potens, tam dives, tam liberalis, tam ſuorum amans, poſtquam hi extrema pro illo omnia fecerint, paſſíque fuerint, nullam in ærariis ſuis univerſis habet pretioſiorem, & tali remuneratore magìs dignam mercedem, quàm ut ab iis coram videriſe ſinat, quàm ut iis divinam faciem ſuam detegat, quàm ut eos ad contemplationem arcanæ ſuæ venuſtatis admittat. O facies! ô venuſtas! quidnam te eſſe dicendum eſt? quíſve tuam dignè æſtimare, & admirari incomprehenſibilem excellentiam poſſit? Cùm ad plenè beandos, qui tuo aſpectu fruuntur, ſatis, ſupérque ſola ſis: cùm ità totam intuentium te animam expleas, ut perfectiſſima illa ſa-

satietas nunquam extinguat, sed perpetuam potiùs nutriat intuendi te sitim : cùm nullum laborum, & perpessionum pretium non dignissimè impensum, imò non vile pro beatissima tui visione existimari queat? Quid plura? cùm neque infinita DEI charitas, liberalitas, & potentia majus possit suis servis, atque amicis præmium dare, quàm si se iis in propatulo aspiciendam exhibeat? Et post prærogativas adeò singulares nusquam alibi auditas, morémque omnem, & modum excedentes; an non tui ignarus viderer, pérque speciem honoris te deprimerem, si tuam inter omnes terrenas, creatásque venustates præstantiam diutiùs ex jam dictis arguendam putarem: perinde quasi de hac conclusione supereſſe dubii quid possit, aut ullus inter objecta infinitè adeò disparia comparationi sit locus? *Si te majorem omnibus dixero, injuriosè te operibus tuis comparavi.* (*S. Amb. L. 5. de Fide c. 9.*)

7. Pergamus hinc porrò ad alterum perpendendum divinæ pulchritudinis præcipuum effectum, mirum nempe amorem, quo suos spectatores succendit: effectum, qui ipse etiam evidenter ostendit, quàm immensa intercapedine illius amabilitas cuilibet alteri crea-

creatorum objectorum amabilitati antecellat. DEI quippe amor, quem beatæ mentes ex clara illius visione concipiunt, gravium Theologorum sententiâ, (*Apud Leſſ. L. 2. de ſummo Bono c* 14.) secundùm naturam, & speciem à cæteris quibuscunque amoribus differt: adeò ut, si credendum D. Augustino putamus, omnem nostræ mentis intelligentiam, & comprehensionem excedat. (*De Spir. & Lit. c. 36.*) *Cùm perventum ad ſpeciem fuerit, procul dubio & ipſa delectatio, non ſolùm ſuprà quàm hìc habemus, ſed ſuprà quàm intelligimus, erit.* Quòd si aliquis roget, in quonam hæc differentia consistat; respondebo, duo mihi apparere illius capita. Primum est, quia, cùm alterius cujusvis amoris actus possint libere omitti; quoad illos verò voluntas nullatenus est libera: sed, sicut stupæ filum nequit sphæræ ignis admoveri; quin totum protinus deflagret, utque idem ferro est magnetis impressiones percipere, ac necessariò ab iis trahi; sic neque animus infinitam DEI pulchritudinem claro potest, intimóque obtutu attingere; quin subitò illius amore totus exardescat: idémque ipsi est, eam præsentem habere, & ineluctabili quadam necessitate ad amandam eam rapi. Adeóque id verum est, ut si DEUS vel infensiſſi-

ſiſſimis ſuis hoſtibus, cujuſmodi dæmones ſunt, in propria ſua ſpecie ſe videndum præberet, minimè ii poſſent efficaciſſimis tantæ amabilitatis illecebris eluctari: ſed & in mediis, quibus ab eo puniuntur, orci ſuppliciis præſens illius odium ardentiſſimo amore mutarent, & pro maledictis, quæ nunc in eum evomunt, ampliſſimas ei laudes perſolverent; eveniret hìc etiam, quod olim cum Demetrii Poliorcetæ militaribus machinis: (*Plut. in V. Dem.*) quæ, ſicut propter minacem ſuæ molis vaſtitatem non poterant ab iis, quibus auxilio erant, ſinè aliquo terroris ſenſu aſpici; ità miro artificii decore hoſtes delectabant, & in ſui laudationem cogebant. Unde non immeritò dixerim, præcipuam omnipotentiæ DEI virtutem in illius formoſitate conſiſtere. Nam neque alibi luculentiùs ille oſtendit ſuam omnia efficiendi efficaciam, quàm in neceſſitate ipſimet libero arbitrio inferenda; neque ad hujuſmodi effectum alio, quàm pulchritudinis ſuæ inſtrumento utitur: ad alia quidem opera efficienda brachium ſuum adhibens, ad hanc verò excellentiſſimam omnium operationem ſuum vultum reſervans.

8. Alterum caput ſingularis præſtantiæ, qua mirus hic amor quoſcunque alios tranſcen-

scendit, pleniſſima eſt dominatio, quam obtinet, exercétque ſuper omnes animi affectus: adeò quemque eorum ſuo regimini, ſuíſque imperiis ſubditum habens; ut ſi Ariſtotelis, (L. 9. *Eth. c.* 4.) non aliam cujuſvis amoris erga alios regulam viſus eſt cognoviſſe, quàm amorem cujuſque erga ſe ipſum, ceu illum, qui inter univerſos animi amores princeps ac potiſſimus ſit; qui in cælo DEUM aſpiciunt, non modò incomparabiliter magìs tum ſe ipſis, tum quibuslibet aliis bonis eum amant; ſed juxta D. Thomam, (*1. 2. qu. 4. a. 4.*) nec ſe ipſos, nec aliud quodvis bonum, nisì illius causâ amare poſſunt: paratiſſimi ad beatitatem, & gloriam cum ſæviſſimis avernalium flammarum pœnis commutandam, ſi id ei placiturum nôſſent. *Voluntas videntis DEI eſſentiam ex neceſſitate amat, quidquid amat, ſub ordine ad DEUM: ſicut voluntas non videntis DEI eſſentiam ex neceſſitate amat, quidquid amat, ſub communi ratione boni, quam novit.* (1. 2. *qu. 4. a. 4.*) Quod profectò amoris genus eſt naturæ incognitum, humanorum omnem affectuum conſuetudinem tranſcendens, quóque erga nullam rem creatam affici animus poſſit. Nullus quippe unquam extitit tam ardens mortalium formarum amator, qui totum ſe, ſuáſ-

ſuáſque omnes rationes voluntati perſonæ à ſe amatæ ſubjiceret, nihil ſeu abnuens, quod ipſa vellet, ſeu volens, nisì quod, & quia ipſi placitum foret: adeò ut illa jubente nihil cunctaretur univerſis facultatibus ſuis ſe exuere, omnibus vitæ oblectamentis, & commodis nuntium remittere, dignitates, honores, & quidquid aliud boni eſt, abdicare: imò etiam nihil non ignominiæ, & dedecoris, nihil non ærumnarum, & cruciatuum libens ſubire. Utque hæc cæleſtis illius amoris efficacitas terrenorum quorumvis amorũ vi major, majorémque quavis alia divini objecti ſui pulchritudinem probans, manifeſtiùs appareat, neque vel ii ipſi, qui mortales formas perditiùs amant, diffiteri illam poſſint; libet unum ex his quempiam arripere, déque profani amoris ſui vi ſic percontari: dic, quæſo te, ſi ampliſſimæ ditionis Rex fores, & perſona iſthæc, quam tuum appellas idolum, téque ipſo chariorem tibi eſſe jactas, dono ſibi à te dari poſceret, non *dimidiam* ſolummodo *regni tui partem*, ſed ipſum totum, imò etiam quidquid rerum, pecuniæque in cenſu tuo habes; hícne illius petitioni promptè, continuò, ſinè ulla deliberandi mora, ſinè ullo voluntatis reniſu annueres? Affirmabis fortaſ-

taſſe, neſcio, an tamen verè, atque ex animo? Sed eſto, ex intimo quoque animi ſenſu id affirmes. Quid porrò? ſi eadem non contenta prædictis tuis ſpoliis inſtaret ulteriùs, ut in amoris ſui ſpecimen aliquid ageres maximo tibi probro, & pudori futurum, cujuſmodi eſſet: per celeberrimas urbis vias nudo prorſus corpore incedere: vel ut in candentem Phalaridis taurum includi, aut in Nicocreontis mortariis uſque ad oſſa te ſineres confringi: hanccine tam duram, & difficilem illi gratiam confeſtim, & ſinè ulla tergiverſatione præſtares? Video ſanè tuum amorem reſilire, formidini cedere, séque imparem hujuſmodi experimentis fateri. Atqui ſcito, próque re certiſſima habeto, ſi ad amabiliſſimam DEI faciem in cælo aſpiciendam perveneris, quemadmodum pulchritudinem ibi reperies omni ex parte infinitam: ſic totum confeſtim tuum animum, tam extraordinario, tam vehementi illius amore occupatum iri, ut nullum eſſe poſſit ſeu bonum impensè adeò charum, quod dubitares miſſum facere, ſeu malum extremæ adeò ſævitiæ, quod recuſares ſubire, quandocunque id illi gratum eſſe perſpiceres. Si enim amor minùs perfectus, quo DEUM in præſenti vita proſequimur, ef-

ficere tamen potuit, ut tot ſancti Viri pro dilecti ſui Domini gloria, & univerſis, quæ natura maximè appetit, bonis tergum verterent, & omnibus, quæ maximè refugit, malis pectus objicerent: quomodo dubitari poteſt, quin perfectiſſimus cæleſtis patriæ amor vim habeat, ad paria, imò & majora eos impellendi, quorum corda ſuo igne ſuccenderit? ſi ergo id inficiari nequis, ſed *oculis tuis vides, & manus tuæ contrectant*, nullam venuſtatem creatam potuiſſe in ſpectatorum ſuorum animis tantum excitare ſui amorem, quantum divina in iis excitat, à quibus palàm, intimèque perſpicitur; quídni ex hoc ipſius effectu arguas, quantò cæteris omnibus amabilior, ac proinde major ea ſit? Aut cur, ſi manifeſtiſſimè hanc illius exuperantiam agnoſcis, corporeas potiùs, licèt tantò inferiores, conſectari pulchritudines velis; quàm in ea una, quæ æterna, & perfectiſſima omnis pulchri idea eſt, totam mentem, animúmque defigere? Ah indecorum nimis eſt, non amare, niſi neceſſariò, tam amabile objectum. Quòd non poteris illud in futura immortali vita non ſuper omnia diligere, argumentum tibi eſſe debet ſingularis excellentiæ, qua meretur, ut in præſenti ſæculo ſuper omnia illud diligas; ſi-

sique tuus ibi amor ab imperiosissima præsentis DEI pulchritudine illico abreptus, tuámque omnem deliberationem antevertens per impetum quendam omni præstantiorem consilio, cælesti se Domino totum addicet; tu quoque necessarios illius motus præveniens, totum nunc eidem libera electione te devoveas.

9. At in præsens (dicet aliquis) qualis & quanta illius pulchritudo sit, non perspicio. Quid tum? si interim ratio certissimè tibi persuadeat, esse illam omni aliâ, quam vides, & videre possis, majorem? Neque Paris Helenam viderat, & tamen solâ absentis famâ inductus est, ut pro illa Ænonem, quam diu amârat, & præsentem habebat, desereret. Ut que fabulosa omittamus exempla; (quamvis non temere, sed ad veri, naturæque imitationem efficta) nónne ordinarius mos Principum est adamare, eligere, & quærere sponsas longè absentes, nec alibi unquam, nisi in mortuis earum imaginibus visas? Ex historiarum certè monumentis habemus, Joannam Alphonsi Quarti Lusitaniæ Regis filiam ob eximias suas dotes à Maximiliano Archi-Duce Austriæ, & Richardo Angliæ, ac Ludovico duodecimo Galliæ Rege certatim quæsitam fuisse pro suorum filiorum connubio: ulti-

múſque ex his fertur, cùm allata ei fuiſſet peregrinæ illius venuſtatis effigies, non potuiſſe admirationi ſuæ temperare, quin genibus flexis ſupremum tam graphici, exquiſitíque operis Conditorem laudaret. (*Sanjur. P. 1. c. 6. Sect. 4.*) Si ergo ipſæmet viſibiles formæ, licèt nunquam viſæ fuerint, ubi tamen earum præſtantia ſufficienter innotuit, vehementiùs ad æſtimationem, amorémque ſui animos rapiunt, quàm multæ aliæ præſentes, ac viſui obviæ; quantò majorem habebit id efficiendi vim pulchritudo divina, quam certiſſimè conſtat cæteris omnibus non maximo tantùm, ſed & infinito intervallo anteſtare: quæque nè à beatis quidem cælitibus alio, quàm ſolius mentis obtutu videri poteſt? Neque mihi objicias, in allato ſuprà exemplo, ſi minùs ipſammet abſentem pulchritudinem, illius ſaltèm imaginem oculis ſubjectam fuiſſe: nam nec tibi quàm plurimæ inviſibilis divinæ pulchritudinis viſibiles deſunt imagines: & licèt nullæ aliæ præſto eſſent, an non tales dici poſſunt ii vultus, qui te adeò venuſtate ſua capiunt? Imagines procul dubio nimiùm quantùm divino exemplari ſuo impares, ſed quæ vel idcirco illius amabilitatem repræſentare tibi meliùs deberent: cùm, quamvis adeò ab

ea

ea distent, tantò nihilominus ob imperfectissimam cum ea similitudinem à te in pretio habeantur. Præterquam quòd famosa, & percelebris pulchritudo, esto neque in se ipsa, neque in ulla sui imagine visa unquam fuerit, potest tamen in ea videri, amarique interiori sua specie, quam ex oculatorum testium relatu, & publicis famæ præconiis imaginatio, atque intellectus solent intrà se effingere. Quidnam ergo obstat, quò minùs, licèt nunquam sive ipsum DEI vultum, sive ullam ipsius propriam, atque exactam imaginem præ oculis habuerimus: ex certissimis tamen fidei divinæ, ac rationis humanæ testimoniis aliquam infinitæ illius pulchritudinis speciem intrà nos efformemus, quæ, tametsi obscura, ad eum supra omnia, quæ visu percipiuntur, æstimandum, amandúmque nobis sufficiat? Nihil certè præter talem speciem sanctis Viris suffecit, ut cuilibet rei creatæ eum longè anteferrent, & plura, ac majora ex amore illius facerent, quàm ullus unquam ex corporeæ venustatis amatoribus pro amico, vel amica sua fecerit. Sed viva fide opus est, attentáque meditatione, & sedula imploratione supernaturalis luminis: quod nisi mentem illustret, nequit DEUS sive fructuosa cogni-

tione à mortalibus, ſive beata viſione à cælitibus percipi.

10. Expecto jam, ut Lectorum quiſpiam paulò ſibi diſtinctiùs explicari poſtulet, cujuſmodi ſit hæc DEI pulchritudo, quam creata omni infinitè, & ſinè ulla comparatione ſuperiorem oſtendimus. At ſimplicem nimis, nè dicam fatuum, ſe probat, ſi quis eſt, qui expreſſam tam arcanæ rei declarationem petat: qualem ubique ſe probaret, qui ventum, ſonum, ſaporem, & alia hujus generis viſum effugientia objecta ſecundùm propriam, germanámque ſui ſpeciem in tabula ſibi fingi vellet. *Pulchritudo illius beatæ, & immortalis naturæ*, inquit Chryſoſtomus, (*In Pſ. 40.*) *res eſt quædam infinita, quæ omnem excedit rationem: atque ideo, quæcunque dixerimus, nè tenue quidem illius decoris veſtigium explicare poterimus.* Quod ipſum Dionyſius quoque Areopagita pridem affirmaverat, (*De Div. Nom. c. 13.*) *Nihil eorum, quæ ſunt, aut quæ alicui exiſtentium ſunt cognita, explicat arcanum illud, omnem rationem, & mentem ſuperans, ſuper Deitatis ſuper omnia ſuperſubſtantialiter ſuperexiſtentis.* Pluſquam mortalis homo eſſem, ſi intellectum haberem, propriæ ipſius ſpeciei apprehendendæ capacem: plúſque,

que, quàm quiſquam beatorum cælituum, ſi ejuſmodi ſpeciem, eſto mente comprehenſam, verbis poſſem exprimere. *Quis vidit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum, ſicuti eſt? (Eccli. c. 35.)* Objectum hoc eſt, cujus clara cognitio non nisi in cælo expectanda, & ſperanda mortalibus eſt. Tellus noſtra caret typis ad illud efficiendum idoneis; ſenſus nihil habent, quod de illo renuntient; imaginatio colores eo dignos non invenit; mens neſcit, quo ab exemplo illius ſimilitudinem ducat. Quale non ſit, quivis noſtrûm facillimè dixerit; quale ſit, nemo aut noſtrûm, aut cæleſtium ſat digna oratione explicaverit. Si quis, ut illud ſibi plenè deſcribam, & notum omnino faciam, requirit: alterutrum opinetur, neceſſe eſt: vel poſſe me ſcilicet gloriæ ſibi lumen infundere, vel meum atramentum æquivalere lumini gloriæ. Quando igitur diſtinctiores hìc notitias deſideranti facere ſatìs nequeo; nihil mihi ſupereſt, nisì ut, quæ fuſiùs tractavi, breviter colligens, ſummatim ei repetam, divinam pulchritudinem neutiquam eſſe illius ſimilem, quam in corporibus cernimus, caducam, mutabilem, imperfectam, certis definitam menſuris, ab externis cauſis pendentem, atque à ſubſtantia,

cui inhæret, distinctam; sed generis prorsus diversi, & sinè ulla comparatione altioris: utpote unum, idémque aliquid cum essentia divina: ac proinde æternam, necessariam, immutabilem, nullius nævi capacem, infinitè perfectam, simpliciſſimè unam, & omni tamen aliarum, quotquot sunt possibiles, numero æquivalentem, quas universas cum immensa exuperatione intrà se continet, tanquam unicum, perfectiſſimúmque earum exemplar: pulchritudinem adeò puram, ut nihil in ea diversum, distinctúmque ab ea sit, adeò plenam, omnibúsque numeris absolutam, ut nullum novum genus, nullúsque ulterior gradus desiderari in ea possit; adeò redundantem, ut sinè ulla sui diminutione creatis rebus universis se impertiat: adeò immensam, & omni ulteriorē termino, ut nullæ sive hominum, sive Angelorum mentes eam comprehendere penitùs valeant: adeò delectabilem, ut ad plenum beatos, quicunque se intuentur, efficiat, ínque jucundiſſima sui contemplatione per omnem, quantacunque futura est, æternitatem, insatiabiliter fixos, atque immersos detineat: adeò æstimatione omni majorem, ut neque nos, quamvis pro ipsa intuenda subiremus, quidquid laborum, per-

perpessionum, atque ærumnarum natura hominis recipit, par tantæ merci pretium obtulisse dicendi essemus; neque ipsa omnipotens DEI liberalitas quibuslibet nostris obsequiis amplius retribuere possit præmium, quàm si ad claram illius visionem nos admittat: adeò demum amabilem, ut spectatoribus suis gratissimam necessitatem imponat, eam impensiùs, quàm se ipsos, vel quodcunque aliud objectum amandi, imò neque se ipsos, neque aliud quodvis objectum, nisì propter ipsam amandi: totas illorum voluntates amore occupans, incomparabiliter ardentiori, & valido magìs: quám quem excitaverit, vel excitare unquam possit ullum bonum, ullúmque pulchrum finitum. Hoc tantummodo est, quòd de adeò incomparabili objecto à me dici, & à mente hominis citra lumen gloriæ concipi potest. Et hoc duntaxat, quamvìs ità obscurum, confusúmque, & à quavis particulari specie abstractum, satìs, supérque mihi idoneum videtur ad nos impellendos, ut posthabitis, quæcunque alibi in pretio haberi, amaríque possunt, objectis, omnes huic devoveamus animæ facultates, omnes in hoc cogitationes, affectúsque occupemus.

II. Vanum itaque, & abs re est enucleatas, distinctásque notitias hìc quærere: sed totius uti-

utilitatis cardo ibi vertitur, ut has universales cæteroqui,& confusas species,quarũ solumodo capaces in terris sumus,quàm altissimè fieri potest, menti imprimamus. Quam in rem opportunum fuerit, secundùm institutionem Platonis, ab infimis ad superiores pulchri gradus cogitando paulatim ascendere: ità ut post consideratam particularem, & visam aliquando nonnullorum corporum inprimis excellentium pulchritudinem, transeatur ad corporeæ totius pulchritudinis absolutissimam, & universalem ideam cogitatione apprehendendam: tum ab hac porrò ad tertiam præstantiorem, formarum nempe spiritualium pulchritudinem mens sublevetur: atque hinc tandem ad supremam primi, purissimi, perfectissimi, & universalissimi pulchri speciem formandam consurgat. Opportunam dixi ad propositum finem gradationem hujusmodi fore. Cùm enim DEI pulchritudo concipienda nobis sit, non instar particularis alicujus formæ, certis atque propriis lineamentis distinctæ, sed sub universali, confusáque solùm specie formæ, cæteras omnes, quas novimus, & distinctè concipimus, infinitè excedentis; quantò plures, perfectioréque rerum pulchrarum imagines in mente habuerimus,

mus, tantò indè certiùs, manifeſtiúſque colligere nobis fas erit incomparabilem pulchritudinis illius excellentiam, de qua, licèt neſciamus, qualis ſit, certò tamen ſcimus, eſſe omnibus, quas imaginari poſſumus, immenſô intervallô majorem. Inſiſtendo itaque huic methodo, poteris primò in memoriam revocare, & ob oculos mentis proponere corpus aliquod omnium, quæ videre tibi unquam contigerit, formoſiſſimum ità ut de illo dici poſſit, quod de Juditha dicebant Aſſyrii, (*Jud. 11.*) *Non eſt talis mulier ſuper terram in pulchritudine*: tum animadvertens, tale corpus, utpote caducum, mortale, temporis, caſuúmque injuriis expoſitum, ſoláque naturali, & hac ipſa haud penitùs abſoluta venuſtate præcellens, non poſſe ullo modo comparari cum glorioſis, beatíſque cælituum corporibus; cures, unum ex his imaginando effingere, in quo, tanquam in idea quadam, omnes corporeæ venuſtatis dotes perfectè conveniant: ità ut coram eo mortalis illius corporis pulchritudo, ceu ſcintilla coram ſole evaneſcat. His peractis, phantaſiam derelinquens, & intellectu uti incipiens, ſtatue apud te, ſecundùm ea, quæ ſuperiùs diximus, externam omnem ſeu mortalium, ſeu imor-

ta-

talium corporum formositatem, quemadmodum ex interiori animæ formositate originem ducit, ità multò inferiorem hac esse. Atque ità progressus jam eris ad novam quamdam cogitatione formandam purè spiritualem, & corporeâ longè excellentiorem pulchritudinem. In qua etiam tres gradus, alius alio sublimior, tibi sunt distinguendi : primus nempe consistens in naturali spirituum perfectione, & præstantia; alter in supernaturali decore per gratiam sanctificantem iis addito; tertius in supernaturali gloria, quæ ex clara DEI visione, & beatitudinis statu iisdem supervenit. Denique ex hoc tertio gradu, qui summus est pulchritudinis creatæ apex, erige mentis oculos ad increatam DEI pulchritudinem : studens quàm vividissimam speciem animô apprehendere immensi illius intervalli, quo secundùm jam prolata argumenta universis tum corporeis, tum spiritualibus formis ipsa antecellit. Sed, ut fructuosior consideratio tua sit, téque ad DEUM, super omnia æstimandum, & amandum vehementiùs extimulet; postquam illum creatis quibusque rebus infinitè pulchriorem conceperis; curæ tibi sit eundem iis omnibus pariter infinitè æstimabiliorem, & amabilem magis concipere, ra-

ratiocinando ità tecum : si, quantò unumquodque objectum creatum altero quopiam mihi pulchrius apparet, tantò majorem illius æstimationem, amorémque concipio; quídni pulcherrimis quibusque rebus creatis incomparabiliter Deũ anteferre in æstimatione, & amore debeam: cùm manifestè agnoscam, disertéque confitear, divinam illius pulchritudinem infinitô intervallô earum omnium pulchritudini excellere? Sic ergo tecum disserens, & gradatim consurgens, divinam pulchritudinem in mente tua effigiabis, ceu immensùm quavis aliâ superiorem, impensiúsque æstimari, & amari dignam. Quæ illius species, tametsi maximè obscura, nihílque repræsentans sensibus notum, debet tibi una sufficere. Aliæ enim, quas magìs expressas, & peculiaria lineamenta præseferentes effingere imaginatio consuevit, ùt ùt elegantiæ, splendorísque plus habeant, crassæ admodum, impropriæque sunt, nec DEO æquè conveniunt, atque hæc, quam D. Dionysius Areopagita, utpote nihil de eo certi exprimentem, nisì quod creata omnia superemineat, speciem *ablationis secundùm exuperantiam appellat.* (*De Div. Nom. c. 2.*)

12. Quod si nihilominus facilioris, & vividioris repræsentationis causâ, nonnullam ar-

arcanæ illius formoſitatis imaginem ſenſibilibus ab objectis mutuandam putares; ſaltèm tibi author ſim, ut humana quavis ſpecie abſtineas, neque ſimulacra, nisi quàm ſimpliciſſima uſurpes: qualia exempli gratiâ eſſe poſſent duo hæc, quæ ſubjicio: alterum nempe immenſus ſplendidiſſimæ lucis circulus, in ſummo cæli vertice emicans, & jucundiſſima per extremas oras colorum varietate ad iridis ſimilitudinem diſtinctus: in cujus media parte neſcio quid, mortales oculos admittere penitùs renuens, ſed tamen ſuo illo qualicunque aſpectu intuentes mirificè oblectans, innuat ſe potiùs, quam exhibeat: infra verò innumeræ beatorum ſpirituum acies, defixis immobiliter oculis, miram illam in circuli medio ſpeciem, nobis quidem nimii fulgoris quaſi nebula obvolutam, ipſis verò uſquequaque apertam, quæ divina pulchritudo eſt, aviditſimè inhient. Alterum verò eſſe poterit muſica, ſive vocum ſuavitas, ſive numerorum modulatio attendatur, mirè jucunda, adeò ut incredibili voluptate animum repleat, & quodammodo extra ſe rapiat. Quod ſimulacrum, utpote primo illo delectabilius, & majorem cum objectis ſpiritualibus neceſſitudinem habens, meliùs etiam tibi repræſen-

sentabit suum incomprehensibile exemplar. Quare uti illo poteris, quandocunque delicatioris symphoniæ melos te audire contigerit, tollens animam à præsenti illius gustu ad immensam concipiendam dulcedinem, qua ineffabilis divinarum inter se perfectionum concentus, cælituum animos beat. Neque vulgaris tibi error illudat, ut divinam pulchritudinem oculorum tantummodo esse objectum, neque per musicam repræsentari posse credas. Ea siquidem, propriè loquendo, neque oculorum objectum est, neque aurium, eámque videri nihil aliud significat, nisi ab intellectu per cognitionem spiritualem percipi: quæ cognitio metaphoricè tantùm visio appellatur: cùm cæteroqui, juxta suum genus, pro objecto suo habeat, quidquid potest cognosci, nihilò nempe minùs sonum, quàm lucem. Neutra itaque prædictarum imaginum divinam pulchritudinem propriè repræsentat, quamvis per similitudinem utraque adhiberi ad exprimendam eam possit, & aptiùs quidem propter rationes paulò antè allatas posterior. Addo, consultissimum fore, si earum utraque conjunctim ad propositum tibi finem utaris: fingendo nimirum lucem illam visu adeò jucundam te cernere, & ab interiori ejus parte

te

te harmoniam illam adeò ſuavem, ceu ſenſibile aliquod divinæ ſpiritualis pulchritudinis ſimulacrum audire.

13. Poſtremò temperare mihi nequeo, quin te, amice Lector, quanta poſſum, contentione horter, ad propoſitam hìc materiam frequenti meditatione cum animo tuo retractandam: nempe ut aſſueſcas DEUM concipere ſub imagine objecti omnium, quæ unquam videris, vel imaginari poſſis, pulcherrimi: imò illum concipere, non quaſi pulcherrimum, ſed quaſi ipſam, puram, univerſalémque pulchritudinem, complectentem infinito ſuo orbe omnes pulchri formas, differentias, genera, ſpecies, & gradus, ſufficientémque innumeros rerum pulcherrimarum mundos ex immenſitatis ſuæ alveo profundere: adeò ut nihil uſquam pulchri eſſe, nisì per participationem illius, poſſit, omníſque creatarum venuſtatum cumulus multò præ illa minùs aliquid ſit, quàm ſcintillula ignis præ ſole: pulchritudinem demum inimitabilem, incomprehenſibilem, extra omnem menſuram, ſupra omnem mentis captum, quæ licèt nîl, nisì pura & ſimplex pulchritudo ſit, non tamen accidens eſt ſinè vita, atque ſenſu, ſed perfectiſſima mens, & ſubſtantia. Tale, in-

inquam, vellem amabilissimum illud ens concipere assuesceres. Si enim vel finita, & imperfecta pulchritudo, cujusmodi est corporea, nihilominus miram vim habet, ut spectantium se animos sibi subjiciat, cogens eos quævis propria commoda obliviſci, & magis quodammodo in persona, ubi eminere illam cernunt, quàm in semet ipsis vivere; quidni eosdem effectus paritura in tuo animo sit, ubi eam probè compertam, & penitùs impressam menti habueris, purissima, excellentissima, & infinita DEI pulchritudo?

14. Pariet procul dubio: ut que eorum aliquos commemorem; nascetur indè primò exuberantissima, & terrenâ quavis major voluptas, quoties cogitaveris, non aliâ creatum gratiâ te esse, nisi ut æternùm contempleris nudam, patentémque oculis immensissimam eam pulchritudinem, ut illâ ad plenum satieris, ut illam possideas, ab eáq; viciſſim per mutuum, indissolubilem, perfectissimúmque amorem possidearis. O cogitatio! qua æruminosissimus quisque mortalium anticipare vel in terrestri hoc exilio cælestis sibi patriæ beatitudinem possit. *Credo videre bona Domini*, (nimirum pulchritudinem Domini) *in terra viventium.* (*Ps.* 26.) Paucos intrà annos,

& fortè etiam dies, *videbo DEUM Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspecturi sunt.* (*Job.* 19.) Videbo sanè, videbo, non ampliùs per umbras, pérque ænigmata, sed quale est in propria sua specie pulcherrimum, & suprà quàm pulcherrimum esse divinum. Revelabitur mihi clarissimè mira illa facies, immensissimum, & universale possibilium omnium venustatum theatrum: quæ videri palàm nequit, quin ad plenum beatos spectatores suos faciat: cujúsque jubar, si vel inter ipsas tartari umbras effulgeret, continuò pœnale illud barathrum in cælestium gaudiorum Regiam converteret. Revelabitur mihi, ut per totam, quàm longa est, æternitatem visione illius fruar, semper satur, sempérque sitiens, & totus flagrantissimo amore illius colliquescens. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo. Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* (*Ps.* 15. & 16.)

15. Proveniet secundò vehementissimum, & impatiens differri ulteriùs sua gaudia beatissimæ illius visionis desiderium: ità ut animus in nulla rerum humanarum possit acquiescere, sed lentæ mortis locò habeat, prorogare vitam in præsenti sua cæcitate: jam repetens plorabundus senioris illas Tobiæ voces,

ces, (*c.* 5.) *Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* jam querens cum Jobo, (*c.* 17.) *In amaritudinibus morari oculum ſuum*, eò quòd objecto illo careat, cujus intuendi gratiâ unicè eſt conditus: aſſiduíſque ſuſpiriis, & votis felicem illam horam ſolicitans, qua perſpicere ſibi tandem liceat, quidnam ſit, quantóque pulchris rebus univerſis delectabilior ipſamet pura, & univerſalis pulchritudo: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ità deſiderat anima mea ad te* DEUS. *Sitivit anima mea ad* DEUM *fortem, vivum. Quando veniam, & apparebo ante faciem* DEI? *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt* DEUS *tuus? Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam. Quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis uſque ad domum* DEI. (*Pſ.* 41.)

16. Sequetur tertiò contemptus mortalis cujuslibet corporis, etiamſi præ ſingulari ſua venuſtate prodigium quoddam humanô altius videatur: adeò ut coram infinito ſuo exemplari nihilô illud pluris facias, quàm deformem ſimiam, vel animâ viduum cadaver: dicens intrà te, quod ille olim, cùm vultum communi modo elegantiorem vidiſ-

set: (*Terent. in Eun.*) *Deleo omnes dehinc ex animo mulieres; tædet quotidianarum harum formarum.* Si enim nihil ampliùs, quàm oblata oculis glorioſi, beatíque unius corporis ſpecies D. Thereſiæ ſat fuit, ut terrenam in poſterum omnem pulchritudinem præ illa faſtidiret; quídni futurum tibi etiam ſit ſatis ad ſimile formoſiſſimi cujuſque mortalis vultûs faſtidium mentem penitùs imbutam habere divinæ pulchritudinis ſpecie: præ qua omnis vel immortalium corporum lux, amabilitas, elegantia, & formoſitas, nihil poteſt ampliùs, quàm informis præ corpore umbra, præque igne carbo extinctus videri?

17. Quartò concipies indè erga DEUM vehementes amoris flammas, non ſapidi tantùm, & dulcis: ſed ſtrenui inſuper, actuoſíque, & qui ejus rationes propriis quibuſque rationibus præferat. Hoc enim, ceu ſuprà monſtravimus, naturale pulchritudinis privilegium eſt, ut, qui ejus causâ amantur, gratuitò puræ benevolentiæ affectu amentur, nimirum propter ſe ipſos duntaxat, & propter meram æſtimationem ſingularis doni à natura ipſis collati: reſpectu cujus digni videntur, ut quilibet curet, quantùm vires ſuæ ferunt, in omni re juſta iis gratificari, eorúmque de-

ſi-

sideriis, & commodis inservire, tametsi nihil utilitatis ex navata ipsis opera sit recepturus. Quamobrem, si tu quoque DEUM mente aspicias, non modò quasi ens omnium, quæ videri, & cogitari possunt, longè pulcherrimum, sed quasi ipsammet puram, perfectissimámque, & omnigenam pulchritudinem, fieri non poterit, quin ratione hujus tam excellentis prærogativæ, eum dignissimum censeas, cui à te, & à cæteris quibuscunque hominibus omni in re serviatur: tantúmque aberis ab eo ullius tui emolumenti, vel commodi causâ offendendo, ut contrà nihil nixiori curæ habiturus sis, quàm eum summâ observantiâ, & veneratione prosequi, omnibus ejus studiis morem gerere, ejúsque gloriæ, quantùm possis, ubique velificari: nuneris locô habens, quoties ille ministerio uo utitur, & aliquid à te operis, ùt ùt naturâ iâ duri, atque asperi exigit; imò nihil durum, ut asperum putabis, quod ab eo tibi fuerit inunctum. Neque tua in quibusvis laboribus ro ipso exhauriendis alacritas ex spe ulla endebit, sive inæstimabilium præmiorum, uæ suis ille servis promittit, seu reciproci arentissimi amoris, quo se amantes complecti-r: sed ità comparatus animo eris, ut, quam-

vìs (quod factu omnino est impossibile) nihil ille de tuo erga ipsum amore, déque iis, quæ ipsius gratiâ pateris, resciturus unquam esset, & nullam proinde tibi posset, nedum aliam, sed nec ipsius grati animi, amorisque mercedem persolvere; non tamen idcirco minori cum sedulitate, ac lætitiâ ipsi inservires: ampliſſimi præmii instar existimans, quòd primæ, summæque pulchritudini debitum honorem præstare, & illius inter homines gloriam augere pro tuo modulo queas.

18. Quintò, videns alicubi infinitum illud pulchrum, quod creatis rebus omnibus, téque ipso plùs diligis, injuriâ affici, non secùs dolebis, ac si lethifero tibi vulnere transfixa essent præcordia: tota mente, totísque artubus cohorrescens ad hujusmodi speciem, tanquam ad portentum nulli opinabile, multóque luctuosum, & funestum magìs, quàm si universa mundi moles repentè dissoluta in informem acervum subsideret. Sed longè etiam magìs tuus indè horror augebitur, quoties tecum reputaveris, quàm communis inter homines sit, & nusquam non videri obvius, summæ hic pulchritudinis, & amabilitatis contemptus: cùm plerique eorum nîl pensi habeant, leviſſima quavis de causa eam offende-

dere, probris afficere, & tantùm non pedibus conculcare. Quapropter imperare tibi minimè poteris, quin de perversitate adeò monstrosa obstupescas, atque indignabundus exclames: Ah *filii hominum*, cæci, insipientes, deliri, *usque quò gravi corde?* Ubinam est vestra mens? ubi ratio? ubi sensus? ubi innata omnibus erga quodvis pulchrum, & vehementior erga magìs pulchrum propensio? Aperite, aperite aliquando oculos, visuri, quem cui peccando posthabeatis: quámque abnormis vecordia sit pro tenui, & evanida pulchri umbra, æternæ, universali, & infinitæ pulchritudini nuntium remittere.

19. Sextò, acerbissimus indè existet, ac summo pudore mistus dolor inter reminiscendum, quoties tu etiam similiter vecors fueris: nîl pensi habens, dum tuo quæstui, vel genio inservires, indignissimis lacessere contumeliis DEUM non modò pulcherrimum, & amabilissimum, sed qui ipsa est pura amabilitas, ipsa idea omnis pulchri, & amabilis. Quæ recordatio instar pugionis tibi erit medio in corde defixi: téque coget jam irasci adversùs tuam amentiam, jam nullius non supplicii te reum profiteri, jam mirari, quonam pacto ausus fueris execrabilem adeò injuri-

am ei facere, cujus gratiâ debuisses vitam millies profundere: quòdque res creatæ patienter tulerint, tam indigno à te scelere offendi pulchritudinem, quæ præcipuus, & communis universitatis totius amor est: neque unanimi omnes ardore, ad impium, temerarium, & sacrilegum deliciarum suarum hostem funditùs è natura exterminandum conspiraverint.

20. Hi, inquam, similésque his affectus in tuo, pie Lector, animo ex altè ibi impressa divinæ pulchritudinis specie nascentur: affectus, qui & quanti sint pretii, & quàm facili, ac spontaneo proventu ex cælesti illo semine oriri soleant, haud obscurè perspicere potes. Quare nulli parcere industriæ, nullámque nimiam arbitrari diligentiam debes, quò tuam mentem pretiosis adeò frugibus conteras. Felix, qui amabilissimum illud objectum cognoscit, & felicior, qui penitiùs cognoscit. Hæc maximè propria ratio est, anticipandi sibi, quantùm in terris fas est, cælestium sortem spirituum: qui & tantò beatiores sunt, quantò summam DEI pulchritudinem amant flagrantiùs, & tantò flagrantiùs eam amant, quantò vident perfectiùs.

C A-

CAPUT XXX.

De intima, vivida, & actuosa DEI cognitione, quæ ex prædictis illius perfectionibus rite consideratis in animo provenit. Quàm facilè quilibet hoc pacto illam consequi valeat; quæve sint artes ad eam, postquam comparata fuerit, conservandam, & augendam idoneæ.

IN ergo materiam, in qua occupare mentem debeat, cui cordi est DEI notitiam sibi comparare, aliquantò intimiorem, pleniorémque illâ, quæ ex ipso in externis suis operibus, atque imaginibus considerato percipi solet. Debet, inquam, cum Moyse (*Exod. 20. & 24.*) in obscurissimam, & luminosissimam simul divinæ essentiæ caliginem ingredi: & Regii Vatis exemplo penetrare (*Ps. 70.*) *in potentias Domini*, in admirabiles nempe illius prærogativas, à nobis hoc in libro explicatas: relegendo, ac ruminando identidem cum ea, qua par est attentione, objecta adeò sublimia, & conando ea

ſemper, quantùm fieri poteſt, pleniùs, & pleniùs intelligere: donec crebra eorum meditatione penitùs ſibi in animo imprimat generalem quamdam DEI ſpeciem, tanquam entis ſupra omnem modum eximii, admirandi, & amabilis. Sic enim fiet, ut, quandocunque ejuſdem ſeu recordabitur, ſeu mentionem fieri audiet, quamvìs meditata olim ipſius decora neutiquam tunc diſtinctè, & ſecundùm propriam ſingulorum imaginem animo reputet; ex vi nihilominus univerſalis ſpeciei, de eo pridem conceptæ, altéque intrà mentem defixæ, eum continuò ſibi repræſentet, tanquam objectum incomparabile, præcellentiſſimum, longiſſiméque ſuper omnia æſtimari, & amari dignum. Quemadmodum audiendo, legendóque pluries militaria Alexandri Macedonis, vel Julii Cæſaris geſta, eximiam eorum ſpeciem in mente formamus, quaſi Ducum extraordinariâ, & ſingulari ſupra cæteros laude eminentium. Quæ ſpecies, vel ſinè diſtincta, unde paulatim inolevit, illuſtrium facinorum ab iis editorum memoria, fixa hærere in noſtris mentibus pergit: adeò ut nunquam deinceps ii noſtræ menti obverſentur, nisì quales antea concepimus, tanquam nimirum duo belli fulmina, & nullo non tempore celebranda ſui ævi ornamenta.

2. Ne-

2. Neque ulla occurrit probabilis cauſa, cur quiſquam hoc conſiderationis genus refugiat, perinde quaſi impar ſit objectis adeò humano quovis captu majoribus, etiam tenui notitia aſſequendis. Nam ut indè hauriatur ſumma illa DEI æſtimatio, quæ veluti potiſſimus, ac princeps fructus, ex DEI conſideratione quæritur, nihil neceſſe eſt, altiſſimas illius perfectiones perſpicuè intelligere, ità ut ſingularum reddi ratio, & explicari modus queat. Sed ſufficit, impermeabilem earum immenſitatem indiſtinctè, ac generatim concipere: fatendo interim, quidquid de iis cognitum fuerit, aut poſſit cognoſci, inſtar nihili eſſe, ad infinitum *plus ultra*, quod cognoſcendum etiamnum ibi ſupereſt, ac ſemper ſupererit. Imò hæc ipſa mentis confuſio, & quaſi vertigo, coram objectis adeò peregrinis, omnémque noſtrum captum excedentibus, quemadmodum religioſo quodam ſtupore, atque horrore conſiderantis animum replet; ſic omni Theologica ſpeculatione plùs valet, ad rite æſtimandam incomprehenſibilem divinæ eſſentiæ amplitudinem, in qua velut in immenſiſſimo quodam oceano tot infinitarum perfectionum quaſi oceani adunentur. Ubi deſinit clara cognitio, ibi protinus ad-

admiratio ſuccedit: quæ non objectum, ſed ſuam objecti percipiendi impotentiam cognoſcens, hæret attonita, nec aliud de eo proloqui ſcit, nisì, *Manhu, quid eſt hoc?* (*Exod. c.* 16.) Hebræorum more, qui prodigioſam è cælo ſibi depluentem alimoniam tantò mirabantur magìs, quantò minùs notam habebant: *Ignorabant enim, quid eſſet.* Quòd divinæ perfectiones objectum ſint humano captu ſuperius, conſiderare illas metuis? At ego hac ipſa de cauſa ad earum conſiderationem te hortor, quò nimirum tantò meliùs, quantò magìs ipſo uſu tuo edoctus hanc earum exuperantiam agnoſcas. Hic ſummus eſt gradus, quò in præſenti materia licet pertingere. Hæc ſcientia potiſſima, quam de objectis tam ſublimibus obtinere noſtra imbecillitas poſſit. Ratio ea ſpeculandi eſt, non ut eorum apprehendamus finem, ſed ut deprehendamus infinitatem. Ille plus de iis didicit, qui plus ſibi ſupereſſe diſcendum novit. Verè, ſapientérque Auguſtinus, (*Epiſt.* 149.) *Multa ſunt, quæ de Trinitatis ineffabilitate dicuntur: non ut ipſa dicatur, alioquin non eſt ineffabilis, ſed ut illis dictis, illa dici non poſſe, intelligatur.* Quam eandem ſententiam alibi quoque inculcat his verbis: (*In Pſ.* 60.) *Quidquid dicis, minùs dicis:*

cis: sed ideo necesse est, aliquid dicas, ut sit, unde cogites, quod non potest dici. Certè, si non unam duntaxat diei horam, sed solidos dies in divinis perfectionibus meditandis insumeres: ità ut primò conareris intentæ mentis acie aliquid de ipsis assequi, mox animadverso te nihil proficere, submissè DEO fatereris, longè illum superiorem omni speculatione tua esse: pergens ità decies, vicies, quinquagies, aut pluries eosdem retentare addiscendi conatus, easdémque his attexere nullius tui profectûs confessiones; quonam tandem posses utiliori modo commentationis tuæ tempus transigere? Quando, hac methodo utens, per tuammet experientiam manifestiùs cognosceres, & repetita pluries confessione altiùs tuo animo insculperes certissimum illud verum, & quod celeberrimus quivis Theologiæ Scholasticæ Doctor, post universam suam ætatem in hujusmodi studiis contritam, quivis itèm consummatissimus Mysticæ Theologiæ Professor confiteri debet, tu itidem confitearis: nempe quantus, & qualis DEUS sit, nullo à nobis conatu intelligi posse. *Tunc eum dignè æstimamus, cùm inæstimabilem dicimus.* (*Minut. in Oct.*)

3. Præterea, memineris velim, considerationem non esse à me initio propositam, velut unicum divinæ scientiæ assequendæ instrumen-

mentum: sed tanquam instrumentum, cui ad finem prædictum adjungenda non minùs necessariò esset divini luminis, atque auxilii imploratio. Quocirca nequaquam spectari à te oportet, quidnam sola per sese consideratio tua valeat, sed quid etiam altero hoc præsidio suffulta. Nam quid prodesset DEI opem exposcere, si neque cum ipsa illud possemus, quod sinè ipsa non possumus? Certè oratio nequaquam supervacuum quid, & omnino inutile est: ádque DEUM pertinet, ubi rite invocetur, aliquid pro parte sua agere. Cur igitur diffidamus, nostram potiùs infirmitatem, quàm illius respicientes virtutem? perinde quasi nostro solùm marte, & sinè ullo ipsius magisterio vacaturi essemus tam sublimi scientiæ: aut quasi novum aliquid, insuetúmque ipsi foret, *præstare scientiam parvulis*, (*Ps.* 18.) & *suscitare de lapidibus filios Abrahæ*: (*Mat.* 3.) sculpendo nimirum in saxeæ mentis hominibus Divinitatis suæ notiones, per quas in Abrahæ filios mutentur. Mortalium magistrorum est, scientiam in auditoribus suis tantùm parere, DEI verò etiam creare. Ab illis sola veri semina intrà intellectum; ab hoc novum quoque, & meliorem intellectum accipimus: secundùm illud ex Jobi libro effatum, (*c.* 32.) *Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.*

am. Quantumcunque abſtruſa, & captu difficilis ſit doctrina; tardum, atque hebes ingenium; omnes haſce difficultates abunde compenſat tanti præceptoris inſtitutio: & teſte D. Leone, (*Serm.* 1. *de Pent.*) *Ubi* DEUS *magiſter eſt, citò diſcitur, quod docetur.* Revoca in memoriam quatuor illa animalia, divinitus Ezechieli exhibita. Vidit ea primò ſanctus Vates, ſub ſpecie hominis, leonis, bovis, & aquilæ. Conſideravit ea rurſus, & cætera iiſdem, quibus antea nominibus appellans; illud duntaxat, quod primò appellaverat bovem; non jam priſtino, ſed Cherubim nomine deſignavit. Mira ſanè nominis commutatio. Quo enim pacto Cherubini nomine, *ſcientiæ plenitudinem* ſignificans animali conveniat, ex terreſtri coagmentato materia? cur non leoni potiùs, vel aquilæ, vel homini, ſed bovi, animali videlicet, curvo humum versùs, ad jugum ferendum nato, éque tota illa quadriga maximè abjecto, hebeti, ac ſtupido? Mira res, fateor, ſed myſterio plena, & unde addiſcas, quamvis natura ingenium tibi tribuiſſet nihilo, quàm bovi, minùs tardum, iners, ac ſtupidum; facillimum tamen DEO eſſe, te in Cherubim transformare, ſpiritum ſcilicet, qui totus perſpicacitas, totus cognitio, totus mens ſit, *Facies bovis, facies Cherubim.* (*c.* 1. & 10.)

4. De-

4. Denique percipiendum probè est, ac penitùs menti infigendum, quod pluries dixi, sed veluti ad præsentis rei intelligentiam apprimè necessarium, in memoriam tibi revocabo, *& repetens, iterúmque, iterúmque monebo*: nimirum non hìc quæri, ut veritates circa Dei naturam merè contemplativas, & theoricas speculando percipias, quod dogmaticæ Theologiæ studiosi propositum sibi habent, & consequi certant: sed ut unicam circa summum illud ens veritatem practicam intimè penetres, & quanta maxima fieri potest perspicuitate, intelligas: infinitam nempe illius super creata quævis bona excellentiam, & ejusdem inde consequens meritum, infinitè illis omnibus in nostra æstimatione, & amore antestandi. Ità planè: hæc unica simplex, atque indistincta, & generalis notitia illa est, quam hìc quærimus, quæque quantò altiùs menti impressa, vividiúsque præsens fuerit, tantò fructuosiorem eidem scientiam DEI pariet. Jam verò ad hujusmodi notitiam vividè, intiméque concipiendam licèt conducere haud minimùm possit ingenii sublimitas, studii contentio, & doctrina in scholis comparata; certissimum tamen est, multò magis conferre, imò solum etiam sufficere lumen divinum, orando, & purè vivendo impetratum: teste

D.

D. Bernardo, (L. 5. de Conſ.) *Quod ſermo non explicat, conſideratio quærat, oratio expetat, meretur vita, puritas aſſequatur.* Quamobrem videmus ſæpenumero homines, cæteroqui illiterato, & rudes, ſed animi demiſſione, & puritate ad DEI lucem excipiendam probè comparatos, in ſcientiæ hujus ſtudio primarios illuſtrium Academicarum magiſtris anteire: Regii Vatis exemplo, qui ex divinæ Legis ſtudio eam ſe hauſiſſe profitetur ſcientiam, quam admirari etiam Doctores ſui poſſent (*Pſ.* 118.) *Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſivi.* Non ſanè, quia DEUS eos, qui hujuſmodi ſunt, extraordinaria, & prodigioſa virtute ad interiorem arcanorum ſuorum perſpicientiam ſemper attollat; (námque id privilegium neque eorum omnibus conceditur, neque ulli neceſſarium) ſed quia peculiari eos lumine inſignit, ad videndam cæteris clariùs eam veritatem, in qua præcipuè fructuoſam, & ſolidam diximus DEI ſcientiam conſiſtere: infinitum illud ſcilicet bonitatis, perfectioníſque intervallum, quo ipſe creatas res omnes tranſcendit: adeò ut ipſum, tametſi ſub hac undiſtincta, & generali ſpecie conceptum,

altiori in pretio habeant, longiúsque bonis omnibus cæteris præferant; quàm excellentissimus quivis Theologus per solam naturalem doctrinam suam faciat: licèt hic distinctiùs cognoscat, & explicare enucleatiùs possit peculiares illas DEI perfectiones, quarum causâ infinitè adeò creata ille omnia antecellit, præque iisdem æstimari, atque amari meretur. Quare hoc etiam sensu explicari potest ille Canticorum versiculus, (*c.* 1.) *Meliora sunt ubera tua vinô*: accipiendo videlicet pro divinorum uberum lacte, actuosam illam incomparabilis suæ excellentiæ cognitionem, quam DEUS piis idiotarum mentibus solet infundere: cognitionem, si suavitas, & nutriendi vis attendatur, longè illi præferendam scientiæ, quam curiosa, & superba ingenia quasi fumidum, atque inebrians vinum, laboriosarum speculationum torculari exprimunt.

5. Neque mirum ulli debet videri, infinitam DEI super creata omnia excellentiam meliùs cognosci, & pluris æstimari ab aliquo posse, qui minùs clarè compertas illius rationes habeat; quàm ab alio, qui has luculentiùs, & majori cum distinctione pernoscit. Nam primò, qui objectum aliquod sibi consideran-

randum ſumit, non ut purè illius notitiam aſſequatur, ſed ut per hanc ad illud pro merito æſtimandum ſe excitet; quemadmodum omnes ſuæ conſiderationis conatus huc dirigit, ſic, licèt aliquando propter ingenii tenuitatem minùs plenè, exactéque illud cognoſcat, poteſt, ſolétque nihilominus altiorem illius æſtimationem concipere; quàm qui de hac nihil ſolicitus ſolam cognitionem pro fine ſtudii ſui habet. Similiter atque eadem concluſio, meliùs quandoque percipitur à minùs gnaro propoſitionum, unde emanat, quàm altero, qui has probè intelligens parùm attentè de illa cogitet. Atqui talis eſt differentia inter ſpeculationem hinc curioſi, indè pii hominis. Fac, amabo, divinis perfectionibus conſiderandis vacent: prior id aget, ut DEUM purè cognoſcat; alter, ut cognoſcendo ad illius æſtimationem, amorémque proficiat. Non itaque mirum eſt, ſi hic, quamvis confusè admodum, obſcuréque intelligat, quonam DEUS pacto per ſe exiſtat, ſítque ens neceſſarium, æternum, infinitum, immutabile, immenſum; ex obſcura tamen illa notitia altiſſimam illius veneracionem concipiat; alter contrà, etſi clariorem, ac diſtinctam magis divinarum perfe-

ctionum ſpeciem mente hauſerit, in ſolâ nihilominus, ſterilíque veri cognitione ſubſiſtat, nullam indè eruens, nisì ſui ipſius, ſuæque æſtimationem ſcientiæ: profanorum antiquitatis ſapientum ſimilis, quos D. Paulus teſtatur, naturali ſua Theologia ad merum vanitatis pabulum, & fomentum abuſos fuiſſe: (*Ad Rom.* 1.) *Quia, cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, nec gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis.* Quin imò adeò id minimè inſolens, ſed conſentaneum veritati, naturæque eſt, ut artis oratoriæ magiſtri vetent, ubi affectus ciendi ſunt, argumentis ſubtilioribus uti, quamvìs ea cæteroqui ad penitiorem propoſitæ rei cognitionem conducant. Quia, licèt ex diſtinctiore veri notitia vehementior ſequi plerumque ſoleat animi motus; nihilominus, ſi ratio verum comprobans abſtruſior ſuâpte naturâ ſit, & multum attentionis, ut percipiatur, requirat; uſque adeò totum animum, partim connatu eam percipiendi, partim ejuſdem perceptæ guſtu, & dulcedine occupat, ut vix ullum ei ſpatium tranſeundi ad affectus relinquat: quibus proinde impedimento potiùs, quàm uſui eſt illa veri clarior perceptio. Quidnam igitur obeſt pio Aſcetæ DEUM con-

contemplanti, quòd Theologicarum ſubtilitatum ſit rudis? Proſunt hæ, fateor, ad clariorem, ſed non æquè ei ſemper ad fructuoſiorem DEI ſcientiam. Imò compluries mentis intentionem nimiùm occupando, & curioſitatem, atque arrogantiam fovendo, id efficiunt; ut quantò ſuum illa ſupremum objectum pleniùs cognoſcit; tantò ſit minùs ad illud æſtimandum, colendum, atque amandum idonea. Denique, ceu lux minor plus coloris producere poteſt in corpore, ad illius productionem meliùs parato; ſic minùs clara objecti cognitio ampliorem, & vividam magis progignere illius æſtimationem poteſt in hominis animo, qui, quòd hanc ſibi pro unico intelligendi fine propoſuerit, aſſiduéque ideo ſpectet, ac quærat, eidem concipiendæ eſt habilior. Quare D. Thomas neceſſariam quidem eſſe ad amandum cognitionem docet, (*1. 2. qu. 27. a. 2. ad 3.*) ſed non ità, ut perfectè amari nequeat, etiam quod imperfectè cognoſcitur. Idémque Hugo etiam à S. Victore his verbis docuerat. *Dilectio ſuperemi-*
net ſcientiæ, & major eſt intelligentiâ. Plùs enim
diligitur, quàm intelligitur: & dilectio intrat, ubi
ſcientia foris ſtat. (*In c. 7. Dion. de cæl. Hier.*)

6. Adde huc alteram ejusdem effectûs rationem, auxiliarem nimirum DEI gratiam: quam fatendum certè est, habere aliquid virium ad naturalem, humanámque habitudinem, ubi desit, supplendam: ut proinde mirum esse nequeat, si ipsa aspirante efficaciùs animum moveat etiam rudis, & confusa divinæ excellentiæ cognitio, quàm sinè illius adjutorio explanatior alia, & sublimior. *Si quæris, quomodo hæc fiant;* (possum cum Doctore Seraphico effari) *interroga gratiam, non doctrinam: desiderium, non intellectum: gemitum orationis, non studium lectionis: sponsum, non magistrum: DEUM, non hominem: caliginem, non claritatem: non lucem, sed ignem, totaliter inflammantem, & in DEUM excessivis unctionibus, & ardentissimis affectionibus transferentem.* (*Itin. Ment. c. 7.*)

7. Adde insuper, ad fructuosam cognitionem veritatum practicarum, quas Aristoteles, (*L. 7. Eth. c. 3.*) *actionum Dominas* vocat, plùs quàm intellectûs acumen, voluntatis puritatem conducere: cùm nemini obscurum sit, quantam animi perturbationes ad nostræ mentis judicia sibi accommodanda vim habeant: ut certè propterea idem Philosophus in hoc præcipuè affectuum naturam constituerit definiens: (*L. 2. Rhet. c. 1.*) *Affectus esse id, quo com-*

commoti homines differenter judicant. Qui alio etiam loco hinc fieri, ait, (*L. 1. Eth. c. 1. & L. 7. c. 3.*) ut juvenes ad morales disciplinas minùs facti sint, utpotè: *singula ex perturbatione persequentes.* Talibus enim, *perinde atque incontinentibus cognitionem evadere inutilem*, quatenus est cognitio languida, iners, semimortua, & qualis esse somniantium solet. Jam verò, quòd DEUS creatis omnibus infinitè antecellat, iisque omnibus in æstimatione, atque amore mereatur præponi, nequaquam veritas purè contemplativa est, sed practica, quæque in vita spirituali universa principis locum regulæ obtineat. Quapropter, qui animo, à pravis affectionibus perpurgato, nec aliâ, quàm spiritualis profectûs sui gratiâ eam sibi considerandam suscipit; esto peculiares alias DEI prærogativas, unde illa eruitur, credat potiùs, quàm distinctè intelligat; potest eam nihilominus sub illustriori specie concipere, mentíque altiùs imprimere, quàm alius quispiam eximius Theologus, sed à vitiis minùs integer: cui nemo non videt, quantum impedimenti perversæ cupiditates suæ afferant, nè exaggeratam, & vividam DEI æstimationem ex quantacunque illius scientia hauriat, néve illum præsentem assiduè habeat sub

practica illa imagine boni, cætera omnia infinitè excedentis, digniſſimíque, qui præiis omnibus in pretio habeatur, & ametur. *Talis enim* (ut Philoſophi verbis concludam) *unicuique finis apparet, qualis quiſque eſt; propterea quòd diſtorquet pravitas, facítque, ut circa principia activa fallamur.* (*L. 3. Eth. c 5. & L. 6. c. 12.*) Multi erant, qui conferti olim circa Chriſtum Dominum non modò illum tangerent, ſed etiam penè opprimerent. Et tamen neminem eorum omnium ipſe advertere eſt viſus, præter piam fæminam, quæ ad extremam ſolummodo veſtimenti ſui oram manum porrexerat, dicens de illa: *Quis me tetigit?* (*Luc. c. 8.*) Multum quippe intercedebat diſcriminis inter aliorum, & ipſius tactum, illum tumultuarium, & ſinè ullo effectu, hunc ceu fidei, & reverentiæ plenum, ſic voti, & fructûs ſui compotem. Quare adſtantium nonnullis, qui prædictæ ejus interrogationi admirantes reſponderant: *Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt; & dicis, quis me tetigit?* ſubjecit rationem prioris dicti ſui reddens: *Tetigit me aliquis. Nam ego novi virtutem de me exîſſe.* Haud diſſimili ratione quàm plurimi ad DEUM undique accedunt, & turmatim quodammodo circa eum conglobantur, per-

ce-

cepturi aliquid de arcanæ illius naturæ myſteriis: ſed veluti non omnium eſt, qua oportet, recta, & humili mente id agere; ſic neque omnium fructuoſa, & efficaci cognitione illum tangere. Et nos quidem hæc, aut illa inſignium Theologorum monumenta evolventes, hos demum arbitramur eum revera attigiſſe: at cæleſtis Magiſter, certiùs rem perſpiciens, eorum fortè aliquos non nisì turbarum locò habet, quæ profana curioſitate *ſe affligat, & comprimat.* Cùm è contrario, ſi rudis mulierçula, vel laicus cœnobita pio ſpiritualis profectûs ſtudio ſe contemplentur, quemadmodum his divini ſui luminis virtutem infundit, ſic ab iiſdem profitetur ſe intimè agnoſci, & utiliter tangi. *Tetigit me aliquis. Nam ego novi, virtutem de me exîſſe.*

8. Studeamus ergo, qua par eſt diligentiâ, vitioſis rerum terrenarum cupiditatibus animum expurgare: tum, implorata confidenter DEI ope, nullam omnino naturalis noſtræ habitudinis, qualiſcunque, parva, an magna illa ſit, rationem ducentes, contemplari aggrediamur jam peculiarem aliquam ex altiſſimis DEI perfectionibus, jam ipſam univerſè infinitam, incomprehenſibilémque eſſentiam: certi procul dubio eventurum, ut ſi

minùs perſpicuam, & diſtinctam aſſecuti fuerimus tam ſublimis objecti ſcientiam; non tamen à præcipuo noſtri ſtudii, & laboris fine excidamus. Saltèm quippe DEI ſpeciem animo concipiemus, tanquam entis præter omnem modum eximii, immensô perfectionis intervallô quævis alia excedentis, digniſſimique, ut, quidquid eſt hominum, illius ſe amori, & obſequio devoveat. Qua in ſpecie quemadmodum præcipuè fructuoſa DEI cognitio conſiſtit, ſic abſque illa Theologicarum omnis ſpeculationum altitudo exigui eſt ad vitam ſpiritualem momenti: quantóque ipſa vividior fuerit, tantò uberiores fructus afferet cuilibet ſive docto, ſive idiotæ, qui eam penitùs conſignatam in mente habeat. Quòd ſi nihilominus pergat quiſpiam obtendere, parùm habilitatis ſibi eſſe ad Deum in ſe ipſo, inque altiſſimis perfectionibus ſuis contemplandum, adeò ut nullam, hoc conſiderationis genere utens, ſaltèm confuſam, & univerſalem illius notitiam aſſecuturus videatur; quamvis ità ſentiens puſilli nimiùm animi, nec juſtâ divinæ opis fiduciâ ſubnixi ſe prodat; nolo tamen cum eo ulteriùs contendere: ſatis habens, ſi priori ſaltèm inſiſtat, quam initio propoſui, DEUM conſi-

de-

derandi in externis ſuis operibus, viæ, éque viſibili horum artificio, elegantia, & decore infinitæ illius ſapientiæ, potentiæ, & pulchritudinis argumenta deſumat. Si enim in hoc conſiderationis genere mentem ſedulò exerceat, promptum illi erit, brevi temporis ſpatio perquam claram, & uberem DEI notitiam nanciſci: ceu exemplo eſſe poteſt ea ratio, qua Chriſtus Dominus ad cæcos illuminandos plerumque uſus eſt. Nam licèt eorum alicui non alio, quàm divinæ ſuæ vocis inſtrumento viſum reſtituerit, ùt Bartimæo illi, (*Marc.* 10.) ſecùs Jerichuntinam viam mendicanti; pleroſque tamen, ùt quatuor illos apud D. Matthæum, (9. & 20.) & alterum, cujus meminit D. Marcus, (*c.* 8.) manûs tactu à cæcitate liberavit. In quo divinæ manûs tactu, creatarum à DEO rerum conſideratio intelligi poteſt: ità ut has ob mentis oculos ſibi ponere perinde quodammodo ſit, atque DEI manibus tangi, & à ſalutari illo tactu videndi facultatem, nempe ipſius cognitionem recipere. Neque enim novum tropi genus eſt, fabri manus, opera illius manibus confecta appellari: quemadmodum & apertè declarat Virgilianus ille verſus: *Artificúmque manus inter ſe, operúmque labores miratur*; & in-

innuere etiam videtur illa unius ex Jobi amicis locutio, (*c. 36.*) *Abſcondit in manibus lucem.* Ubi ſub nomine lucis in manibus DEI abditæ poſſumus juxta myſticum ſenſum accipere, quam ſupremus mundi effector in rebus à ſe procreatis clariorem ſui notitiam repoſuit, quámque unicuique noſtrûm fas eſt per ſedulam conſiderationem ibi invenire.

9. Supereſt demum, ut, poſtquam alterutro prædictarum conſiderationum genere ſublimem, ac ſplendidam infinitæ DEI magnitudinis, atque amabilitatis imaginem noſtra in mente effinxerimus, curemus ſimili ſtudio, nè illa per deſidiam paulatim obſoleſcat, ſed integra, ac vigens perduret, imò & ad novam, ulteriorémque perfectionem proficiat. Quam in rem non parvo tibi erunt uſui tria hæc, quæ ſubjicio, præſidia. Primum, ut matutinam meditationem ſemper inchoës à DEO per horæ circiter quadrantem contemplando, ſive ſecundùm illius omnipotentiam, immenſitatem, ſupremum in res omnes creatas dominium, & reliqua id genus decora, quæ conſiderari, citra ſummam reverentiam, & admirationem nequeunt; ſive ſecundùm alias memoratu ſuaviores, quæque ad amorem excitandum potiùs faciunt, prærogativas, ve-

lu-

luti pulchritudinem, benignitatem, clementiam: ità tamen, ut, undecunque illum respexeris, mentis obtutus adjunctos sibi habeat affectus materiæ consentaneos, venerationis nimirum, & obsequii, vel lætitiæ, atque amoris. Secundum, ut inter actiones diuturnas hos eosdem affectus paucis, sed ex imò corde erumpentibus verbis quàm sæpissime iteres. Eorum verò formulæ exempli gratiâ esse hujusmodi poterunt: O infinitum! ô summum! ô totum esse! Quàm magnus es, quàm omnia supergrediens, quàm infinitè adorabilis, & amabilis Dominus? O maxime! ô pulcherrime! ô perfectissime omnium! quando erit, ut super omnia te diligam? O DEUS! totum meum bonum, totus cordis mei amor. O principium, & finis rerum omnium! à te, & tibi unus sum factus, nec alii vivere unquam volo, quàm tibi. Nisi fortè usurpare magis placeat certa quædam ex sacris Literis dicta, quæ singularem DEI excellentiam repræsentant, aut pios erga illum cordis motus exprimunt: quale illud est sponsæ in Canticis, (*c. 2.*) *Dilectus meus mihi, & ego illi*: sive illud, quo sanctissima DEI Parens exorsa est suum celebrem Hymnum: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in*

DEO

DEO salutari meo: sive illi ex Psalmis Davidicis versus, (*Ps.* 17. 34. 102.) *Diligam te, Domine, fortitudo mea, firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi? Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intrà me sunt, nomini sancto ejus!* sive alia ejusdem generis sensa, quæ poteris tibi ad hunc usum seligere. Tertium, ut in quovis sermone, & cum quovis hominum genere, vel unicè, vel præcipuè loquaris de DEO: de infinita nimirum supremæ illius naturæ excellentia, de illius incomparabili merito, ut ab omnibus obsequentissimè, & summo cum amore ei serviatur: de felicitate animarum, quæ intimæ necessitudinis nexu cum eo copulantur: de liquidissima voluptate, quæ ex puro illius amore percipitur: de incredibili hominum perversitate, in eo summo, immensóque bono, vilissimis bonorum quisquiliis posthabendo: de singulari, ardentissimáque charitate, qua hi, vel illi sanctorum Virorum, totos sese illi addixêre: de beatissima eorum sorte, qui in cælesti patria eum palàm intueri, eóque penitùs frui meruerunt. Quæ argumenta, seriò identidem retractata, quivis facilè agnoscit, quanti sint momenti ad conservandos, altiúsque infigendos

in

in animo ſenſus pridem conceptos æſtimationis, amoríſque erga DEUM. Velit ille utinam ſummus lumium Pater, omniúmque largitor bonorum imbecillis noſtris conatibus neceſſarium robur afflare: ut, quæ hactenus nobis affulſerunt, divinæ ſuæ ſcientiæ crepuſcula, ex præſenti, ſub dubio, & quaſi nocturno nitore, per aſſidua uberioris claritatis incrementa, ad meridianum cæleſtis gloriæ lumen perveniant: quo demum plenè illuſtrati, non ultra per ſpeculum, & in ænigmate, ſed qualis in ſe ipſa eſt, incomprehenſibilem illius eſſentiam ſpectabimus,

Amen.

Regi ſæculorum, immortali, inviſibili, ſoli DEO honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. (1. ad Tim. 1.)

FINIS.

P.
Benedicti
Rogacci
Pars Ima
De Cognitione
Dei

1 Th
3178

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN